DELITIÆ SAPIENTIÆ
DE
AMORE CONJUGIALI;

POST QUAS SEQUUNTUR
VOLUPTATES INSANIÆ
DE
AMORE SCORTATORIO.

A B
EMANUELE SWEDENBORG,
SUECO.

AMSTELODAMI,
MDCCLXVIII.

DELITIÆ SAPIENTIÆ DE AMORE CONJUGIALI.

PRÆLIMINARIA DE *Gaudiis Cæli, & de Nuptiis ibi.*

,, 1. PRævideo, quod multi qui legunt ſequentia hæc, &
,, Memorabilia poſt Capita, credituri ſint, quod ſint
,, imaginationis inventa; ſed aſſevero in veritate,
,, quod non ſint inventa, ſed vere facta & viſa; nec
,, viſa in quodam ſtatu mentis ſopitæ, ſed in ſtatu
,, plenæ vigiliæ: placuit enim Domino Se Ipſum mihi
,, manifeſtare, & me mittere ad docendum illa, quæ
,, erunt Novæ Eccleſiæ, quæ per NOVAM HIEROSOLYMAM in Apocalypſi in-
,, telligitur; propter quem finem interiora mentis & ſpiritus mei aperuit; ex
,, quo mihi datum eſt in Mundo Spirituali cum Angelis eſſe, & ſimul in
,, Mundo Naturali cum Hominibus; & hoc nunc per viginti quinque annos".

2. Quondam mihi viſus eſt Angelus ſub Cælo Orientali volans, cui tuba erat in manu & ad os, qui clanxit verſus Septentrionem, verſus Occidentem, & verſus Meridiem: indutus erat chlamyde, quæ ex volatu fluebat retrorſum, & cinctus erat faſcia ex pyropis & ſapphiris ſicut flammante & lucente; pronus volabat, & demiſit ſe lente in terram, quæ mihi continens erat: ut tetigit terram, erectus ſuper pede ivadit huc illuc, & tunc me viſo direxit greſ- *Vera Tel. n. 731.*

sum ad me; eram in spiritu, & in hoc stabam super colle in Plaga meridionali; ac cum prope erat, alloquutus illum quæsivi, quid rei nunc, audivi clangorem tubæ tuæ, & vidi descensum tuum per aerem; Angelus respondit, missus sum ad convocandum celebratissimos eruditione, perspicacissimos ingenio, ac eminentissimos nomine sapientiæ, qui e Regnis Christiani Orbis super Continente hac terra sunt, ut in hunc collem, ubi tu commoraris, conveniant, & ex-pectore expromant mentes, quid in Mundo cogitaverant, intellexerant, & sapuerant de GAUDIO CÆLESTI, & de FELICITATE ÆTERNA. Causa legationis meæ fuit hæc, quod aliqui novi advenæ e Mundo, in Cælestem nostram Societatem, quæ in Oriente est, admissi retulerint, quod ne quidem unus in Universo Christiano Orbe sciat, quid Gaudium Cæleste, & Felicitas æterna, ita quid Cælum: hoc fratres & consocii mei valde mirati sunt, & mihi dixerunt, descende, conclama & convoca sapientissimos in Mundo spirituum, in quem primum colliguntur omnes Mortales post excessum e Mundo naturali, ob finem, ut ex plurium ore certi reddamur, num veritas sit, quod talis caligo seu tenebrosa ignorantia sit Christianis de futura vita: & dixit, exspecta paulum, & videbis cohortes Sapientum huc alluentes, Dominus præparabit pro illis Ædem conventus. Exspectavi, & ecce post semihoram vidi duas Turmas a Septentrione, duas ab Occidente, & duas a Meridie, & sicut venerunt, ab Angelo tubæ introducti sunt in Ædem præparatam, & ibi occupabant loca illis designata secundum plagas. Erant sex Turmæ seu Cohortes, septima erat ab Oriente, quæ præ luce reliquis non visa est. Post congregationem aperuit Angelus causam convocationis, & rogavit, ut Cohortes in ordine expromerent suam sapientiam, de GAUDIO CÆLESTI, & de FELICITATE ÆTERNA: & tunc unaquævis Cohors se glomeravit in orbem, faciebus ad facies conversis, ut illam rem ex ideis in priori Mundo captis revocarent, & nunc lustrarent, ac lustratam post consultationem expromerent.

3. Post Consultationem PRIMA COHORS, quæ e Septentrione erat, dixit, quod Gaudium Cæleste, & Felicitas æterna, sint unum cum ipsa vita Cæli; quare unusquisque, qui intrat Cælum, quoad vitam intrat in festivitates ejus, non aliter quam qui intrat in nuptias, intrat in harum festivitates; estne Cælum coram visu nostro supra nos, ita in loco, ac ibi & non alibi sunt faustitates supra faustitates, ac voluptates supra voluptates; in has infertur homo quoad omnem perceptionem mentis, & quoad omnem sensationem corporis, ex-plenitudine gaudiorum loci istius, cum in Cælum: quare felicitas cælestis, quæ etiam est æterna, non aliud est quam intromissio in Cælum, ac intromissio ex Divina Gratia. His dictis, ALTERA COHORS ex Septentrione ex sua sapientia expromsit hoc augurium; Gaudium Cæleste & Felicitas æterna non aliud sunt, quam lætissima Consortia cum Angelis, & suavissimæ Confabulationes cum illis, ex quibus facies continue expansæ tenentur in lætitiis, & ora totius consortii in risibus amænitatis ex blandiloquiis & facetiis; quid gaudia cælestia quam talium variationes in æternum. TERTIA COHORS, quæ erat Prima ex sapientibus e Plaga occidentali, ex suarum affectionum cogitationibus edidit hoc: quid Gaudium Cæleste & Felicitas æterna aliud, quam Epulationes cum Abra-

Abrahamo, Isaco, & Jacobo, super quorum Mensis erunt Edulia delicata & opipara, ac Vina generosa & nobilia, & post epulas Ludi ac Choreæ virginum & juvenum saltantium ad modos symphoniarum & tibiarum, interjectis cantibus odarum suavissimis: & demum ad vesperam erunt Spectacula ex personatis; & post hæc iterum Epulæ, & sic quovis die in æternum. His edictis, QUARTA COHORS, quæ erat Secunda e plaga occidentali, enuntiavit suam sententiam, dicens, nos fovimus plures ideas de Gaudio Cælesti, & de Felicitate æterna, & exploravimus varia Gaudia & contulimus illa inter se, & conclusimus quod Gaudia Cælestia sint Gaudia Paradisiaca, quid aliud Cælum quam Paradisus, cujus extensio est ab Oriente in Occidentem, & a Meridie in Septentrionem, & in illo arbores fructuum & flores delitiarum, in quarum medio est magnifica Arbor vitæ, circum quam sedebunt beati, vescentes fructibus saporis delicati, ac ornati sertis florum odoris suavissimi; & quod hæc aspirante perpetuo vere indies cum infinita varietate enascantur & renascantur; & quod ex horum ortu & flore perpetuo, & simul ex temperie jugiter verna, animi continue renovati non possint aliter quam Gaudia indies nova attrahere & respirare, & inde in florentem ætatem, & per hanc in primitivum statum, in quem Adamus & ejus uxor creati sunt, reduci, & sic in Paradisum illorum, e terra translatum in Cælum, remitti. QUINTA COHORS, quæ erat Prima ex ingeniosis e Plaga meridionali, effata est hoc; Gaudia cælestia & Felicitas æterna non aliud sunt, quam supereminentia Dominia, & opulentissimæ Gazæ, & inde super-regia magnificentia ac super-illustris splendor: quod Gaudia Cæli, & horum fruitio continua, quæ est æterna felicitas, illa sint, perspeximus ex illis in Mundo priori, qui potiti sunt illis; & insuper ex eo, quod felices in Cælo regnaturi sint cum Domino, ac futuri reges & principes, quia sunt filii Ipsius, Qui est Rex regum & Dominus dominorum, & quod sessuri sint super thronis, & quod Angeli illis ministraturi sint: magnificentiam Cæli perspeximus ex hoc, quod Nova Hierosolyma, per quam describitur gloria Cæli, habitura sit Portas, quarum unaquævis erit una Margarita, & Plateas ex puro auro, & Murum fundatum super lapidibus pretiosis; consequenter quod cuivis in Cælum recepto sit sua Aula ex auro & pretiositatibus splendens, ac Dominium ordine ab uno in alterum successurum: & quia novimus, quod talibus innata sint gaudia, ac insita felicitas, & quod sint sponsiones Dei irrefragabiles, non potuimus aliunde statum felicissimum vitæ cælestis deducere. Post hanc, SEXTA COHORS, quæ erat Secunda e Plaga meridionali, extulit vocem, & dixit, Gaudium Cæli & ejus Æterna felicitas, non aliud est, quam perpetua Glorificatio Dei, Festum perennans in æternum, ac beatissimus Cultus cum cantibus & jubilis; & sic constans elevatio cordis ad Deum, cum plena fiducia acceptationis precum & laudum propter Divinam munificentiam beatitudinis illorum. Aliqui ex hac Cohorte adjecerunt, quod Glorificatio illa futura sit cum magnificis luminaribus, cumque suffitibus fragrantissimis, & cum processionibus pompæ, Pontifice maximo præeunte cum Buccina magna, sequentibus illum Primatibus & Clavigeris, magnis & parvis, & post hos Viris cum palmis, & Mulieribus cum aureis simulachris in manibus.

4. SEPTIMA COHORS, præ luce non reliquis visa, erat ex Oriente Cæli; erant Angeli ex eadem Societate, e qua fuit Angelus tubæ: illi cum in suo Cælo audiverunt, quod ne quidem unus in Christiano Orbe sciat, quid Gaudium Cæli, & Felicitas æterna, inter se dixerunt, nequaquam hoc veritas est, non potest tanta caligo, & talis stupor mentium Christianis esse, descendamus etiam nos, & audiamus num veritas sit, & si veritas est, sane est prodigium. Tunc Angeli illi dixerunt ad Angelum tubæ, nosti quod unusquisque homo, qui desideraverat Cælum, & aliquid certi cogitaverat de gaudiis ibi, post mortem introducatur in imaginationis suæ gaudia; & quod postquam experti sunt, qualia illa gaudia sunt, quod sint secundum vanas ideas mentis, & secundum deliria phantasiæ illorum, educantur ab illis & instruantur; hoc fit plerisque in Mundo Spirituum, qui in priore vita meditati sunt de Cælo, & concluserunt aliquid de gaudiis ibi usque ad horum desiderium. His auditis, Angelus tubæ dixit ad sex Cohortes ex Sapientibus Orbis Christiani convocatas, sequimini me, & introducam vos in Gaudia vestra, ita in Cælum.

5. His dictis, Angelus præivit, & primum comitata est illum Cohors ex illis, qui sibi persuaserant, quod Gaudia Cælestia essent solum lætissima consortia, & suavissimæ confabulationes; hos Angelus introduxit ad Cætus in Plaga Septentrionali, quibus Gaudia Cæli in Mundo priori non alia fuerant. Erat ibi spatiosa Domus in quam tales congregati sunt; in Domo erant plus quam quinquaginta Cameræ, distinctæ secundum varia genera Confabulationum; in his Cameris loquebantur de talibus quæ viderant & audiverant in foro & in plateis: in illis loquebantur varia amabilia de sexu pulchro, interspersis facetiis, adauctis usque ad expansionem facierum omnium in consortio in risus hilaritatis: in aliis Cameris loquebantur Novellas de Aulis, de Ministeriis, de Statu politico, de variis quæ e Secretis consiliis emanaverunt, una cum ratiociniis & conjecturis de eventibus; in aliis de Negotiatione; in aliis de Rebus literatis; in aliis de talibus quæ sunt Prudentiæ civilis, & Vitæ moralis; in aliis de Ecclesiasticis & de Sectis, & sic porro: datum mihi est inspicere in illam Domum, & vidi discurrentes a Cameris in Cameras, inquirentes consortia suæ affectionis & inde gaudii; & in consortiis vidi tria genera, quosdam sicut anhelos ad loquendum, quosdam cupidos ad sciscitandum, & quosdam avidos ad audiendum. Erant quatuor portæ Domus, una ad quamlibet plagam, & observavi quod plures solverent consortia, & properarent ad exeundum; sequutus sum quosdam ad portam Orientalem, & vidi aliquos juxta illam sedentes facie tristi, & accessi & quæsivi, cur ita tristes sederent; & responderunt, portæ hujus Domus tenentur clausæ pro exituris, & nunc tertius dies est, a quo intravimus, & exegimus vitam desiderii nostri in consortiis & colloquiis, & a continuis sermocinationibus defatigati sumus in tantum, ut vix sustineamus audire sonorum murmur ex illis; quare in tædio contulimus nos ad hanc portam, & pulsavimus, sed responsum nobis est, quod portæ hujus Domus non aperiantur exituris, sed intraturis, manete & fruimini gaudiis Cæli; ex quibus responsis conclusimus, quod hic in æternum permansuri simus; inde tristitia invasit mentes nostras, & nunc incipit pectus contrahi, & oboriri anxietas. Tunc allo-

quu-

quutus est illos Angelus, & dixit, hic status est lethus gaudiorum vestorum, quæ credidistis unice cælestia esse, cum tamen non sunt nisi quam accessoria Cælestium: & quæsiverunt Angelum, quid ergo est Gaudium Cæleste; & Angelus respondit hæc pauca; est jucundum faciendi aliquid quod est sibi & aliis usui; & jucundum usus trahit suam essentiam ex Amore & existentiam ex Sapientia; jucundum usus oriundum ex Amore per Sapientiam est anima & vita omnium gaudiorum Cælestium Sunt in Cælis lætissima Consortia, quæ Angelorum mentes exhilarant, animos oblectant, pectora jucundant, & corpora recreant; sed hæc illis sunt, postquam usus in functionibus suis & in operibus suis fecerant; ex his est anima & vita in omnibus lætitiis & oblectamentis illorum; at si illam animam seu vitam aufers, accessoria gaudia successive non fiunt gaudia, sed primum fiunt adiaphora, deinde sicut nauci, & demum tristia & anxia. His dictis aperiebatur porta, & assidentes exsiluerunt, & aufugerunt domum, quisque ad suam functionem, & ad suum opus, & refocillati sunt.

6. Post hæc Angelus alloquutus est illos, qui induxerant sibi ideam de Gaudiis Cæli, & de Felicitate æterna, quod forent Epulationes cum Abramo, Isaco & Jacobo; & post epulas Ludi & Spectacula, ac iterum Epulæ, & sic in æternum: & dixit illis, sequimini me, & introducam vos in gaudiorum vestrorum felicitates; & introduxit illos per nemus in planitiem stratam asseribus, super qua positæ erant Mensæ, quindecim ab uno latere, & quindecim ab altero; & quæsiverunt, cur tot mensæ, & respondit Angelus, quod prima mensa sit Abrami, secunda Isaci, tertia Jacobi, & juxta has in serie mensæ duodecim Apostolorum; ab altero latere totidem mensæ Uxorum illorum, & tres primæ mensæ sunt Saræ uxoris Abrami, Rebeccæ uxoris Isaci, ac Leæ & Rachelis uxorum Jacobi; ac duodecim reliquæ sunt uxorum duodecim Apostolorum. Post aliquam moram, apparebant omnes Mensæ plenæ ferculis, & spatiola inter hæc ornata parvis pyramidibus cum condituris. Epulaturi stabant circum illas in exspectatione videndi Præsules mensarum; qui pauculum exspectati visi sunt in ordine processionis ab Abramo ad ultimum Apostolorum intrantes; & mox quisque ad suam mensam accedens se reposuit super toro ad caput ejus; & inde dixerunt ad circumstantes, discumbite etiam vos nobiscum; & discubuerunt viri cum Patribus illis, & fœminæ cum Uxoribus illorum, & comederunt & biberunt in lætitia, & cum veneratione. Post prandium exiverunt illi Patres; & tunc instituti sunt ludi, choreæ virginum & juvenum, & post has spectacula: quibus finitis invitabantur iterum ad Epulas, sed cum statuto, quod primo die comederent cum Abramo, altero cum Isaco, tertio cum Jacobo, quarto cum Petro, quinto cum Jacobo, sexto cum Johanne, septimo cum Paulo, & cum reliquis in ordine usque ad quindecimum diem, a quo iterum in simili ordine commessationes renovarent variando sedes, & sic in æternum. Post hæc Angelus convocavit viros cohortis, & dixit illis, hi omnes, quos vidistis ad mensas, in simili cogitatione imaginaria de Gaudiis Cæli, & inde Felicitate æterna cum vobis fuerant; & propter finem, ut ipsi videant vanitates idearum suarum, & ab illis abducantur, institutæ sunt, & a Domino per-

permissæ tales epulares Scenæ. Primores illi, quos vidistis ad capita mensarum, erant personati senes, plerique ex rustica gente, qui barbati, & ex quadam opulentia præ cæteris fastuosi, quibus inducta est phantasia, quod vetusti illi Patres essent. Sed sequimini me in vias exitus e palæstra hac, & sequuti sunt, & videbant quinquaginta hic & quinquaginta ibi, qui farciverant ventres cibariis usque ad nauseas, & concupiverunt redire ad familiaria domuum suarum, quidam ad sua munia, quidam ad sua negotia, & quidam ad suas operas: at multi a custodibus nemoris retenti & interrogati de diebus epulationis illorum, & num adhuc ad mensas cum Petro & cum Paulo comederint, & si prius exirent, hoc, quia, indecens est, futurum illis pudori: sed plerique respondebant, explevimus gaudia nostra, cibi facti sunt nobis insipidi, ac gustus torridus, fastidit illos stomachus, non sustinemus libare illos, protraximus aliquot dies & noctes in luxurie illa, impense rogamus ut emittamur; ac dimissi, anhelo spiritu & festino cursu aufugerunt domum. Post hæc Angelus vocavit viros cohortis, & in via docuit illos hæc de Cælo: in Cælo æque sicut in Mundo sunt Cibi & Potus, sunt Commessationes & Convivia; & apud Primores ibi sunt Mensæ super quibus sunt opimæ dapes, cupediæ & lautitiæ, quibus exhilarantur & recreantur animi; & sunt quoque Ludi & Spectacula; & sunt Musicalia & Cantica; & omnia illa in summa perfectione; talia sunt illis etiam in gaudia, sed non in felicitatem, hæc erit in gaudiis, & inde ex gaudiis; felicitas in gaudiis facit ut gaudia sint gaudia, opimat illa, & sustentat ne vilescant & fastidiantur; & hæc felicitas est cuivis ex usu in sua functione. Est aliqua vena in affectione voluntatis cujusvis Angeli latens, quæ attrahit mentem ad aliquid faciendum, mens per hoc tranquillat se, & satisfacit sibi; hæc satisfactio & illa tranquillitas faciunt statum mentis receptibilem amoris usus a Domino; ex receptione hujus est Felicitas cælestis, quæ est vita illorum gaudiorum, quæ prius memorata sunt. Cibus cælestis in sua essentia nec aliud est quam amor, sapientia & usus simul, hoc est, usus per sapientiam ex amore; quamobrem unicuivis in Cælo datur cibus pro corpore secundum usum, quem præstat, magnificus illis qui in eminente usu sunt, modicus sed exquisiti saporis illis qui in medii gradus usu sunt, & vilis illis qui in vili usu sunt, at nullus socordibus.

7. Post hæc ad se vocavit Cohortem Sapientum ita dictorum, qui Gaudia cælestia, & ex his Felicitatem æternam, in supereminentibus Dominiis, ac opulentissimis Gazis, inque super-regia magnificentia, & super-illustri splendore, posuerant, ex causa, quia in Verbo dicitur, quod futuri sint reges & principes, & quod regnaturi sint cum Christo in æternum, & quod ministrandi sint ab Angelis, præter plura: Angelus ad hos dixit, sequimini, & introducam vos in vestra gaudia; & introduxit in Porticum constructum ex columnis & pyramidibus: antrorsum erat humile Palatium, per quod patuit ingressus in Porticum; per hoc introduxit illos; & ecce visi sunt viginti hic & viginti ibi, & exspectabant: & subito tunc aderat quidam personatus Angelus, & dixit illis, per hunc Porticum est via ad Cælum, manete aliquantisper, & præparate vos, quia majorennes ex vobis futuri sunt Reges, ac minorennes futuri Principes.

His dictis, juxta quamlibet Columnam apparuit Thronus, & ſuper throno chlamys ex ſerico, & ſuper chlamyde ſceptrum & corona; & juxta quamlibet Pyramidem apparuit Solium tres cubitos a terra elevatum, & ſuper ſolio catena ex unculis auri, & equeſtris ordinis faſciæ, colligatæ ad fines adamantinis orbiculis. Et tunc clamatum eſt, ite nunc, amicite vos, ſedete & exſpectate: & actutum Majorennes accurrebant ad thronos, & Minorennes ad ſolia, & amiciverunt ſe, & repoſuerunt ſe: at tunc apparuit ſicut nimbus ex inferis aſcendens, ex quo attracto ſedentes ſuper thronis & ſoliis cæperunt tumeſcere facie, & elevari pectore, & impleri fiducia, quod nunc reges & principes ſint; nimbus ille erat aura phantaſiæ, qua inſpirati ſunt: & ſubito advolarunt juvenes ſicut ex Cælo, & conſtiterunt duo poſt quemlibet thronum, & unus poſt quodlibet ſolium, miniſtraturi; & tunc per vices a quodam præcone acclamatum eſt, vos reges & principes, exſpectate adhuc parum, apparantur nunc in Cælo aulæ veſtræ, jamjam venturi ſunt aulici cum ſatellitiis, & vos introducturi; exſpectabant & exſpectabant, uſque ut ſpiritus illorum anhelarent, & defatigarentur deſiderio. Poſt trihorium aperiebatur Cælum ſupra caput illorum, & deſpexerunt Angeli, & miſerti illorum, dixerunt, quare ſedetis ita fatui, & agitis hiſtriones, luſerunt ludibria vobiſcum, & ab hominibus mutaverunt vos in idola, ex cauſa quia induxiſtis in corda veſtra, quod regnaturi ſitis cum Chriſto ſicut reges & principes, & quod vobis tunc Angeli miniſtraturi ſint: num obliti eſtis verborum Domini, quod in Cælo qui vult magnus eſſe, fiat ſervus: diſcite ergo, quid per reges & principes, & quid per regnare cum Chriſto, intelligitur, quod ſit ſapere & facere uſus; Regnum enim Chriſti, quod eſt Cælum, eſt Regnum uſuum; nam Dominus amat omnes, ac inde vult omnibus bonum, ac bonum eſt uſus, & quia Dominus bona ſeu uſus facit mediate per angelos, & in Mundo per homines, ideo illis, qui fideliter uſus faciunt, dat amorem uſus, & ejus mercedem, quæ eſt beatitudo interna, & hæc eſt felicitas æterna. Sunt in Cælis, ſicut in terris, ſupereminentia Dominia, & opulentiſſimæ Gazæ; ſunt enim regimina & regiminum formæ, & ideo ſunt majores & minores poteſtates & dignitates; & illis qui in ſupremis ſunt, ſunt Palatia & Curiæ, quæ magnificentia & ſplendore excedunt palatia & curias Imperatorum & Regum in terris, & ex numero aulicorum, miniſtrorum, & ſatellitum, & ex horum magnificis veſtimentis, circumfluit illos honor et gloria: ſed Supremi illi ſunt electi ex illis, quorum cor eſt in ſalute publica, & ſolum ſenſus corporis in amplitudine magnificentiæ propter obedientiam: & quia ſalutis publicæ eſt, ut quiſque ſit aliquis uſus in ſocietate, ut in communi corpore, & quia omnis uſus eſt a Domino, & fit per angelos & per homines ſicut ab illis, patet quod hoc ſit regnare cum Domino. His auditis e Cælo, perſonati illi reges & principes deſcenderunt e thronis & ſoliis, & abjecerunt ſceptra, coronas, & chlamydes; & receſſit ab illis nimbus, in quo fuit aura phantaſiæ, & obvelavit illos nubes candida, in qua erat aura ſapientiæ, ex qua rediit ſanitas mentibus illorum.

8. Poſt hæc Angelus rediit ad Domum conventus ſapientum ex Chriſtiano Orbe, & ad ſe vocavit illos, qui ſibi induxerant fidem, quod gaudia Cæli &

Felicitas æterna essent delitiæ Paradisiacæ: his dixit, sequimini me, & introducam vos in Paradisum, Cælum vestrum, ut exordiamini beatitudines felicitatis æternæ vestræ; & introduxit illos per excelsam Portam, ex ramis & propaginibus nobilium arborum compaginatis exstructam: post introitum circumduxit illos per ambages a plaga in plagam; erat actualiter Paradisus in primo ingressu ad Cælum, in quem immittuntur illi, qui in Mundo crediderant quod universum Cælum sit unus Paradisus, quia vocatur Paradisus; ac qui impresserant sibi ideam, quod post mortem sit plenaria requies a laboribus, & quod requies hæc non aliud esset, quam animas delitiarum trahere, super rosis ambulare, ex mustis delicatissimis uvarum lætificari, ac festiva repotia celebrare; & quod hæc vita non detur nisi in Cælesti Paradiso. Ducti ab Angelo videbant ingentem multitudinem tam senum quam juvenum, & puerorum, & quoque mulierum & puellarum; triades & triades, ac decades & decades, sedentes super Rosetis flectentes serta, quibus ornarent capita senum, brachia juvenum, ac fasciatim pectora puerorum; alias legentes ex Arboribus fructus, & in calathis portantes ad sodalitia; alias exprimentes mustum ex uvis, cerasis & acinis in cyathos, & genialiter bibentes; alias attrahentes naribus fragrantias ex floribus, fructibus ac odoriferis foliis exhalatas & circumsparsas; alias canentes dulces odas quibus mulciebant præsentium auditus; alias sedentes ad fontes, & aquas salientis venæ derivantes in varias formas; alias ambulantes, confabulantes, & spargentes facetias; alias currentes, ludentes, saltantes hic in numeros, & ibi in orbes; alias ingredientes domunculas hortulanas, ut super spondis cubarent; præter plures alias lætitias paradisiacas. Postquam hæc visa sunt, duxit Angelus comites suos per circuitus huc illuc, ac ultimo ad sedentes in pulcherrimo Roseto circumcincto arboribus olivæ, aurantii, & citri, qui nutantes tenebant manus sub genis, lugentes, & lachrymantes; hos alloquuti sunt comites Angeli, & dixerunt, cur ita sedetis; & responderunt, est nunc septimus dies a quo in hunc Paradisum venimus; cum intravimus, visa est mens nostra sicut elevata in Cælum, ac immissa in intimas ejus gaudiorum faustitates; sed post triduum cæperunt faustitates illæ hebescere, & in mentibus nostris aboleri, ac fieri insensibiles, & sic nullæ; & cum ita exspirata sunt imaginaria nostra gaudia, timebamus jacturam omnis jucunditatis vitæ nostræ, & facti simus ambigui de felicitate æterna, num sit aliqua; & postea vagati sumus per vias & areas, quæsituri portam per quam intravimus; sed vagati sumus per gyros & gyros, ac interrogavimus obvios, ex quibus aliqui dixerunt, quod porta non inveniatur, quia Paradisiacus hic hortus est spatiosus Labyrinthus, qui talis est, ut qui vult exire, penitius intret; quare non potestis aliter quam hic manere in æternum; vos estis in medio ejus, ubi omnes delitiæ sunt in suo centro: & porro dixerunt ad comites Angeli, hic nunc per unum diem & dimidium sedimus, & quia absque spe inveniendi exitum sumus, reposuimus nos super Roseto hoc, & spectamus circum nos in copia olivas, uvas, aurantia & citros; sed quo plus illa spectamus, eo plus delassatur visus videndo, odoratus odorando, & gustus gustando; hæc causa est mæstitiæ, luctus, & lachrymationis, in quibus vos videtis nos. His auditis, Angelus cohortis

dixit

dixit illis, eſt hic Labyrinthus Paradiſiacus vere introitus in Cælum, novi exitum, & educam vos; his dictis, ſedentes ſurrexerunt, & amplexi Angelum, & una cum cohorte ejus comitati ſunt illum; & Angelus in via docuit illos, quid Gaudium cæleſte & inde Felicitas æterna, quod non ſint Delitiæ paradiſiacæ externæ, niſi ſimul cum illis ſint Delitiæ paradiſiacæ internæ; delitiæ paradiſiacæ externæ ſunt modo delitiæ ſenſuum corporis, at delitiæ paradiſiacæ internæ ſunt delitiæ affectionum animæ, hæ niſi in illis ſint, non eſt vita cæleſtis, quia non eſt anima in illis: & omne delitium abſque ſua correſpondente anima, ex continuo elangveſcit & torpeſcit, & plus delaſſat animum quam labor. Sunt ubivis in Cælis Horti paradiſiaci, & ex his etiam ſunt gaudia Angelis, & quantum in illis eſt delitium animæ, tantum ſunt illa gaudia illis gaudia. His auditis, quæſiverunt omnes, quid eſt delitium animæ, & unde hoc, reſpondit Angelus, delitium animæ eſt ex amore & ſapientia a Domino, & quia amor eſt efficiens, & eſt efficiens per ſapientiam, ideo eſt utriuſque ſedes in effectu, & effectus eſt uſus: hoc delitium a Domino influit in animam, & deſcendit per ſuperiora & inferiora mentis in omnes ſenſus corporis, & implet ſe in illis, inde gaudium fit gaudium, & fit æternum ab Æterno a Quo. Vidiſtis Paradiſiaca, & aſſevero vobis, quod non aliquid ibi ſit, ne quidem foliolum, quod non eſt ex conjugio amoris & ſapientiæ in uſu, quare ſi homo in hoc eſt, eſt in Paradiſo Cæleſti, ita in Cælo.

9. Poſt hæc Angelus ductor rediit in Ædem, ad illos, qui firmiter ſibi perſuaſerant, quod Gaudium cæleſte & Felicitas æterna ſit perpetua Glorificatio Dei, ac in æternum perennans Feſtum; ex cauſa, quia in Mundo crediderant, quod tunc viſuri ſint Deum, & quia vita Cæli ex cultu Dei vocatur perpetuum Sabbathum. His Angelus dixit, ſequimini me, & introducam vos in gaudium veſtrum, & introduxit illos in parvam urbem, in cujus medio erat Templum, & omnes domus vocabantur ædes ſacræ. In illa urbe viderunt affluentiam ex omni angulo terræ circumjacentis, & inter illos numerum Sacerdotum, qui venientes ſuſcipiebant, ſalutabant, & prehenſos manibus ducebant ad portas Templi, & inde in aliquas ædes circum Templum, & initiabant illos in perennem cultum Dei; dicentes, quod hæc urbs ſit atrium ad Cælum, & quod hujus urbis Templum ſit introitus ad magnificum & ampliſſimum Templum quod in Cælo eſt, ubi Deus precibus & laudibus ab Angelis glorificatur in æternum: ſtatuta hic & ibi ſunt, quod primum intraturi ſint Templum, & commoraturi ibi tres dies & tres noctes, & quod poſt hoc initiamentum ingreſſuri ſint in hujus urbis domos, quæ ſunt totidem a nobis ſanctificatæ ædes, & ab æde in ædem, & in communione cum congregatis ibi, oraturi, clamaturi, & recitaturi concionata: omnino cavete vobis, ne aliud in vobis cogitetis, & cum conſociis loquamini, quam ſancta, pia & religioſa. Poſt hæc introduxit Angelus comitatum ſuum in Templum, quod erat plenum & conſtipatum multis, qui in magna dignitate in Mundo fuerant, & quoque multis ex plebe, & præſidia ad portas collocata erant, ne cuiquam ante commorationem trium dierum liceret exire; & dixit Angelus, eſt hodie ſecundus dies, a quo hi ingreſſi ſunt, luſtrate illos, & glorificationem Dei illorum videbitis; & luſtrabant,

bant, & viderunt plerosque dormientes, & qui evigilati sunt, oscitantes & oscitantes, & quosdam ex continua elevatione cogitationum ad Deum, & ex nullo relapsu illarum in corpus, sicut facies reclusas a corpore, ita enim sibi apparebant, & inde etiam aliis; quosdam deliros oculis ex perpetua subtractione illorum; verbo, omnes compressos pectore, & lassos spiritu ex tædio, & aversos a pulpito, & clamantes, stupescunt aures nostræ, finite conciones, non auditur amplius vox, & incipit fastidiri sonus: & tunc surrexerunt, & in globo concurrerunt ad portas, effregerunt illas, & urgebant in præsidia, & abigebant illa. His visis, Sacerdotes sequuti sunt illos, & adjunxerunt se lateribus illorum, docentes & docentes, orantes, suspirantes, dicentes, celebrate Festum, glorificate Deum, sanctificate vos, in atrio hoc Cæli inaugurabimus vos in æternam Glorificationem Dei in magnifico & amplissimo Templo, quod in Cælo est, & sic ad fruitionem æternæ felicitatis. Sed hæc ab illis non intellecta, & vix audita sunt, propter hebetudinem ex duorum dierum suspensione mentis, & retentione a domesticis & forensibus. Sed cum se a Sacerdotibus avellere conati sunt, sacerdotes apprehendebant brachia illorum, & quoque vestes, urgentes ad ædes, ubi concionata recitarentur, sed frustra, & clamabant, relinquite nos, sentimus in corpore sicut deliquium. His dictis, ecce visi sunt quatuor Viri in candidis vestibus, & in tiaris; unus ex illis fuerat in Mundo Archi Episcopus, & tres reliqui fuerant Episcopi, nunc facti Angeli: hi convocabant Sacerdotes, & alloquuti illos dixerunt, vidimus vos e Cælo cum ovibus his, quomodo vos pascitis illos, pascitis illos usque ad insanias; nescitis quid per Glorificationem Dei intelligitur, intelligitur fructus amoris ferre, hoc est, fideliter, sincere, & sedule suæ functionis opus facere, hoc enim est amoris Dei, & amoris proximi, & hoc est vinculum Societatis, & bonum ejus; per hoc glorificatur Deus, & tunc per cultum statis temporibus; annon legistis hæc Domini verba, *In hoc* GLORIFICATUR PATER MEUS, *ut fructum multum feratis, & reddamini discipuli mei*, Joh. XV: 8. Vos Sacerdotes potestis in cultus glorificatione esse, quia hoc est vestrum munus, & inde est vobis honor, gloria & remuneratio, sed usque vos non potestis plus quam illi in ea glorificatione esse, nisi honor, gloria, & remuneratio una cum vestro munere sint. His dictis Episcopi mandabant custodibus portæ, ut intromitterent omnes, & emitterent omnes, est enim multitudo, qui non aliud gaudium Cæleste, quam perpetuum cultum Dei, potuerunt cogitare, quia non sciverunt aliquid de statu Cæli.

10. Post hæc Angelus cum suis comitibus rediit ad locum conventus, a quo cohortes Sapientum nondum recesserunt, & ibi ad se vocavit illos, qui crediderunt, quod gaudium cæleste & felicitas æterna, sit modo intromissio in Cælum, ac intromissio ex Divina gratia; & quod tunc gaudium sit illis, similiter ut in Mundo est illis, qui in aulas Regum diebus festivitatis, aut in nuptias invitati, ingrediuntur: his dixit Angelus, manete hic aliquantisper, & sonabo tuba, & huc venient incluti fama sapientiæ in spiritualibus Ecclesiæ: post aliquot horas aderant novem viri, quisque insignitus lauru, adorea famæ suæ; hos Angelus introduxit in Ædem conventus, in qua omnes prius convoca-

ti

ti aderant; in horum præsentia Angelus alloquutus novem laureatos, dixit, scio quod vobis ex voto vestro secundum ideam vestram, datum sit ascendere in Cælum, & quod redieritis in inferiorem hanc seu subcælestem terram, cum plena scientia de statu Cæli; commemorate itaque, quale vobis visum est Cælum: & responderunt in ordine, & dixit PRIMUS; idea mea de Cælo a prima pueritia usque ad finem vitæ in Mundo, fuerat, quod esset locus omnium beatitudinum, faustitatum, jucunditatum, amænitatum, & voluptatum; & quod si intromitterer, talium felicitatum aura circumfunderer, & pleno pectore haurirem illa, sicut sponsus cum celebrat nuptias, ac cum intrat thalamum cum sponsa; in hac idea ascendi in Cælum, & transivi primas custodias, & quoque secundas, at cum ad tertias veni, alloquebatur me custodiarum præfectus, & dixit, quis es amice, & respondi, estne hic Cælum, huc ex voto desiderii mei ascendi, intromitte quæso, ac intromisit; & vidi Angelos in vestibus albis, & hi me circumibant, & lustrabant, & murmurabant hoc, en novum hospitem non indutum veste Cæli, & ego hæc audivi, & cogitavi, hoc apparet mihi simile cum illo, de quo Dominus dicit, quod absque veste nuptiali intraverit in nuptias, & dixi, date mihi tales vestes; & riserunt; & tunc accurrit unus ex Curia cum mandato, exuite illum nudum, ejicite illum, & projicite vestes ejus post illum; & sic ejectus sum. SECUNDUS in ordine dixit, ego credidi sicut ille, quod si modo intromitterer in Cælum, quod supra caput meum est, circumfluerent me gaudia, & animarem illa in æternum; optato etiam potitus sum; at Angeli, me viso aufugerunt, & inter se dixerunt, quid hoc portentum, quomodo huc venit Avis noctis; & actualiter sensi mutationem ab homine, tametsi non mutatus sum, hoc mihi erat ex attractione cælestis athmosphæræ: at mox accurrit unus ex Curia cum mandato, ut duo famuli educerent me, & reducerent per viam ascensus, usque ad domum meam; & cum domi eram, apparui aliis & mihi sicut homo. TERTIUS dixit, idea Cæli constans mihi fuit ex loco, & non ex amore, quare cum in hunc mundum veni, cupivi cupiditate magna Cælum, & vidi ascendentes, & sequutus sum illos, & admissus, sed non ultra aliquot passus; at cum volui lætificare animum meum ex idea gaudiorum & beatitudinum ibi, ex luce Cæli, quæ erat candida sicut nix, cujus essentia dicitur esse sapientia, invasit mentem meam stupor, & inde oculos meos caligo, & cæpi insanire; & mox ex calore Cæli, qui correspondebat candori lucis istius, cujus essentia dicitur esse amor, palpavit mihi cor, occupavit me anxietas, & cruciabar dolore interiori, & projeci me supinum super humum ibi; & cum jacui, venit satelles e Curia cum mandato, ut me cum lentore deportarent in meam lucem & in meum calorem, in quæ cum veni, rediit mihi spiritus meus & cor meum. QUARTUS dixit, quod etiam ipse in idea loci, & non in idea amoris de Cælo fuerit, & quod ut primum in Mundum spiritualem veni, quæsiverim sapientes, num in Cælum liceat ascendere, qui mihi dixerunt, quod cuivis liceat, sed ut sibi caveant, ne dejiciantur: ad hæc risi, & ascendi, credens ego sicut alii, quod omnes in universo Mundo receptibiles essent gaudiorum ibi in sua plenitudine: sed sane cum intus eram, pæne exanimatus sum, & ex dolore & inde cruciatu

in capite & in corpore, proſtravi me humi, & convolvi me ſicut ſerpens admotus igni, & repſi uſque ad præcipitium, & per id me dejeci; & poſtea ſublatus ſum ab adſtantibus infra, & delatus in diverſorium, ubi rediit ſanitas mihi. Reliqui quinque etiam narraverunt mirabilia de ſuis aſcenſibus in Cælum; & comparabant mutationes ſtatuum ſuæ vitæ, cum ſtatu piſcium dum elevantur ab aquis in aerem, & cum ſtatu avium in æthere; & dixerunt, quod poſt duras illas ſortes, non concupiverint amplius cælum, ſed modo conſortem vitam cum ſui ſimilibus ubicunque ſunt; & quod ſciant, quod in Mundo ſpirituum, ubi nos ſumus, omnes prius præparentur, boni ad Cælum, & mali ad Infernum, & quod cum præparati ſunt, videant vias ſibi apertas ad Societates ſui ſimilium, cum quibus in æternum manſuri ſunt, & quod has vias tunc intrent cum jucundo, quia ſunt viæ amoris illorum. Omnes ex prima Convocatione audientes hæc, etiam faſſi ſunt, quod nec illis alia idea de Cælo fuerit, quam ſicut de loco, ubi pleno ore circumflua gaudia in æternum forberent. Poſt hæc Angelus tubæ dixit illis, videtis nunc quod gaudia Cæli & felicitas æterna non ſint loci, ſed quod ſint ſtatus vitæ hominis; ac ſtatus vitæ cæleſtis eſt ex amore & ſapientia; & quia uſus eſt duorum illorum continens, eſt ſtatus vitæ cæleſtis ex conjunctione illorum in uſu: idem eſt, ſi dicatur Charitas, Fides & Bonum Opus, quoniam Charitas eſt Amor, Fides eſt Veritas ex qua Sapientia, & Bonum Opus eſt Uſus: præterea in Mundo noſtro Spirituali ſunt loca ſicut in Mundo naturali, alioquin non forent habitationes & diſtinctæ manſiones, at uſque locus ibi non eſt locus, ſed eſt apparentia loci ſecundum ſtatum amoris & ſapientiæ, ſeu charitatis & fidei. Omnis, qui fit angelus, intus in ſe portat ſuum cælum, quia ſui Cæli amorem; nam homo a creatione eſt minima effigies, imago & typus Cæli magni; forma humana non aliud eſt; quare quiſque venit in ſocietatem Cæli, cujus forma in ſingulari effigie eſt; idcirco cum intrat in illam ſocietatem, intrat in correſpondentem ſibi formam, ita ſicut a ſe in ſe-illam, & ſicut ab illa in illam in ſe, ac trahit vitam ejus ut ſuam, ac ſuam ut ejus; eſt unaquævis ſocietas ſicut Commune, ac Angeli ibi ſunt ſicut partes ſimilares, ex quibus Commune coexiſtit. Ex his nunc ſequitur, quod qui in malis & inde falſis ſunt, in ſe formaverint effigiem Inferni, & hæc cruciatur in Cælo ex influxu & violentia activitatis oppoſiti in oppoſitum; amor enim infernalis eſt oppoſitus amori Cæleſti, & inde jucunda duorum amorum illorum collidunt inter ſe ſicut hoſtes, & necant ſe cum congrediuntur.

11. His peractis audita eſt vox e Cælo ad Angelum tubæ, elige decem ex omnibus convocatis, & introduc illos ad nos; audivimus a Domino, quod præparaturus ſit illos, ne calor & lux, ſeu amor & ſapientia noſtri Cæli, per tres dies inferant illis aliquam noxam; & electi ſunt decem, & ſequuti Angelum; & aſcenderunt per tramitem clivoſum in quendam collem, & ab hoc in Montem, ſuper quo erat illorum Angelorum Cælum, quod prius ad diſtantiam apparuerat illis ſicut Expanſum in nubibus: & aperiebantur pro illis portæ, & poſtquam tranſiverunt tertiam, Angelus introductor cucurrit ad Principem Societatis ſeu Cæli illius, & annuntiavit adventum illorum; & Princeps reſpondit,

dit, assume aliquos ex satellitio meo, & renuntia illis, quod adventus illorum mihi sit acceptus, & introduc illos in Anticuriam meam, & distribue cuivis suum conclave cum suo cubiculo; & ex aulicis meis desume aliquos, & ex famulis qui ministrent illis, & qui serviant illis ad nutus; & factum est ita. At cum introducti sunt ab Angelo, quæsiverunt num liceat adire & videre Principem; & respondit Angelus, est nunc mane, & non licet ante tempus meridiei; sunt omnes eousque in suis officiis & suis operis; sed invitati estis ad prandium; & tunc ad mensam cum Principe nostro sedebitis: interea introducam vos in illius Palatium, ubi videbitis magnifica & splendida.

12. Cum adducti sunt ad Palatium, primum viderunt illud ab extra, erat amplum, structum ex porphyrite, & substructum ex jaspide, & ante portam sex columnæ altæ ex lapide lazuli, tectum ex laminis auri, fenestræ altæ ex pellucidissimo chrystallo, harum postes etiam ex auro. Post hoc, introducti sunt intus in Palatium, & circumducti a conclavi in conclave, & viderunt ornamenta ineffabilis decoris, sub tectis decoramenta cælaturæ inimitabilis; juxta parietes positas mensas ex argento conflato cum auro, super quibus erant varia utensilia ex lapidibus pretiosis, & ex integris gemmis in formis cælestibus; & plura, quæ non aliquis oculus in terris viderat, & inde nec aliquis sibi fidem inducere potuerat, quod talia in Cælo sint. Cum in stupore ex visis magnificis illis erant, dixit Angelus, ne miremini, hæc quæ videtis, non sunt aliqua manu angelica facta & fabricata, sed sunt condita ab Opifice Universi, & muneri data Principi nostro; quare hic est Ars architectonica in ipsa sua arte, & ex hac sunt omnes hujus artis regulæ in Mundo. Porro dixit Angelus, vos potestis autumare, quod talia fascinent oculos nostros, ac infatuent illos, usque ut credamus illa nostri Cæli gaudia esse; sed quia corda nostra non in illis sunt, sunt modo accessoria gaudiis cordium nostrorum, ideo quantum contemplamur illa ut accessoria, ac ut opificia Dei, tantum contemplamur Divinam Omnipotentiam & Clementiam in illis.

13. Post hæc Angelus dixit illis, nondum est Meridies diei, venite mecum in Principis nostri Hortum, Palatio huic contiguum, & iverunt, ac in introitu dixit, en Hortus magnificus præ hortis in Cælesti hac Societate; at responderunt, quid dicis, non hic est Hortus, videmus modo unam Arborem, ac in ramis & in vertice ejus sicut fructus ex auro, & sicut folia ex argento, & horum oras exornatas smaragdis; & sub illa Arbore infantes cum alumnis illorum. Ad hæc Angelus voce inspirata dixit; hæc Arbor est in medio Horti, & a nobis vocatur Arbor nostri Cæli, & a quibusdam Arbor vitæ. Sed pergite, & appropinquate, & aperientur oculi vestri, & videbitis Hortum; ac fecerunt ita, & aperti sunt oculi, & videbant Arbores uberrimas fructibus saporis, circumligatas vitibus pampineis, quarum vertices cum fructibus nutabant versus Arborem vitæ in medio. Arbores hæ in continua serie consitæ erant, quæ exibat & pergebat in perennes orbes seu gyros sicut perpetuæ helicis, erat perfecta Helix arborea, in qua species post species continue secundum nobilitates fructuum sequebantur: principium circumgyrationis distabat ab Arbore in medio insigni intervallo, ac intervallum coruscabat jubare lucis, ex

quo

quo arbores gyri ſplendebant ſplendore ſucceſſivo & continuato a primis ad ultimas: primæ arbores erant omnium præſtantiſſimæ, fructibus opimis luxuriantes, vocatæ Paradiſiacæ, nuſquam viſæ quia non datæ nec dabiles in terris Mundi naturalis; poſt has excipiebant arbores olei; poſt has arbores vini; poſt has arbores fragrantiæ; ac ultimo arbores ligni utiles ad fabricas. Hic & ibi in hac Helice arborea ſeu in hoc gyro erant Sedilia formata exadductis & complicatis propaginibus arborum a tergo, ac opimata & exornata fructibus illarum. In perpetuo illo Orbe arboreo erant oſtia, quæ patebant in floreta, & ab his in vireta, diſtincta in areas & toros. Comites Angeli his viſis exclamabant, en Cælum in forma; quocunque vertimus acies oculorum noſtrorum, influit aliquid Cæleſte Paradiſiacum, quod eſt ineffabile. His auditis Angelus gaviſus eſt, & dixit, omnes Horti noſtri Cæli ſunt Formæ repræſentativæ ſeu Typi beatitudinum cæleſtium in ſuis originibus, & quia influxus harum beatitudinum elevavit mentes veſtras, clamaviſtis, en Cælum in forma; at illi, qui non recipiunt illum influxum, ſpectant Paradiſiaca hæc non aliter quam ſylveſtria; & omnes illi recipiunt influxum, qui in amore uſus ſunt; at illum non recipiunt, qui in amore gloriæ ſunt, & non ex uſu. Poſtea expoſuit & docuit, quid ſingula Horti iſtius repræſentabant & ſignificabant.

14. Cum in his erant, venit nuntius a Principe, qui invitavit illos ad comedendum panem ſecum; & ſimul tunc duo ſatellites aulæ apportabant veſtes byſſi, & dixerunt, induite has, quia nemo ad menſam Principis admittitur niſi indutus veſtibus Cæli; & accinxerunt ſe, & comitati ſunt Angelum ſuum, & introducebantur in Hypethrum, ambulatorium Palatii, & exſpectabant Principem; & ibi Angelus inſertabat illos conſortiis cum Magnatibus & Moderatoribus, qui etiam præſtolabantur Principem: & ecce poſt horulam apertæ ſunt fores, & per unam latiorem ab Occidente viderunt Ejus introitum in ordine & pompa proceſſionis: præibant illum Conſiliarii a latere, poſt hos Conſiliarii a cameris, & poſt hos Primarii ex aula: in horum medio fuit Princeps, & poſt illum aulici variæ diſtinctionis, & ultimo ſatellites; omnes connumerati ad centum & viginti. Angelus ſtans ante decem novos advenas, ex veſtitu tunc apparentes ut inquilini; acceſſit cum illis ad Principem, & reverenter adduxit illos; & Princeps in procedendo non moratus, dixit illis, venite mecum ad panem, & ſequuti ſunt in Triclinium, & viderunt Menſam magnifice apparatam, in medio ejus excelſam Pyramidem ex auro cum centum ſcutellis in triplici ordine ſuper formis ſuis, ſuper quibus erant panes ſacharini, & muſta vinorum concreta, cum aliis lautitiis ex pane & vino confectis; ac per mediam Pyramidem ſcaturivit ſicut fons ſaliens cum vino nectareo, cujus vena ex ſummitate Pyramidis diſperſit ſe, & cyathos implevit. Ad latera hujus excelſæ Pyramidis erant variæ formæ cæleſtes ex auro, ſuper quibus erant patinæ & patellæ cibis omnis generis refertæ: formæ cæleſtes, ſuper quibus patinæ & patellæ, erant formæ artis ex ſapientia, quæ in Mundo non aliqua arte exarari, nec voce deſcribi poſſunt: patinæ & patellæ erant ex argento, circumcælatæ ſimilibus formis in plano cum ſuſtentaculis ſuis; cyathi erant ex gemmis pellucentibus: talis erat apparatus Menſæ.

15. Amic-

15. Amictus autem Principis & ejus Ministrorum erat hic: Princeps indutus erat Talari coloris purpurei, insignito stellis acupictis coloris argentei; sub talari cinctus erat tunica ex serico lucente coloris hyacinthini; hæc erat circa pectus aperta, ubi anterior pars cujusdam zonæ cum Insigni suæ Societatis visa est; Insigne erat Aquila super pullis in vertice arboris cubans; hoc erat ex fulgente auro circumcincto adamantibus. Consiliarii a latere erant non dissimiliter amicti, sed absque illo Insigni, loco ejus erant sculpti sapphiri e collo ex aureo torque pendentes. Aulici erant in togis coloris badii, quibus intertexti erant flores circum aquilinos pullos; tunicæ sub illis ex serico coloris opalini; similiter femoralia & tibialia. Talis erat Vestitus illorum.

16. Circumstabant mensam Consiliarii a latere, & Consiliarii a cameris, & Moderatores, & ex jussu Principis complicabant manus, & simul susurrabant laudem votivam ad Dominum, & post hanc ex nutu Principis se super toris ad mensam reposuerunt; & dixit Princeps ad decem advenas, discumbite etiam vos mecum, ecce ibi sedes vestræ; & discubuerunt; & aulici prius a Principe missi ad ministrandum illis, adstabant illis a tergo; & tunc dixit illis Princeps, sumite quisque patellam ex orbibus suis, & postea quisque scutellam ex Pyramide; & desumserunt, & ecce illico novæ patellæ & scutellæ loco illarum superimpositæ apparebant; ac cyathi illorum ex fonte saliente e magna Pyramide vino implebantur; & comedebant & bibebant. Post mediam satietatem alloquebatur Princeps decem invitatos, & dixit, audivi quod in terra, quæ sub hoc Cælo est, convocati fueritis ad aperiendum cogitationes vestras de Gaudiis cæli & inde Felicitate æterna, & quod protuleritis illas diversimode, quisque secundum jucunda sensuum corporis sui; sed quid jucunda sensuum corporis absque jucundis animæ, est anima quæ jucundat illa; jucunda animæ in se sunt beatitudines imperceptibiles, sed fiunt plus & plus perceptibiles, sicut descendunt in cogitationes mentis, & ab his in sensationes corporis; in cogitationibus mentis percipiuntur sicut faustitates, in sensationibus corporis sicut jucunditates, & in ipso corpore sicut voluptates; ex his & illis simul est Felicitas æterna; at ex solis posterioribus illa Felicitas non est æterna, sed temporaria, quæ finitur & transit, & quandoque fit infelicitas. Vidistis nunc quod omnia gaudia vestra etiam sint gaudia cæli, & excellentiora quam usquam cogitare potuistis, sed usque hæc non interius afficiunt animos nostros. Sunt tria, quæ ut unum influunt a Domino in animas nostras; hæc tria ut unum, seu hoc trinum, sunt amor, sapienta, & usus, at amor & sapientia non existunt nisi idealiter, quia solum in affectione & cogitatione mentis, sed in usu realiter, quia simul in actu & opere corporis; & ubi realiter existunt, ibi etiam subsistunt; & quia amor & sapientia existunt & subsistunt in usu, est usus qui nos afficit, ac usus est fideliter, sincere & sedule obire suæ functionis opera; amor usus, & inde studium in usu, continet mentem ne diffluat, & ne circumvagetur, & hauriat omnes cupiditates, quæ e corpore & e mundo per sensus cum illecebris influunt, ex quibus vera Religionis & vera Moralitatis cum suis bonis dissipantur in omnes ventos; at studium mentis in usu continet & colligat illa, & disponit mentem in formam re-

receptibilem ſapientiæ ex veris illis; & tunc a lateribus exterminat & falſitatum & vanitatum ludibria & ludicra. Sed plura de his audietis ex ſapientibus noſtræ Societatis, quos poſt meridiem hanc mittam ad vos. His dictis ſurrexit Princeps, & una cum illo convivæ, ac pacem dixit, & mandavit Angelo illorum ductori, ut reduceret illos in ſua conclavia, & illis omnes honores civilitatis exhiberet; & quoque ut vocaret viros urbanitatis & affabilitatis, qui illos ſermone de variis gaudiis hujus Societatis oblectarent.

17. Cum redierunt, factum eſt ita, & vocati ex urbe, qui ſermone de variis gaudiis Societatis oblectarent illos, venerunt, & hi poſt ſalutationes ambulando loquebantur elegantias cum illis; ſed Angelus ductor illorum dixit, quod decem hi viri invitati ſint in hoc cælum, ut videant Gaudia ejus, & inde novam ideam de Felicitate æterna recipiant; commemorate ergo aliqua de gaudiis ejus, quæ afficiunt ſenſus corporis; poſtea venturi ſunt Sapientes, qui memorabunt aliqua, quæ illa gaudia reddunt fauſta & felicia; his auditis vocati ex urbe commemorabant hæc. Sunt hic dies feſtivitatis indicti a Principe, ut animi relaxentur a defatigatione, quam cupiditas æmulationis aliquibus induxerat; his diebus ſunt Harmoniæ muſicæ & Cantus in foris, & extra urbem Ludi & Spectacula; in Foris tunc ſunt elevatæ Orcheſtræ circumductæ cancellis confertis ex vitibus, e quibus pendent botri, intra quos in tribus elevationibus ſedent Muſici cum inſtrumentis chordæ, & cum inſtrumentis ſoni, vocis altæ & vocis humilis, ac vocis ſtrenuæ & vocis blandæ, & ad latera ſunt Cantores & Cantrices, & cum amæniſſimis jubilis & cantibus, mixtis & ſolis, per intervalla quoad ſpecies variatis, cives oblectant; hæc ibi diebus illis feſtivitatis a mane ad meridiem, & poſt hanc ad veſperam, perſiſtunt. 2. Præterea unoquovis mane e domibus circum Fora audiuntur ſuaviſſimi Cantus virginum & puellarum, ex quibus tota urbs perſonat; eſt una affectio amoris ſpiritualis, quæ quovis mane cantatur, hoc eſt, per modificationes vocis canoræ ſeu modulationes ſonatur, & affectio illa in cantu percipitur ſicut ipſa foret; influit in audientium animas, & excitat illas ad correſpondentiam; talis eſt cantus cæleſtis; dicunt cantrices, quod ſonus cantus illarum ſe ſicut inſpiret & animet ex interiori, & jucunde exaltet, ſecundum receptionem ab audientibus: hoc finito, clauduntur feneſtræ domuum Fori, & ſimul domuum platearum, & quoque januæ, & tunc ſilet tota urbs, nec ullibi auditur clamor, nec apparent vagabundi, omnes tunc accincti obeunt munia ſuorum officiorum. 3. At tempore meridiei aperiuntur januæ, & poſt meridiem etiam alicubi feneſtræ, & ſpectantur ludi puerorum & puellarum in plateis, moderantibus illos alumnis & magiſtris illorum, ſedentibus in porticibus domuum. 4. Ad latera urbis in ejus extremis, ſunt varii ludi puerorum & adoleſcentum; ſunt ludi curſorii, ſunt ludi cum pilis; ſunt ludi cum pilaminibus repercuſſis, rachets, vocatis; ſunt certamina palæſtrica inter pueros, quis impigrior & quis pigrior loquendo, agendo & percipiendo; & pro impigrioribus aliqua folia laurus in præmium; præter plura alia, quæ ſunt excitatoria habilitatum in pueris latentium. 5. Inſuper extra urbem ſunt Spectacula comædorum ſuper theatris, repræſentantium varias vitæ moralis honeſtates & virtutes, inter quos etiam ſunt hiſtrio-

histriones propter relationes; & quæsivit unus ex decem, quid propter relationes, & responderunt, non potest aliqua virtus cum ejus honestis & decoris sisti ad vivum, nisi per relativa ab illorum maximis ad minima, histriones repræsentant minima illorum usque dum fiunt nulla; sed lege sancitum est, ne aliquid oppositi, quod vocatur inhonestum & indecorum, nisi figurate & sicut e longinquo exhibeant: quod ita sancitum sit, est causa, quia non aliquod honestum & bonum alicujus virtutis per successivas progressiones transit ad inhonestum & malum, sed ad minima ejus usque dum perit, & cum perit inchoat oppositum; quare Cælum, ubi omnia honesta & bona sunt, nihil commune habet cum inferno, ubi omnia inhonesta & mala sunt.

18. Inter loquendum famulus accurrit & nuntiavit, quod octo Sapientes ex jussu Principis adsint, & velint intrare, quo audito Angelus exivit, & excepit illos, & introduxit; & mox Sapientes post consociationis solennia & decora, primum loquebantur cum illis de sapientiæ initiis & incrementis, quibus immiscuerunt varia de ejus successu, & quod sapientia apud angelos nusquam finem habeat & desinat, sed quod crescat & augeatur in æternum. His auditis Angelus cohortis dixit illis, Princeps noster ad mensam loquutus est cum illis de sapientiæ sede, quod sit in usu, loquamini, si placet, cum illis etiam de eo: & dixerunr, homo primum creatus, imbutus est sapientia & ejus amore, non propter se, sed propter cummunicationem ejus cum aliis a se; inde sapientiæ sapientum inscriptum est, ut non quisquam sibi soli sapiat & vivat nisi simul aliis; inde Societas, quæ alioquin non foret; vivere aliis est usus facere; usus sunt vincula ejus, quæ totidem sunt quot usus boni, ac usus sunt numero infiniti; sunt usus spirituales qui sunt amoris in Deum, & amoris erga proximum; sunt usus morales & civiles, qui sunt amoris societatis & civitatis in qua homo est, ac sociorum & civium cum quibus est; sunt usus naturales, qui sunt amoris mundi & ejus necessitatum; & sunt usus corporei, qui sunt amoris conservationis sui propter superiores usus. Omnes hi usus inscripti sunt homini, & sequuntur in ordine, unus post alterum, & cum simul sunt, unus est in altero: illi qui in primis usibus sunt, qui sunt spirituales, etiam in sequentibus sunt, & hi sunt sapientes; illi autem qui non in primis, & usque in secundis & inde sequentibus sunt, non ita sapientes sunt, sed solum ex moralitate & civilitate externa apparent sicut sint; illi qui non in primis & secundis sunt, sed in tertiis & quartis, nihil minus quam sapientes sunt, nam sunt satanæ, amant enim solum mundum, & se ex mundo; at illi qui modo in quartis sunt, omnium minime sapientes sunt, sunt enim diaboli, quia sibi solis vivunt, & si aliis, est unice propter se. Præterea cuivis amori est suum jucundum, vivit enim amor per hoc, ac jucundum amoris usuum est jucundum cæleste, quod sequentia jucunda ordine intrat, & secundum ordinem successionis exaltat illa, ac æternat illa: post hæc enumeraverunt Delitias cælestes procedentes ex amore usus, & dixerunt quod sint myriades myriadum, & quod in illas intrent qui in Cælum: & porro de amore usus per sermones sapientiæ protaxerunt diem cum illis usque ad vesperam.

19. Sed circa vesperam venit cursor amictus linteo ad decem advenas co-

mites angeli, ac invitavit illos ad Nuptias sequente die celebrandas; & advenæ valde lætati sunt, quod etiam visuri sint nuptias in Cælo. Post hoc, ducti sunt ad quendam Consiliarium a latere, & cænaverunt cum illo, & post cænam redierunt, & secesserunt ab invicem, quisque in suum cubiculum, & dormiverunt usque ad mane; & tunc evigilati audiebant Cantum virginum & puellarum e domibus circum Forum, de quo supra; canebatur tunc affectio amoris conjugialis; ex cujus suavitate penitus affecti & perciti, percipiebant beatam amænitatem insitam gaudiis suis, quæ elevabat illa, & innovabat illa. Cum tempus erat, dixit Angelus, accingite vos, & induite vestes Cæli, quas Princeps noster ad vos miserat; ac induerunt, & ecce vestes splendebant sicut ex luce flammea; & quæsiverunt Angelum, unde hoc, respondit, quia ad nuptias ituri estis, apud nos tunc splendent vestes, & fiunt nuptiales.

20. Post hæc duxit Angelus illos ad Domum nuptiarum, & janitor aperuit fores; & mox intra limen recepti & salutati ab angelo misso a Sponso, ac introducti sunt, & adducti ad sedes pro illis designatas; & mox invitati in Antithalamum, ubi viderunt in medio Mensam, super qua positum erat magnificum Candelabrum instructum septem calamis & schyphis ex auro; & ad parietes pendebant Lychnaria ex argento; ex quibus accensis apparuit athmosphæra sicut aurea: & viderunt ad latera Candelabri binas Mensas, super quibus in triplici ordine repositi erant Panes; & in quatuor angulis Mensas, super quibus erant Cyathi chrystallini. Dum illa lustrabant, ecce aperiebatur janua e conclavi juxta thalamum, & viderunt sex Virgines exeuntes, & post illas Sponsum & Sponsam, tenentes se manibus, & ducentes se ad Solium, quod e regione Candelabri positum erat, super quo se reposuerunt, Sponsus ad sinistram, & Sponsa ad dextram ejus, & sex virgines constiterunt ad latus solii juxta Sponsam. Sponsus indutus erat Pallio ex purpura lucente, & Tunica ex bysso splendente, cum Ephodo, super quo erat bractea aurea adamantibus circumobsita; & bracteæ insculptus erat Pullus aquilæ, insigne nuptiale hujus societatatis cæli; & Sponsi caput tegebat cidaris: Sponsa autem amicta erat chlamyde coccinea, & sub illa toga acupicta, continua a collo ad pedes, & sub pectore zona aurea, & super capite corona ex auro cum insitis rubinis. Cum ita consederunt, convertit se Sponsus ad Sponsam, ac imposuit digito ejus annulum aureum, & deprompsit armillas & collarium ex unionibus, & alligabat armillas super poplites manuum ejus, & collarium circum collum ejus, & dixit, accipe hæc pignora, & dum illa accepit, osculatus est illam, & dixit, nunc mea es, & vocavit illam suam uxorem. Hoc facto clamaverunt invitati, sit Benedictio; hoc clamavit quisque per se, & dein omnes simul; unus a Principe missus vice ejus etiam acclamavit; & eo momento implebatur Antithalamus ille fumo aromatico, quod erat signum benedictionis e cælo: & tunc ministri ex duabus mensis juxta Candelabrum sumserunt Panes, & ex mensis in angulis Cyathos nunc vino impletos, & dederunt cuivis invitato suum panem & suum cyathum, ac ederunt & biberunt. Post hæc surrexerunt Maritus & & ejus Uxor, sequentibus sex virginibus cum argenteis nunc accensis lampadibus in manibus usque ad limen; ac Conjuges intraverunt Thalamum, & clausa est janua.

21.

21. Poſtea loquutus eſt Angelus ductor cum invitatis de decem comitibus ſuis, quod ex mandato introduxerit illos, & monſtaverit illis magnifica Palatii Principis, & mirifica ibi, & quod epulati ſint ad menſam cum illo; & quod poſtea loquuti ſint cum Sapientibus noſtris; ac petiit, ut liceat illis etiam vobiſcum ſociare aliquem ſermonem; & acceſſerunt, & colloquuti ſunt; & unus ſapiens ex viris nuptiarum dixit, intelligitis quid ſignificant illa quæ vidiſtis, dixerunt quod parum; & tunc quæſiverunt illum, cur Sponſus nunc Maritus in tali veſtitu fuit; reſpondit, quod Sponſus nunc Maritus repræſentaverit Dominum, ac Sponſa nunc Uxor repræſentaverit Eccleſiam, quia Nuptiæ in Cælo repræſentant Conjugium Domini cum Eccleſia; inde eſt quod ſuper Illius capite eſſet Cidaris, & ille indutus pallio, tunica, & ephodo, ſicut Aharon; & quod ſuper Sponſæ nunc Uxoris capite eſſet Corona, & illa induta Chlamyde ſicut Regina; ſed cras erunt aliter amicti, quia Repræſentatio hæc modo perſtat hodie. Quæſiverunt iterum, quia Ille repræſentavit Dominum, & Illa Eccleſiam, cur Illa ad dextram Ejus ſedit; reſpondit ſapiens, quia duo ſunt, quæ faciunt Conjugium Domini & Eccleſiæ, Amor & Sapientia, ac Dominus eſt Amor, & Eccleſia eſt Sapientia, & Sapientia ad dextram amoris eſt, ſapit enim homo Eccleſiæ ſicut a ſe, & ſicut ſapit, recipit amorem a Domino; dextra etiam ſignificat potentiam, & potentia amori eſt per ſapientiam: ſed ut dictum eſt, poſt nuptias mutatur repræſentatio, nam tunc Maritus repræſentat Sapientiam, & uxor ſapientiæ ejus Amorem, verum hic Amor non eſt amor prior, ſed eſt amor ſecundarius, qui eſt a Domino uxori per ſapientiam mariti; amor Domini, qui eſt amor prior, eſt amor ſapiendi apud maritum, quare poſt nuptias, ambo ſimul, maritus & ejus uxor, repræſentant Eccleſiam. Quæſiverunt denuo, cur non vos Viri ſtetiſtis ad latus Sponſi nunc Mariti, ſicut ſex Virgines ſteterunt ad latus Sponſæ nunc Uxoris; reſpondit ſapiens, cauſa eſt, quia nos hodie numeramur inter virgines, ac numerus ſex ſignificat omnes & completum; at dixerunt, quid hoc, reſpondit, Virgines ſignificant Eccleſiam, & Eccleſia eſt ex utroque ſexu, quare etiam nos quoad Eccleſiam ſumus Virgines; quod ita ſit, conſtat ex his in Apocalypſi „ *Hi ſunt, qui cum mulieribus non inquinati ſunt*, VIRGINES *enim ſunt*, *& ſequuntur Agnum quocunque vadit* " Cap. XIV: 4. Et quia Virgines ſignificant Eccleſiam, ideo Dominus *aſſimilavit illam decem* VIRGINIBUS *invitatis ad nuptias*, Matth. Cap. XXV: 1 ſeq. & quia per Iſraelem, Zionem & Hieroſolymam, ſignificatur Eccleſia, ideo toties in Verbo dicitur VIRGO ET FILIA ISRAELIS, ZIONIS ET HIEROSOLYMÆ: Dominus etiam deſcribit Conjugium ſuum cum Eccleſia his verbis apud Davidem „ REGINA AD DEXTRAM TUAM *in auro opimo ophiris*, *de implexis auri veſtis ejus*, *in* ACUPICTIS *adducetur Regi*, VIRGINES POST ILLAM *amicæ ejus venient in palatium Regis* " Pſalm XLV: 10 ad 16. Poſtea dixerunt, numne conveniens eſt, ut aliquis Sacerdos adſit & miniſtret in his, reſpondit ſapiens, hoc in terris eſt conveniens, non autem in cælis, propter repræſentationem Ipſius Domini & Eccleſiæ; hoc in terris non ſciunt; at uſque apud nos adminiſtrat Sacerdos Deſponſationes, & Conſenſum audit, reci-

pit, confirmat & consacrat, Consensus est essentiale conjugii, & reliqua, quæ sequuntur, sunt ejus formalia.

22. Post hæc Angelus ductor accessit ad sex Virgines, & quoque narravit illis de comitibus suis, & petiit, ut dignarentur illos suo consortio; & accesserunt, sed cum prope erant, subito recesserunt, & ingressæ sunt gynæceum, ubi etiam virgines amicæ illarum erant: hoc viso, Angelus ductor sequutus est illas, & quæsivit, cur absque loquendo cum illis tam subito recesserint; & responderunt; non potuimus appropinquare, & dixit cur hoc, & responderunt, non scimus, sed percepimus aliquid quod repulit & retroduxit nos, ignoscant: & Angelus rediit ad suos comites, & dixit responsum, & addidit, auguror quod vobis non sit amor sexus castus; in Cælo amamus virgines ex illarum pulchritudine & elegantia morum, & impense amamus illas, sed caste; ad hoc riserunt ejus comites, & dixerunt, recte auguraris, quis potis est videre tales pulchritudines prope, & non aliquid cupere.

23. Post hoc festivum Sodalitum omnes invitati ad nuptias abiverunt, & quoque decem illi Viri cum suo Angelo, erat sera Vespera, & cubitum ibant. In diluculo audiverunt Proclamationem, HODIE SABBATHUM, & surrexerunt, & interrogaverunt Angelum, quid illud, respondit, quod sit ad Cultum Dei, qui statis temporibus redit, & a Sacerdotibus proclamatur; peragitur ille in Templis nostris, & perstat circiter binas horas; quate, si lubet, ite mecum, & introducam; & accinxerunt se, & comitati sunt Angelum, & intraverunt: & ecce Templum erat amplum, capax circiter trium millium, semirotundum, scamna seu sedilia continua secundum figuram Templi in rotundum circumducta, ac posteriora elevatiora prioribus. Pulpitum ante illa paulo retractum a centro; janua post pulpitum a sinistro. Intraverunt decem Viri advenæ cum Angelo ductore suo, & Angelus addixit illis loca ubi sederent, dicens illis, quisque qui intrat in Templum, scit suum locum, hoc scit ex insito, nec potest sedere alibi; si alibi, nihil audit & nihil percipit, & quoque turbat ordinem, a quo turbato Sacerdos non inspiratur.

24. Postquam congregati sunt, ascendit Sacerdos pulpitum, & concionabatur sermonem plenum spiritu sapientiæ: Concio erat de sanctitate Scripturæ sacræ, & de conjunctione Domini cum utroque Mundo, Spirituali & Naturali, per illam; in illustratione, in qua erat, plene convicit, quod Sanctus ille Liber dictatus sit a Jehovah Domino, & quod inde Ipse sit in illo, adeo ut Ipse sit Sapientia ibi; sed quod Sapientia, quæ est Ipse inibi, sub sensu literæ jaceat recondita, & non aperiatur nisi illis, qui in veris doctrinæ, & simul in bonis vitæ sunt, & sic in Domino & Dominus in illis: Concioni subjunxit votivam orationem, & descendit. Exeuntibus auditoribus Angelus rogavit Sacerdotem, ut aliqua verba pacis cum decem suis comitibus loqueretur; & accessit ad illos, & colloquebantur per semissem horæ, & loquebatur de Divina Trinitate, quod illa in Jesu Christo sit, in Quo Plenitudo omnis Divinitatis corporaliter habitat, secundum edictum Apostoli Pauli; & postea de Unione Charitatis & Fidei, sed dixit, de Unione Charitatis & Veritatis, quia Fides est Veritas.

25.

25. Post gratiarum dictionem, abiverunt domum; & ibi dixit illis Angelus, est hodie Tertius dies ab ascensu vestro in hujus Cæli Societatem, & in tres dies præparati estis a Domino ad manendum hic, quare tempus est ut separemur: exuite itaque vestes missas a Principe, ac induite vestras; & cum in his erant, inspirabantur desiderio secedendi, & secesserunt, & descenderunt, Angelo comitante illos usque ad locum conventus; & ibi Domino gratias egerunt, quod dignatus sit illos beare scientia & inde intelligentia de Gaudiis Cælestibus & de Felicitate æterna.

26. Iterum in veritate assevero, quod hæc, sicut memorata sunt, facta & dicta sint, priora in Mundo Spirituum, qui medius est inter Cælum & In-
„ fernum, & sequentia hæc in Societate Cæli, e qua fuit Angelus tubæ & duc-
„ tor. Quis in Christiano Orbe aliquid scivisset de Cælo, ac de Gaudiis & de
„ Felicitate ibi, quorum scientia est quoque scientia salutis, nisi placuerit Do-
„ mino aperire alicui visum spiritus ejus, ac monstrare & docere. Quod si-
„ milia existant in Mundo spirituali, patet manifeste ex visis & auditis Apo-
„ stolo Johanni, quæ descripta sunt in Apocalypsi, ut quod viderit Filium ho-
„ minis in medio septem Candelabrorum, Tabernaculum, Templum, Arcam,
„ Altare in Cælo; Librum obsignatum septem sigillis, illum apertum, & inde
„ exeuntes Equos; quatuor Animalia circa Thronum; duodecim millia electos
„ ex unaquavis Tribu; Locustas ascendentes ex abysso; Draconem & ejus
„ pugnam cum Michaele; Mulierem parientem filium masculum, ac fugien-
„ tem in desertum propter Draconem; duas Bestias unam ascendentem ex ma-
„ ri, alteram e terra; Mulierem sedentem super Bestia Coccinea; Draconem
„ ejectum in stagnum ignis & sulphuris; Equum album, & Cænam Magnam;
„ Cælum novum & Terram novam, ac Sanctam Hierosolymam descenden-
„ tem, discriptam quoad Portas, Murum & hujus Fundamenta; tum Flu-
„ vium aquæ vitæ, & Arbores vitæ facientes fructus quovis mense; præter plu-
„ ra, quæ omnia visa sunt Johanni, ac visa dum quoad spiritum fuit in Mun-
„ do spirituali & in Cælo. Præter quæ visa sunt Apostolis post resurrectionem
„ Domini; & quæ deinde Petro, Act. Apost. XI: tum quæ visa & audita
„ Paulo. Præterea quæ Prophetis, ut Ezechieli, quod viderit quatuor Anima-
„ lia quæ Cherubi, Cap. I: & Cap. X: Quod Novum Templum, & Novam
„ Terram, & Angelum metientem illa, Cap. XL ad XLVIII: Quod abductus
„ Hierosolymam, & viderit ibi abominationes; & quoque in Chaldæam, in
„ Captivitatem, Cap. VIII: & Cap. XI: Simile factum est cum Sacharia,
„ quod viderit Virum equitantem inter myrtos, Cap. I: 8. seq. Quod viderit
„ quatuor Cornua, & dein Virum, in cujus manu funiculus mensuræ, Cap. II:
„ 1. seq. Quod viderit Candelabrum, & duas Oleas, Cap. IV: 1. seqq. Quod
„ viderit Volumen volans, & Epham, Cap. V: 1. 6. Quod viderit quatuor
„ Currus exeuntes inter duos montes, & Equos, Cap. VI: 1. seq. Pariter cum
„ Daniele, quod viderit quatuor Bestias ascendentes e mari, Cap. VII: 1.
„ seqq. Tum pugnas Arietis & Hirci, Cap. VIII: 1. seqq. Quod viderit An-
„ gelum Gabrielem, & quod multa loquutus sit cum illo, Cap. IX: Quod puer
„ Elisæi viderit Currus & Equos igneos circum Elisæum, & quod illos vide-
„ rit,

II. Regum VI. 17.

„ rit, cum aperti funt ejus oculi. Ex his & pluribus aliis in Verbo, conftat,
„ quod illa quæ in Mundo Spirituali exiftunt, apparuerint multis ante & poft
„ Domini adventum: quid mirum, quod etiam nunc inchoante Ecclefia, feu
„ defcendente Nova Hierofolyma a Domino e Cælo."

DE CONJUGIIS IN CÆLO.

27. Quod Conjugia in Cælis fint, non poteft intrare fidem illorum, qui credunt quod Homo fit Anima feu Spiritus poft mortem, & de anima & fpiritu fovent ideam ficut de tenui æthere feu pneumate; tum qui credunt, quod homo non victurus fit homo, nifi poft diem ultimi judicii; in genere, qui nihil fciunt de Spirituali Mundo, in quo funt Angeli & Spiritus, ita ubi funt Cæli & Inferni: & quia ille Mundus hactenus ignotus fuit, & prorfus non fcitum eft, quod Angeli Cæli fint in perfecta forma Homines, pariter Spiritus Inferni, fed in imperfecta, ideo non revelari potuit aliquid de Conjugiis ibi; dicturi enim effent, quomodo poteft anima cum anima, feu pneuma cum pneumate conjungi, ficut conjux cum conjuge in terris, præter plura; quæ momento ut dicta funt, tollerent & diffiparent fidem de Conjugiis ibi: at nunc, quia revelata funt plura de illo Mundo, & quoque defcriptus qualis eft, quod factum eft in Opere DE CÆLO ET INFERNO, & quoque in APOCALYPSI REVELATA, poffunt Conjugia ibi fifti confirmata, etiam coram ratione, per hæc. I: *Quod Homo vivat Homo poft mortem.* II: *Quod tunc Mafculus fit Mafculus, & quod Fæmina fit Fæmina.* III: *Quod fuus Amor apud unumquemuis poft mortem maneat.* IV: *Quod principaliter Amor fexus, & apud illos qui in Cælum veniunt, qui funt qui fpirituales in terris fiunt, Amor conjugialis.* V: *Hæc plene confirmata per Autopfiam.* VI: *Confequenter quod Conjugia fint in Cælis.* VII: *Quod Spirituales Nuptiæ, intelligantur per Domini verba, quod poft refurrectionem non dentur nuptui.* Sequitur nunc horum explicatio in fuo ordine.

28. I: QUOD HOMO VIVAT HOMO POST MORTEM. Quod homo vivat homo poft mortem, hactenus in Mundo nefcitum eft, ex caufis, de quibus mox fupra; & quod mirabile eft, etiam in Chriftiano Orbe, ubi eft Verbum, & inde illuftratio de Vita æterna, & ubi Ipfe Dominus docet, quod *Omnes mortui refurgant, & quod Deus non fit mortuorum fed viventium Deus*, Matth. XXII: 30. 31. Luc. XX: 37. 38. Ac infuper homo quoad mentis fuæ affectiones & cogitationes eft in medio angelorum & fpirituum, ac illis ita confociatus, ut non poffit divelli ab illis nifi moriatur. Et adhuc mirabilius eft, quod hoc nefciatur, cum tamen omnis homo, qui a prima Creatione obierat, poft obitum ad fuos venerat ac venit, feu ut in Verbo dicitur, collectus eft & colligitur: & præterea homini eft communis perceptio, quæ eadem eft cum influxu Cæli in interiora mentis ejus, ex quo intus in fe percipit vera, & ficut videt illa, & imprimis hoc verum, quod vivat homo poft mortem, felix fi bene vixit, & infelix fi male; quis enim hoc non cogitat, dum parum elevat mentem a corpore, & a cogitatione proxima ejus fenfibus, quod fit dum interius in Cultu Divino

vino eſt, & dum jacet in lecto moribundus & exſpectat extremum; ſimiliter dum audit de defunctis, & de illorum ſorte; narravi millia de illis, ut in quali ſorte eſſent quorundam fratres, conjuges, & amici; & quoque ſcripſi de ſorte Anglorum, Hollandorum, Pontificiorum, Judæorum, Gentium, & quoque de ſorte Lutheri, Calvini & Melanchtonis; & adhuc nuſquam audivi aliquem dicentem; quomodo poteſt talis ſors illis eſſe, cum tamen nondum e ſepulchris ſuis reſurrexerunt, nondum enim eſt Ultimum Judicium peractum, ſuntne illi interea animæ quæ ſunt pneumata, & in quodam pu ſeu ubi; talia adhuc a nemine audivi dicta; ex quo potui concludere, quod unuſquiſque in ſe percipiat, quod vivat homo poſt mortem. Quis vir qui amavit conjugem, ac ſuos infantes & liberos, dum moriuntur aut mortui ſunt, non ſecum dicat, ſi in cogitatione elevata ſupra ſenſualia corporis eſt, quod ſint in manu Dei, quodque illos poſt ſuam mortem iterum viſurus ſit, ac vitam amoris & gaudii cum illis iterum conjuncturus.

29. Quis non ex ratione videre poteſt, ſi vult videre, quod homo poſt mortem non ſit Pneuma, de quo non alia idea eſt, quam ſicut de halitu venti, aut de aere & æthere, & quod illud aut in illo ſit anima hominis, quæ deſiderat & exſpectat conjunctionem cum ſuo corpore, ut poſſit frui ſenſibus, & horum oblectamentis, ſicut prius in Mundo: quis non poteſt videre, quod ſi ita foret cum homine poſt mortem, ſtatus ejus vilior foret, quam ſtatus piſcium, avium & animalium terræ, quorum animæ non vivunt, & inde non in tali anxietate ex deſiderio & exſpectatione ſunt. Si homo poſt mortem foret tale Pneuma, & ſic halitus venti, tunc vel volitaret in univerſo, vel ſecundum quorundam traditiones reſervaretur in quodam pu, aut cum Patribus in limbo, uſque ad ultimum Judicium; quis inde non ex ratione concludere poteſt, quod illi qui vixerunt a prima creatione, e qua cenſentur ſex millia annorum, adhuc in ſimili ſtatu anxio eſſent, & progreſſive in anxiori, quia omnis expectatio ex deſiderio anxietatem facit, & a tempore ad tempus adauget illam; proinde quod illi adhuc vel volitarent in univerſo, vel incluſi tenerentur in pu, & ſic in extrema miſeria; ſimiliter Adamus & ejus Uxor; ſimiliter Abraham, Iſac & Jacob; & ſimiliter omnes reliqui ab illo tempore. Et his ſequitur, quod nihil lamentabilius foret, quam naſci homo. Sed contrarium proviſum eſt a Domino, qui eſt Jehovah ab æterno, & Creator univerſi, quod ſtatus hominis, qui ſe conjungit cum Ipſo per vitam ſecundum præcepta Ipſius, beatior & felicior ſit poſt mortem, quam ante illam in Mundo, & quod beatior & felicior ſit ex eo, quod homo tunc ſpiritualis ſit, ac ſpiritualis homo ſentit & percipit jucundum ſpirituale, quod ſupereminens eſt præ jucundo naturali, quia millies excedit illud.

30. Quod Angeli & Spiritus ſint homines, conſtare poteſt ex illis viſis Abrahamo, Guideoni, Danieli, & Prophetis, imprimis Johanni cum ſcripſit Apocalypſin, & quoque Mulieribus in Sepulchro Domini, imo Ipſe Dominus poſt reſurrectionem Diſcipulis. Quod viſi ſint, fuit cauſa, quia tunc aperti ſunt oculi ſpiritus illorum; & cum hi aperiuntur, apparent Angeli in ſua forma,

quæ eſt humana; at cum illi oculi clauſi ſunt, hoc eſt, obvelati viſu oculorum, qui omnia ſua trahunt ex materiali Mundo, tunc non apparent.

31. At ſciendum eſt, quod homo poſt mortem, non ſit homo naturalis, ſed homo ſpiritualis, & uſque quod ſibi prorſus ſimilis appareat, ac ita ſimilis, ut non aliter ſciat, quam quod adhuc in Mundo naturali ſit, ſimili enim corpore eſt, ſimili facie, ſimili loquela, & ſimilibus ſenſibus, quia ſimili affectione & cogitatione, ſeu ſimili voluntate & intellectu: eſt quidem actualiter non ſimilis, quia eſt ſpiritualis, & inde homo interior; ſed diſcrimen non illi apparet, quia non poteſt conferre ſtatum ſuum cum priori ſuo naturali, hunc enim exuit, & in illo eſt; quare ſæpius audivi illos dicentes, quod non ſciant aliter, quam quod in priori Mundo ſint, cum ſolo diſcrimine, quod non videant amplius illos, quos in illo Mundo reliquerant, ſed quod videant illos qui ex illo Mundo abiverant ſeu obiverant; verum cauſa, quod hos nunc videant, & non illos, eſt quia non homines naturales ſunt, ſed ſpirituales ſeu ſubſtantiales, ac homo ſpiritualis ſeu ſubſtantialis videt hominem ſpiritualem ſeu ſubſtantialem ſicut homo naturalis ſeu materialis videt hominem naturalem ſeu materialem, ſed non viciſſim, propter diſcrimen inter ſubſtantiale & materiale, quod eſt ſicut diſcrimen inter prius & poſterius, ac prius quia eſt in ſe purius, non apparere poteſt poſteriori quod in ſe eſt craſſius, nec poteſt poſterius quia eſt craſſius apparere priori quod in ſe eſt purius, proinde non Angelus homini hujus Mundi, nec homo hujus Mundi Angelo. Quod homo poſt mortem ſit homo ſpiritualis ſeu ſubſtantialis, eſt quia hic intus latuit in homine naturali ſeu materiali, hic fuit illi ſicut indumentum, aut ſicut exuviæ, quibus depoſitis exit ille ſpiritualis ſeu ſubſtantialis, ita purior, interior & perfectior. Quod homo ſpiritualis uſque ſit perfectus homo, tametſi non apparet homini naturali, manifeſte patuit a Domino viſo Apoſtolis poſt reſurrectionem, quod apparuerit & & mox non appparuerit, & tamen fuit homo ſibi ſimilis cum viſus & non viſus, dixerunt etiam, quod, cum viderunt Ipſum, aperti ſint oculi illorum.

32. II: Quod tunc Masculus sit Masculus, et quod Fæmina sit Fæmina. Quoniam homo vivit homo poſt mortem, & homo eſt maſculus & fæmina, & aliud eſt maſculinum & aliud fæmininum, & tale aliud, ut unum non mutari poſſit in alterum, ſequitur quod poſt mortem maſculus vivat maſculus, & fæmina vivat fæmina, uterque homo ſpiritualis. Dicitur, quod maſculinum non mutari poſſit in fæmininum, nec fæmininum in maſculinum, & quod ideo poſt mortem maſculus ſit maſculus, & quod fæmina ſit fæmina; ſed quia ignoratur, in quo eſſentialiter conſiſtit maſculinum, & in quo eſſentialiter fæmininum, quare paucis hic dicetur: Diſcrimen eſſentialiter conſiſtit in eo, quod intimum in Maſculo ſit Amor, & velamen hujus Sapientia, ſeu quod idem, quod ſit Amor obvelatus Sapientia; ac quod intimum in fæmina ſit illa Sapientia maſculi, ac velamen hujus Amor inde; ſed hic Amor eſt Amor fæmininus, ac datur a Domino uxori per ſapientiam mariti, ac prior Amor eſt Amor maſculinus & eſt amor ſapiendi, ac datur a Domino marito ſecundum receptionem ſapientiæ; ex eo eſt, quod Maſculus ſit Sapientia amoris,

&

& quod Fæmina sit Amor sapientiæ istius; quare a creatione insitus est utrique Amor conjunctionis in unum; sed de his dicentur plura in sequentibus. Quod fæmininum sit ex masculino, seu quod Mulier desumpta sit ex Viro, constat ex his in Genesi „ *Jehovah Deus desumpsit unam de Costis Viri, & inclusit carnem pro ea, & ædificavit Costam, quam sumserat de homine, in Mulierem; & adduxit eam ad hominem; & dixit homo, hæc est Os de ossibus meis, & Caro de carne mea, hinc vocabitur Ischah, quia de Viro sumpta est* " Cap. II: 21. 22. 23; quid significat Costa & quid Caro, alibi dicetur.

33. Ex primitiva hac formatione fluit, quod Masculus nascatur Intellectualis, & quod Fæmina nascatur Voluntaria, seu quod idem, quod Masculus nascatur in affectionem sciendi, intelligendi, & sapiendi, & quod Fæmina nascatur in Amorem conjungendi se cum illa affectione in Masculo. Et quia Interiora ad similitudinem suam formant Exteriora, & Forma masculina est forma Intellectus, ac Forma fæminina est forma Amoris ejus, inde est quod Masculus sit alia facie, alio sono, & alio corpore, quam Fæmina, nempe facie duriore, sono asperiore, & corpore fortiori, ac insuper mento barbato, in genere forma impulchriore, quam fæmina; differunt etiam gestibus & moribus; verbo, non est quicquam simile, sed usque est conjunctivum in singulis; imo est masculinum in masculo, in omni parte, etiam in minima corporis ejus, masculinum, & quoque in omni idea cogitationis, & in omni mica affectionis ejus; similiter Fæmininum in fæmina; & quia sic unum non mutari potest in alterum, sequitur quod post mortem masculus sit masculus, & quod fæmina sit fæmina.

34. III: Quod suus Amor apud unumquemvis post mortem maneat. Homo novit, quod Amor sit, sed non novit, quid Amor est; novit quod amor sit ex communi loquela, ut quod dicatur, quod ille me amet, quod Rex amet subditos, & quod subditi ament Regem, quod maritus amet uxorem, & quod mater liberos, & vicissim; tum quod hic & ille amet patriam, concives, proximum: similiter de rebus abstractis a persona, ut quod amet hoc aut illud. Sed tametsi Amor tam universale est in loquelis, usque vix aliquis novit quid Amor; dum meditatur de eo, quia tunc non potest aliquam ideam cogitationis de eo sibi formare, ita non sistere illum in lucem intellectus, ex causa quia non est lucis, sed est caloris, dicit illum vel non esse aliquid, vel solum esse aliquod influens ex visu, auditu, & conversatione, & sic movens; nescit prorsus, quod sit ipsa ejus vita, non modo vita communis totius ejus corporis, & vita communis omnium ejus cogitationum, sed etiam vita omnium singularium eorum: hoc potest sapiens percipere ex hoc, cum dicitur, si removes affectionem amoris, an potes cogitare aliquid, & an potes agere aliquid; annon quantum frigescit affectio quæ est amoris, tantum frigescat cogitatio, loquela & actio, & quantum incalescit, tantum incalescant illæ. Est itaque Amor Calor vitæ hominis, seu calor vitalis ejus; calor sanguinis, & quoque rubor ejus, non aliunde sunt; Ignis Solis Angelici, qui est purus Amor, hoc facit.

35. Quod suus amor cuivis sit, seu distinctus ab amore alterius, hoc est, quod

quod non similis amor sit uni homini, qui est alteri, constare potest ex infinita varietate facierum, facies sunt typi amorum; nam quod mutentur ac varientur facies secundum affectiones amoris, notum est; desideria etiam, quæ sunt amoris, tum gaudia & dolores ejus, elucent inde: ex hoc patet, quod homo sit suus Amor, imo sui Amoris forma. At sciendum est, quod interior homo, qui idem est cum spiritu ejus, qui vivit post mortem, sit forma sui amoris, non similiter exterior homo in Mundo, quia hic ab infantia didicit occultare sui amoris desideria, imo simulare ac præferre alia quam sua.

36. Quod suus Amor apud unumquemvis post mortem maneat, est quia Amor est vita hominis, ut mox supra n. 34. dictum est, & inde est ipse homo. Est homo etiam sua Cogitatio, ita sua Intelligentia & Sapientia, sed hæ unum faciunt cum ejus Amore; nam homo ex Amore suo & secundum illum cogitat, imo si in libero est, loquitur & agit; ex quo videri potest, quod Amor sit Esse seu essentia vitæ hominis, & quod Cogitatio sit Existere seu existentia vitæ ejus inde, quare loquela & actio, quæ profluunt ex Cogitatione, non profluunt ex cogitatione, sed ex Amore per cogitationem: ex multa experientia scire datum est, quod homo post mortem non sit sua Cogitatio, sed quod sit sua Affectio & inde cogitatio, seu quod sit suus Amor & inde intelligentia; tum quod homo post mortem exuat omne quod non concordat cum ejus Amore, imo quod successive induat faciem, sonum, loquelam, gestus, & mores amoris suæ vitæ: inde est, quod universum Cælum secundum omnes varietates affectionum Amoris boni sit ordinatum, ac universum Infernum secundum omnes affectiones amoris mali.

37. IV. QUOD PRINCIPALITER AMOR SEXUS, ET APUD ILLOS QUI IN CÆLUM VENIUNT, QUI SUNT QUI SPIRITUALES IN TERRIS FIUNT, AMOR CONJUGIALIS. Quod Amor sexus apud hominem maneat post mortem, est quia tunc masculus est masculus & fæmina est fæmina, ac masculinum in masculo est masculinum in toto & in omni parte ejus, similiter fæmininum in fæmina, ac conjunctivum est in singulis imo in singularissimis illorum; nunc quia conjunctivum illud a creatione inditum est, & inde perpetuo inest, sequitur, quod unum desideret & spiret conjunctionem cum altero; Amor in se spectatus non est aliud, quam desiderium & inde nisus ad conjunctionem, & amor conjugialis ad conjunctionem in unum; sunt enim homo masculus & homo fæmina ita creati, ut ex duobus possint fieri sicut unus homo, seu una caro, & cum fiunt unum, tunc simul sumti sunt Homo in sua plenitudine; at absque ea conjunctione sunt duo, ac uterque tanquam homo divisus seu dimidiatus. Nunc quia Conjunctivum illud latet intime in singulis masculi & in singulis fæminæ, ac facultas & desiderium ad conjunctionem in unum inest singulis, sequitur quod Amor sexus mutuus & reciprocus apud homines maneat post mortem.

38. Dicitur Amor sexus & Amor conjugialis, quia Amor sexus est aliud quam Amor conjugialis; Amor sexus est apud Naturalem hominem, at Amor conjugialis apud Spiritualem; homo naturalis amat & desiderat modo conjunctiones externas, & ex illis corporis voluptates; at homo spiritualis amat & desiderat conjunctionem internam, & ex illa spiritus faustitates, & has perci-

pit

pit dari cum una Uxore, cum qua perpetuo plus & plus conjungi poteſt in unum, & quo plus ita conjungitur, percipit fauſtitates ſuas in ſimili gradu aſcendentes, & has conſtantes in æternum; at Naturalis homo hoc non cogitat: inde nunc eſt quod dicatur, quod amor conjugialis poſt mortem maneat apud illos, qui in Cælum veniunt, qui ſunt qui ſpirituales in terris fiunt.

39. V: HÆC PLENE CONFIRMATA PER AUTOPSIAM. Quod Homo vivat homo poſt mortem, & quod tunc Maſculus ſit maſculus, ac Fæmina fæmina; quodque amor ſuus apud unumquemque maneat, ac quod principaliter Amor ſexus & Amor conjugialis, hactenus per talia quæ ſunt intellectus, & vocantur rationalia, confirmare ſategi; ſed quia homo ab infantia ex parentibus & magiſtris, & dein ex eruditis & clericis captavit fidem, quod non victurus homo poſt mortem, quam poſt diem ultimi Judicii, in cujus exſpectatione nunc per ſex millia annorum fuerunt, & quia plures retulerunt hoc inter illa, quæ captanda ſunt fide & non intellectu, neceſſum fuit, ut etiam eadem per documenta autopſica confirmarentur; alioquin homo, qui modo credit ſenſibus, ex fide impreſſa dicturus eſt, ſi homines poſt mortem viverent homines, viderem & audirem illos; tum quis deſcendit e Cælo, & aſcendit ex Inferno, & narravit; ſed quia non fieri potuit, nec poteſt, ut aliquis Angelus Cæli deſcendat, aut aliquis ſpiritus Inferni aſcendat, ac loquatur cum aliquo homine, niſi cum illis, quorum interiora mentis, quæ ſunt ſpiritus, a Domino aperta ſunt; & hoc non fieri poteſt ad plenum, niſi quam apud illos, qui a Domino ad recipiendum illa, quæ ſpiritualis ſapientiæ ſunt, præparati ſunt; quare hoc placuit Domino mecum, ob finem, ne ſtatus Cæli & Inferni, ac ſtatus vitæ hominum poſt mortem, neſciretur, & ſopiretur in ignorantia, ac tandem ſepeliretur in negatione. At documenta autopſica de ſupradictis propter copiam hic non poſſunt adduci; ſed adducta ſunt in Opere DE CÆLO ET INFERNO; ac deinde in CONTINUATIONE DE MUNDO SPIRITUALI; ac poſtea in APOCALYPSI REVELATA; at in ſpecie hic de Conjugiis, in MEMORABILIBUS, quæ poſt Paraphos ſeu Capita hujus Operis ſequuntur.

40. VI: CONSEQUENTER QUOD CONJUGIA SINT IN CÆLO. Hæc quia nunc per Rationem, & ſimul per Experientiam confirmata ſunt, ulteriore demonſtratione non egent.

41. VII: QUOD SPIRITUALES NUPTIÆ INTELLIGANTUR PER DOMINI VERBA, QUOD POST RESURRECTIONEM NON DENTUR NUPTUI. Apud Evangeliſtas leguntur hæc ,, *Quidam Sadducæi negantes Reſurrectionem interrogarunt Jeſum, dicentes, Magiſter, Moſes ſcripſit, ſi cujus frater mortuus fuerit, habens uxorem, iſque improlis, ut ducat frater ejus uxorem, & exſuſcitet ſemen fratri ſuo; fuerunt ſeptem fratres, quorum unus poſt alterum, acceperunt uxorem; ſed improles mortui ſunt, demum etiam mulier; in Reſurrectione ergo, cujus illorum fiet Uxor. Sed reſpondens Jeſus dixit illis, filii ſeculi hujus nuptias faciunt & nuptui dantur; qui vero digni habebuntur, ut Sæculum alterum conſequantur, & reſurrectionem a mortuis, neque nuptias facient, neque nuptui dabuntur, non enim mori amplius poſſunt, ſimiles enim Angelis ſunt, & filii Dei ſunt, cum ſunt reſurrectionis filii. Quod autem reſurgant mortui, etiam Moſes indicavit ad rubum, cum dicit Dominum Deum*

 Abra-

Abrahami, & Deum Isaci, & Deum Jacobi; jam vero Deus non est mortuorum sed viventium; omnes enim illi vivunt" Luc. XX: 27 ad 38. Matth. XXII: 22 ad 31. Marc. XII: 18 ad 27. Sunt duo, quæ Dominus per hæc docuit, Primum quod homo post mortem resurgat; & Alterum quod non dentur nuptui in Cælo. Quod homo post mortem resurgat, per hæc, quod Deus non sit mortuorum sed viventium Deus, & quod Abraham, Isac, & Jacob vivant; ac porro in Parabola de Divite in inferno, & de Lazaro in Cælo, Luc. XVI: 22 ad 31. Alterum quod non dentur nuptui in Cælo, per hæc. „ Quod qui digni habentur, ut consequantur Sæculum alterum, non nuptias faciant, neque nuptui dentur: quod non aliæ Nuptiæ hic intelligantur quam Nuptiæ spirituales, patet manifeste ex verbis quæ continenter sequuntur, quod non amplius possint mori, quia similes Angelis sunt, ac filii Dei, cum filii resurrectionis; per Nuptias spirituales intelligitur conjunctio cum Domino, & hæc fit in terris, & cum facta est in terris, etiam facta est in Cælis, quare in Cælis non fiunt iterum nuptiæ, & dantur nuptui; hoc etiam intelligitur per hæc" filii sæculi hujus nuptias faciunt & nuptui dantur, qui vero digni habentur ut sæculum alterum consequantur, neque nuptias faciunt, neque nuptui dantur: Hi quoque a Domino vocantur Filii nuptiarum, Matth. IX: 15. Marc. II: 19. & nunc Angeli, filii Dei, & filii resurrectionis. Quod facere nuptias sit conjungi Domino, & quod intrare in nuptias sit recipi in Cælum a Domino, patet ex his". *Simile est Regnum Cælorum Homini Regi, qui fecit Nuptias Filio suo, ac emisit servos & invitavit ad Nuptias*, Matth. XXII: 1 ad 14. *Simile est Regnum Cælorum decem Virginibus, quæ exiverunt in occursum Sponsi, ex quibus quinque paratæ ingressæ sunt in Nuptias*, Matth. XXV: 1. seqq. quod Dominus hic se intellexerit, patet a Vers. 13. ibi, ubi dicitur, *Vigilate, quia non novistis diem & horam, qua Filius hominis venturus est.* Tum ex Apocalypsi „ *Venit tempus Nuptiarum Agni, & Uxor Illius paravit se: beati qui ad Cænam Nuptiarum Agni vocati sunt.*" Cap. XIX: 7. 9. Quod spiritualis intellectus sit in omnibus & singulis, quæ Dominus loquutus est, plene ostensum est in DOCTRINA NOVÆ HIEROSOLYMÆ DE SCRIPTURA SACRA, Amstelodami Anno 1763. edita.

* * * * * * *

42. His subjiciam duo MEMORABILIA E MUNDO SPIRITUALI: PRIMUM hoc: Quodam mane suspexi in Cælum, & vidi supra me Expansum supra Expansum; & vidi, quod aperiretur Primum Expansum, quod prope erat, & mox Alterum quod superius, & tandem Tertium quod erat supremum; & ex illustratione inde percepi, quod super Primo Expanso essent Angeli, ex quibus primum seu ultimum Cælum; & super secundo Expanso essent Angeli, ex quibus secundum seu medium Cælum; & super tertio Expanso essent Angeli, ex quibus tertium seu supremum Cælum. Miratus sum primum quid & cur hoc; & mox audita est e Cælo vox sicut tubæ, dicens, percepimus, & nunc videmus, quod mediteris de AMORE CONJUGIALI; & scimus, quod adhuc non aliquis in terris sciat, quid Amor vere Conjugialis in sua origine, & in sua essen-

essentia est, & tamen interest ut sciatur; quare placuit Domino aperire tibi Cælos, ut in mentis tuæ interiora influat lux illustrans, & inde perceptio: apud nos in Cælis, imprimis in Tertio, sunt Cælestes nostræ delitiæ principaliter ex Amore Conjugiali; quare ex data nobis venia demittemus ad te Par conjugum ut videas: & ecce tunc apparuit Currus e supremo seu tertio Cælo descendens, in quo visus est unus Angelus; sed sicut appropinquavit, visi sunt in illo duo: Currus e longinquo fulsit coram oculis meis sicut adamas, & ei alligati erant pulli equorum candidi sicut nix; & sedentes in Curru tenebant manibus duos turtures, & clamabant ad me, vis ut propius adveniamus; sed cave tunc, ne coruscum, quod e Cælo nostro, e quo descendimus, & est flammeum, penetret interius, e cujus influxu quidem illustrantur ideæ intellectus tui superiores, quæ in se sunt cælestes, at hæ in Mundo, in quo es, sunt ineffabiles; quare recipe, quæ auditurus es, rationaliter, & sic ad intellectum expone illa; & respondi, cavebo, venite propius; & venerunt, & ecce erat Maritus & ejus Uxor; & dixerunt, sumus Conjuges; viximus beati in Cælo a Primo ævo, quod a vobis vocatur Sæculum Aureum, & perpetuo in simili flore ætatis, in quo tu nos vides hodie. Lustravi utrumque, quia percepi quod repræsentarent Amorem Conjugialem in sua vita & in suo ornatu, in sua vita in faciebus, & in suo ornatu in vestibus; omnes enim Angeli sunt affectiones amoris in forma humana, ipsa affectio regnans elucet ex illorum faciebus, & ex affectione & secundum illam sortiuntur vestes: quare dicitur in Cælo, quod sua Affectio quemlibet investiat. Maritus apparuit in ætate media inter adolescentiam & juventutem; ab oculis ejus emicabat lux scintillans ex sapientia amoris, ex qua luce facies ejus intime sicut radiabat, & ex eradiatione inde cutis in extremis quasi fulgebat, inde tota ejus facies fuit unus splendens decor: indutus erat talari, & sub talari veste coloris hyacinthini, & hanc circumligabat zona aurea, super qua erant tres lapides pretiosi, bini sapphiri a lateribus, ac pyropus in medio; tibialia ex splendente lino, cui intexta erant fila ex argento; & calcei ex holoserico: hæc fuit Forma repræsentativa Amoris Conjugialis apud Maritum. Apud Uxorem autem fuit hæc; facies ejus mihi visa est, & non visa; visa est ut ipsa pulchritudo, & non visa quia hæc inexpressibilis; in facie enim erat splendor lucis flammeæ, qualis lux est Angelis in Tertio Cælo, & hæc visum meum hebetavit; quare modo obstupui: hoc illa animadvertens loquebatur ad me dicens, quid vides, respondi, non video nisi Amorem Conjugialem, & ejus formam, sed video & non video; ad hæc avertit illa se oblique a marito, & tunc potui lustrare intentius; oculi ejus micabant ex luce Cæli sui, quæ, ut dictum est, est flammea, & inde trahit ex amore sapientiæ; amant enim Uxores in illo Cælo Maritos ex sapientia & in sapientia illorum, & Mariti uxores ex illo amore & in illo erga se, & sic uniuntur; inde erat pulchritudo ejus, quæ talis, ut illam æmulari & sistere in sua forma non possit ullus pictor, non enim datur tale coruscum in ejus colore, nec tale formosum expressibile in ejus arte: crines erant in ordine decore positi secundum correspondentiam cum pulchritudine, & eis inserti flores ex diadematibus: collarium ei erat ex pyropis, ac inde pendebat rosarium ex chrysolithis; & ei armillæ erant

erant ex unionibus: amicta erat toga coccinea, & sub illa veste pectorali purpurea, quam anterius colligabant rubini: sed quod miratus sum, variegabantur colores secundum aspectum ad maritum, & quoque secundum illum nunc magis nunc minus coruscabant, in aspectu mutuo magis, & in aspectu obliquo minus. His visis loquebantur iterum mecum; & cum Maritus loquebatur ille simul sicut ex uxore, & cum Uxor simul illa sicut ex marito, erat enim talis unio mentium, ex quibus fluunt loquelæ; & tunc etiam audivi sonum Amoris Conjugialis, quod intus esset simultaneus, & quoque procedens ex delitiis status pacis & innocentiæ. Tandem dicebant, revocamur, abibimus; & tunc iterum apparuerunt vecti in curru, sicut prius; & vecti sunt per viam stratam inter floreta, e quorum areis exsurgebant oleæ, & arbores plenæ pomis aurantiis: & cum prope suum Cælum erant, obviam venerunt virgines, & recipiebant illos, & introducebant.

43. Post hæc visus est mihi Angelus ex Cælo illo, tenens in manu membranam, quam evolvebat, dicens, vidi quod mediteris de Amore conjugiali, in hac Membrana sunt de illo arcana sapientiæ, non adhuc detecta in Mundo, detegentur nunc, quia interest; sunt in nostro Cælo illa arcana plus quam in reliquis, quia nos in conjugio Amoris & Sapientiæ sumus: sed prædico, quod non alii Amorem illum sibi appropriaturi sint, quam qui in Novam Ecclesiam, quæ est Nova Hierosolyma, a Domino recipiuntur. His dictis, demisit Angelus Membranam evolutam, quam quidam Spiritus Angelicus excepit, & reposuit super Mensa in quodam Conclavi, quod illico conclusit, & porrexit mihi clavem, & dixit, scribe.

44. Alterum Memorabile. Quondam vidi tres Spiritus novitios e Mundo, qui circumvagabantur, lustrabant, & sciscitabant; erant in admiratione, quod viverent homines prorsus sicut prius, & quod viderent similia quæ prius; noverunt enim quod e Mundo priori seu naturali obiverint, & quod ibi crediderint, quod non victuri sint homines prius quam post diem ultimi Judicii, quando circumdabuntur carne & ossibus reconditis in sepulchris; quare ut depravarentur omni dubio, quin vere homines essent, per vices inspexerunt ac tetigerunt se & alios, & palpaverunt objecta, & per millia confirmabant se, quod nunc essent homines, sicut in priori Mundo; præter quod se mutuo in candidiore luce, & objecta in superiore splendore, & sic perfectius viderent. Tunc forte duo Spiritus Angelici illis occurrebant, & retinebant, dicendo, unde estis, & responderunt, obivimus e Mundo, ac iterum vivimus in Mundo, ita migravimus e Mundo in Mundum; hoc nunc miramur: & tunc tres Novitii interrogabant duos Spiritus Angelicos de Cælo; & quia duo ex tribus Novitiis erant adolescentes, & ex illorum oculis emicabat sicut igniculus libidinis ad sexum, ajebant Spiritus Angelici, forte vidistis fæminas, & responderunt, vidimus; & quia interrogaverunt de Cælo, dixerunt hæc; in Cælo sunt omnia magnifica & splendida, & talia quæ oculus nusquam viderat; & sunt ibi virgines & juvenes, virgines tali pulchritudine, ut vocari possint Pulchritudines in sua forma; ac Juvenes tali moralitate, ut vocari possint Moralitates in sua forma; & correspondent sibi Pulchritudines virginum & Moralitates juvenum,

sicut

ſicut formæ mutuæ & coaptabiles: & quæſiverunt duo Novitii, num in Cælo ſint Formæ humanæ prorſus ſimilares illis quæ in Mundo naturali ſunt, & reſpondebatur, quod prorſus ſimilares, nihil ablatum eſt e viro, & nihil e fæmina; verbo, vir eſt vir, & fæmina eſt fæmina, in omni perfectione formæ, in qua creati ſunt; ſecede ſi vis, & explora apud te, num quidquam deſit, quin ſis vir ſicut prius. Iterum dixerunt Novitii, audivimus in Mundo, e quo deceſſimus, quod in Cælo non dentur nuptui, quia ſunt Angeli, num ſic datur Amor ſexus; & reſponderunt Spiritus Angelici, veſter amor ſexus ibi non datur, ſed amor ſexus Angelicus, qui eſt caſtus, expers omnis illecebræ ex libidine: ad hæc dixerunt Novitii, ſi datur amor ſexus nullius illecebræ, quid tunc amor ſexus; & cum cogitabant de hoc Amore, ingemuerunt, & dixerunt, o quam ſiccum gaudium Cæli, quis juvenis tunc poteſt optare Cælum, eſtne talis Amor ſterilis & expers vitæ: ad hæc Spiritus Angelici ridentes retulerunt, Amor ſexus Angelicus, ſeu qualis eſt in Cælo, eſt uſque plenus delitiis intimis, eſt expanſio amæniſſima omnium mentis, & inde omnium pectoris, ac eſt intus in pectore ſicut cor ludat cum pulmone, ex quo ludo exit reſpiratio, ſonus & loquela, quæ faciunt ut conſortia inter ſexus, ſeu inter juvenes & virgines, ſint ipſæ ſuavitates cæleſtes, quæ ſunt puræ. Omnes Novitii, aſcendentes in Cælum, explorantur quali caſtitate ſunt, immittuntur enim in Conſortia Virginum, Pulchritudinum Cæli, quæ percipiunt ex ſono, ex loquela, ex facie, ex oculis, ex geſtu, & ex ſphæra exundante, quales ſunt quoad amorem ſexus, qui ſi incaſtus eſt, aufugiunt & nuntiant ſuis, quod viderint ſatyros aut priapos; & quoque advenæ illi mutantur, & apparent coram oculis Angelorum hirſuti, & quoad pedes ſicut vituli aut pardi, & illi mox dejiciuntur, ne libidine ſua inquinent auram ibi: his auditis duo Novitii iterum dixerunt, ſic eſt nullus Amor ſexus in Cælo, quid amor ſexus caſtus niſi amor exinanitus ſuæ vitæ eſſentia, ſuntne ſic conſortia Juvenum & Virginum ibi gaudia ſicca, non ſumus ſaxa & ſtipites, ſed perceptiones & affectiones vitæ: his auditis, duo Spiritus Angelici indignati reſponderunt, vos prorſus neſcitis quid amor ſexus caſtus, quia non adhuc caſti eſtis; eſt ille amor ipſum delitium mentis & inde cordis, & non ſimul carnis ſub corde, caſtitas Angelica, quæ eſt utrique ſexui communis, inhibet tranſitum amoris illius ultra clauſuram cordis, ſed intra illam & ſupra illam delitiatur moralitas Juvenis cum pulchritudine Virginis delitiis amoris ſexus caſti, quæ interiores & uberiores amænitate ſunt, quam ut poſſint deſcribi per voces. Sed hic Amor ſexus eſt Angelis, quia eſt illis modo Amor Conjugialis, & hic amor non dabilis eſt ſimul cum amore ſexus incaſto; amor vere conjugialis eſt amor caſtus, & nihil commune cum amore incaſto habet, eſt ſolum modo cum una ex ſexu, remotis omnibus aliis, eſt enim amor ſpiritus & inde corporis, & non amor corporis & inde ſpiritus, hoc eſt, non amor infeſtans ſpiritum: his auditis, gaviſi ſunt bini adoleſcentes novitii, & dixerunt, eſt uſque ibi amor ſexus, quid amor conjugialis aliud; ſed ſpiritus Angelici ad illa reſpondebant, cogitate penitius, expendite, & percipietis, quod veſter Amor ſexus ſit amor extraconjugialis, & quod amor conjugialis ſit prorſus alius, & quod hic diſtinc-

tus fit ab illo, ficut triticum a palea, aut potius ficut humanum a ferino: fi quæfiveritis fæminas in Cælo, quid amor extraconjugialis, & affevero quod refponfuræ fint, quid hoc, quid loqueris, quomodo poteft tale exire ore tuo quod ita lædit aures, quomodo poteft Amor non creatus ingenerari homini; fi tunc quæfiveris illas, quid Amor vere conjugialis, & fcio quod refponfuræ fint, quod non fit Amor fexus, fed amor unius e fexu, qui non aliter exiftit, quam dum Juvenis videt Virginem a Domino provifam, & virgo juvenem, utrinque fentiant conjugiale incendi in cordibus fuis, ac percipiant, ille quod fua fit, & illa quod fuus fit, obviat enim fe amor amori, & facit fe cognofcere, & conjungit illico animas, & poftea mentes, & inde intrat pectora, ac poft nuptias ultra, & fic fit plenus amor, qui indies in conjunctionem crefcit, ufque ut non amplius fint duo, fed ficut unus: fcio etiam, quod juraturæ fint, quod non fciant alium amorem fexus; dicunt enim, quomodo poteft dari Amor fexus, nifi fit ita obvius & reciprocus, ut fpiret æternam unionem, quæ eft ut duo fint una caro: his addiderunt Spiritus Angelici, in Cælo prorfus non fciunt, quid Scortatio, nec quod fit, nec quod dabilis, Angeli frigent toto corpore ad Amorem incaftum feu extraconjugialem, ac viciffim calent toto corpore ex Amore cafto feu conjugiali; apud viros ibi omnes nervi cadunt ad afpectum fcorti, & fe tendunt ad afpectum Uxoris. Tres novitii, his auditis quæfiverunt, num fimilis Amor inter conjuges eft in Cælis, ficut in terris; & duo Spiritus Angelici refponderunt, quod prorfus fimilis; & quia perceperunt, quod vellent fcire, num fimiles delitiæ ultimæ ibi effent, & dixerunt quod prorfus fimiles, fed multo beatiores, quia perceptio & fenfatio Angelica eft multo exquifitior perceptione & fenfatione humana; & quid vita amoris illius nifi ex vena potentiæ, numne hac deficiente amor ille deficit & frigefcit, eftne virtus illa ipfa menfura, ipfe gradus, & ipfa bafis illius amoris; eftne initium, firmamentum & complementum ejus; univerfalis lex eft, quod prima exiftant, fubfiftant, & perfiftant ab ultimis; ita etiam ille Amor, quare nifi forent ultimæ delitiæ, non forent ullæ amoris conjugialis. Tunc quæfiverunt Novitii, num ex ultimis delitiis illius amoris ibi nafcantur proles, & fi non nafcerentur proles, cui ufui funt illæ; refponderunt Spiritus Angelici, quod non aliquæ proles naturales, fed proles fpirituales; & quæfiverunt, quid proles fpirituales, & refponderunt, duo conjuges per delitias ultimas plus uniuntur conjugio boni & veri, & conjugium boni & veri eft conjugium amoris & fapientiæ, ac amor & fapientia funt proles, quæ ex Conjugio illo nafcuntur; & quia maritus ibi eft fapientia, & uxor eft amor ejus, & quoque ambo funt fpirituales, ideo non aliæ proles, quam fpirituales, poffunt ibi concipi & gigni; inde eft, quod Angeli poft delitias, non fiant mœfti, ut aliqui in terris, fed hilares, & hoc illis eft ex jugi influxu recentium virium poft priores, quæ renovant & fimul illuftrant; omnes enim qui in Cælum veniunt, redeunt in vernam fuam juventutem, inque vires ejus ætatis, & fic permanent in æternum. Tres Novitii his auditis, dixerunt, legiturne in Verbo, quod in Cælo non dentur Nuptiæ, quia funt Angeli; ad hæc Spiritus Angelici refponderunt, fufpicite in Cælum, & vobis refpondebitur; & quæfiverunt, cur fufpicerent in Cælum, dixe-

dixerunt, quia inde ſunt nobis omnes interpretationes Verbi, Verbum eſt penitus ſpirituale, & Angeli, quia ſunt ſpirituales, docebunt ſpiritualem intellectum ejus; & poſt aliquam moram aperiebatur Cælum ſupra caput illorum, & in conſpectum illorum venerunt duo Angeli, & dixerunt, dantur Nuptiæ in Cælis, ſicut in terris; ſed non aliis ibi, quam qui in Conjugio boni & veri ſunt, neque alii ſunt Angeli, quare Nuptiæ ſpirituales, quæ ſunt conjugii boni & veri, ibi intelliguntur; hæ dantur in terris, & non poſt obitum, ita non in Cælis; ſicut dicitur de quinque virginibus ſtultis, in nuptias etiam invitatis, quod non potuerint intrare, quia illis non fuit conjugium boni & veri, non enim fuit illis oleum, ſed modo lampades; per oleum intelligitur bonum, & per lampades verum; ac nuptui dari, eſt intrare in Cælum, ubi eſt illud conjugium. Tres Novitii, his auditis lætificati ſunt, ac pleni deſiderio Cæli, & ſpe nuptiarum ibi, & dixerunt, ſtudebimus moralitati & decori vitæ, ut votis potiamur.

DE STATU CONJUGUM POST MORTEM.

45. Quod Conjugia in Cælis ſint, mox ſupra oſtenſum eſt; hic nunc, num Fædus conjugiale pactum in Mundo, manſurum & ſtabile futurum ſit poſt mortem, vel non; hoc quia non eſt res judicii, ſed experientiæ, & hæc mihi data eſt per conſociationem cum Angelis & Spiritibus, a me tradendum eſt; at uſque ita, ut quoque ratio adſtipuletur: inter vota & deſideria Conjugum etiam eſt ſcire illud; Viri enim qui amaverunt uxores ſuas, ſi mortuæ ſunt, volunt ſcire num bene illis ſit, ſimiliter Uxores quæ amaverunt viros ſuos, & num iterum conveniant; multi etiam conjuges optant præſcire, num poſt mortem ſeparentur, vel num una vivant; illi qui inter ſe animis diſcordant, numne ſeparentur; ac illi qui animis concordant, numne una vivant: hæc quia ex optatis ſunt, tradentur; quod fiet in hoc ordine. I. *Quod Amor ſexus maneat apud omnem hominem poſt mortem, qualis ille interius, hoc eſt, in interiore ejus voluntate & cogitatione fuerat in Mundo.* II. *Quod Amor conjugialis ſimiliter.* III. *Quod duo Conjuges utplurimum poſt mortem conveniant, ſe cognoſcant, iterum conſocient, & per aliquod tempus vivant ſimul; quod fit in Primo ſtatu, ita dum in externis ſunt ſicut in Mundo.* IV. *Sed quod ſucceſſive, ſicut exuunt externa, ac intrant in interna ſua, percipiant quali amore & inclinatione inter ſe ad ſe mutuo fuerant, & inde num poſſint una vivere, vel non.* V. *Quod ſi poſſunt una vivere, maneant conjuges, at ſi non poſſunt, ſe ſeparent, quandoque ſe Vir ab Uxore, quandoque ſe Uxor a Viro, & quandoque ſe uterque ab invicem.* VI. *Et quod tunc detur viro uxor conveniens, ac fæminæ maritus ſimiliter.* VII. *Quod Conjuges inter ſe fruantur conſortiis ſimilibus, quibus in Mundo, ſed jucundioribus & beatioribus; verum abſque prolificatione, pro qua ſeu loco ejus, eſt illis prolificatio ſpiritualis, quæ eſt amoris & ſapientiæ.* VIII. *Quod ita fiat illis, qui veniunt in Cælum; aliter vero illis qui in Infernum.* Sequitur nunc Explicatio, per quam Articuli illi illuſtrantur & confirmantur.

46. I: Quod Amor sexus maneat apud omnem hominem post mortem, qualis ille interius, hoc est, in interiore ejus voluntate et cogitatione fuerat in Mundo. Omnis Amor ſequitur hominem poſt mortem, quia eſt Eſſe vitæ ejus; & Amor regnans, qui eſt caput reliquorum, permanet apud hominem in æternum, & cum illo ſimul amores ſubordinati; quod permaneant, eſt quia Amor eſt proprie ſpiritus hominis, & eſt corporis a ſpiritu, ac homo poſt mortem fit ſpiritus, & ſic amorem ſuum fert ſecum; & quia Amor eſt Eſſe vitæ hominis, patet, quod qualis hominis vita fuit in Mundo, talis fiat ſors ejus poſt mortem. Quod Amorem ſexus concernit, eſt ille univerſalis omnium, nam eſt a creatione inditus ipſi animæ hominis, ex qua totius hominis eſſentia eſt, & hoc propter Generis humani propagationem; quod hic Amor principaliter maneat, eſt quia poſt mortem vir eſt vir, ac fæmina eſt fæmina, & quia nihil eſt in anima, in mente, & in corpore, quod non eſt maſculinum in maſculo, & fæmininum in fæmina; & hæc duo ita creata ſunt, ut connitantur in conjunctionem, imo in conjunctionem ut unum fiant; hic niſus eſt Amor ſexus, qui præcedit Amorem conjugialem: nunc quia inclinatio conjunctiva inſcripta eſt omnibus & ſingulis maſculi & fæminæ, ſequitur quod illa inclinatio non poſſit obliterari ac obire cum corpore.

47. Quod Amor ſexus maneat qualis ille fuit interius in Mundo, eſt quia apud omnem hominem eſt Internum & Externum, quæ duo etiam vocantur Internus & Externus homo, ac inde eſt Interna & Externa Voluntas & Cogitatio; homo relinquit Externum, ac retinet Internum ſuum, cum moritur; Externa enim proprie ſunt ejus corporis, ac Interna ſunt proprie ejus ſpiritus; nunc quia homo eſt ſuus Amor, & Amor inſidet ſpiritui ejus, ſequitur quod Amor ſexus apud illum poſt mortem maneat, qualis ille fuit interius apud illum; ut pro exemplo, ſi Amor ille interius fuerat conjugialis ſeu caſtus, manet ille poſt mortem conjugialis & caſtus; at ſi interius fuerat ſcortatorius, manet poſt mortem etiam talis. At ſciendum eſt, quod Amor ſexus non ſimilis ſit apud unum qualis apud alterum; ſunt differentiæ ejus infinitæ; ſed uſque, qualis eſt in ſpiritu cujuſvis, talis etiam manet.

48. II: Quod Amor conjugialis similiter maneat, qualis ille interius, hoc est, in interiore voluntate et cogitatione apud hominem fuerat in Mundo. Quoniam alius eſt Amor ſexus, & alius Amor conjugialis, ideo nominatur uterque, ac dicitur quod etiam hic maneat poſt mortem, qualis fuerat apud hominem, dum vixit in Mundo, in Interno ejus homine: ſed quia pauci ſciunt diſcrimen inter Amorem ſexus & Amorem conjugialem, ideo in limine hujus Tranſactionis aliquid de illo præfabor. Amor ſexus eſt Amor ad plures & cum pluribus e Sexu, at Amor Conjugialis eſt ſolum ad unam & cum una e Sexu; ac Amor ad plures & cum pluribus eſt Amor naturalis, eſt enim communis cum beſtiis & avibus, & hæ ſunt naturales, at Amor Conjugialis eſt Amor ſpiritualis, ac particularis & proprius hominibus, quia homines creati ſunt, & ideo naſcuntur ut fiant ſpirituales; quare quantum homo fit ſpiritualis, tantum exuit Amorem ſexus, ac induit Amorem conjugialem. In principio conjugii apparet Amor ſexus ſicut con-

conjunctus cum Amore conjugiali, sed in progressione conjugii separantur, & tunc apud illos qui spirituales sunt, exterminatur amor sexus, ac insinuatur Amor conjugialis; at apud illos qui naturales sunt, fit contrarium. Ex nunc dictis patet, quod Amor sexus, quia est cum pluribus, ac in se naturalis, imo animalis, sit impurus & incastus, & quia est vagus & illimitatus, scortatorius; at prorsus aliter Amor conjugialis. Quod Amor conjugialis sit spiritualis, ac proprie humanus, ex sequentibus manifeste constabit.

47. III: QUOD DUO CONJUGES UTPLURIMUM POST MORTEM CONVENIANT, SE AGNOSCANT, CONSOCIENT, ET PER ALIQUOD TEMPUS VIVANT SIMUL, QUOD FIT IN PRIMO STATU; ITA DUM IN EXTERNIS SUNT SICUT IN MUNDO. Sunt duo Status quos homo post mortem subit, Externus & Internus, in Externum suum venit primum, & postea in Internum; & dum in Externo est, conjux conjugem, si uterque mortuus est, convenit, agnoscit, & si una vixerunt in Mundo, consociant se, & per aliquod tempus vivunt simul; & cum in hoc statu sunt, non scit unus inclinationem alterius ad se, quia hæc se in Internis recondit: postea vero cum in statum suum internum veniunt, manifestat se inclinatio, quæ si est concors & sympathica, vitam conjugialem continuant, at si est discors & antipathica, illam solvunt. Si Viro plures uxores fuerint, conjungit se cum illis ordine, dum in statu externo est; at cum intrat statum internum, in quo percipit amoris inclinationes, quales sunt, tunc vel adoptat unam, vel relinquit omnes; nam in spirituali Mundo, æque ut in Mundo naturali, non licet alicui Christiano plures uxores ducere, quia hoc infestat & prophanat Religionem; simile fit cum Muliere, cui plures mariti fuerant; at usque hæ non adjungunt se maritis, modo se præsentant, at mariti illas sibi. Sciatur, quod Mariti raro cognoscant uxores suas, sed quod Uxores probe maritos; causa est, quia mulieribus est perceptio amoris interior, & viris modo exterior.

48. IV: SED QUOD SUCCESSIVE SICUT EXUUNT EXTERNA, AC INTRANT IN INTERNA SUA, PERCIPIANT QUALI AMORE ET INCLINATIONE INTER SE AD SE MUTUO FUERANT, ET INDE NUM POSSINT UNA VIVERE, VEL NON. Hæc ulterius explicare non opus est, quia sequuntur ex illis quæ in præcedente Articulo explicata sunt: hic solum illustrabitur, quomodo homo post mortem exuit externa & induit interna: unusquisque post mortem primum introducitur in Mundum, qui vocatur Mundus spirituum, & est medius inter Cælum & Infernum, ac ibi præparatur, bonus ad Cælum & malus ad Infernum: præparatio ibi pro fine habet, ut Internum & Externum concordent & faciant unum, & non discordent & faciant duo; in Mundo naturali faciunt illa duo, ac solum apud illos, qui corde sinceri sunt, faciunt unum: quod faciant duo, constat ex dolosis & astutis, imprimis ex hypocritis, assentatoribus, simulatoribus, & mendacibus; in Mundo autem spirituali non licet ita divisam habere mentem, sed qui malus fuerat in Internis, etiam malus erit in Externis; similiter bonus in utrisque; omnis enim homo post mortem fit qualis fuerat interius, & non qualis exterius: propter hunc finem immittitur ille tunc per vices in suum Externum & in suum Internum; & quisque homo dum in Externo est, sapit, hoc est, vult videri

quod ſapiat, etiam malus; ſed hic in Interno ſuo inſanit; hic poteſt per viciſſitudines illas videre inſanias ſuas, & ab illis reſipiſcere; ſed ſi non reſipuerat in Mundo, non poteſt poſtea, nam amat inſanias ſuas, & vult manere in illis; quare adigit Externum ſuum etiam ad inſaniendum ſimiliter; ſic fit Internum & Externum ejus unum; & cum hoc factum eſt, præparatus eſt ad Infernum. Viciſſim autem bonus, hic quia in Mundo ſpectaverat ad Deum, ac reſipuerat, in Interno ſapuit plus quam in Externo; in Externo etiam ex illecebris Mundi & vanitatibus aliquoties deliravit, quare etiam hujus Externum reducitur ad concordantiam cum ejus Interno, quod, ut dictum eſt, ſapit; quo facto, præparatus eſt ad Cælum. Ex his illuſtratum eſt, quomodo fit exuitio Externi ac induitio Interni poſt mortem.

49. V: Quod si possunt una vivere, maneant conjuges, at si non possunt, se separent, quandoque vir ab uxore, quandoque uxor a viro, et quandoque se uterque ab invicem. Quod ſeparationes fiant poſt mortem, eſt quia conjunctiones, quæ fiunt in terris, raro fiunt ex aliqua interna perceptione amoris, ſed ab externa, quæ internam abſcondit; perceptio Amoris externa cauſam & originem ducit ex talibus, quæ ſunt Amoris Mundi & Corporis; Amoris Mundi ſunt imprimis opes & poſſeſſiones, ac Amoris corporis ſunt dignitates & honores; & præter illas, ſunt etiam variæ illecebræ quæ pelliciunt, ut pulchritudo & ſimulatus decor morum; quandoque etiam incaſtitas; ac præterea contrahuntur Matrimonia intra regionem, civitatem, aut villam nativitatis aut habitationis, ubi nec datur electio niſi ſtricta & limitata ad domus quæ cognoſcuntur, & ibi cum correſpondentibus ſorti ſuæ; inde eſt, quod Conjugia in Mundo inita utplurimum ſint externa, & non ſimul interna; cum tamen Conjunctio interna, quæ eſt Animarum, facit ipſum conjugium; & illa conjunctio non eſt perceptiblis prius quam dum homo exuit Externum ac induit Internum, quod fit poſt mortem: inde nunc eſt, quod tunc fiant ſeparationes, & poſtea novæ conjunctiones cum ſimilaribus & homogeneis, niſi hæ proviſæ fuerint in terris, quod fit illis qui a Juventute amaverant, optaverant, & a Domino petierant legitimum & amabile conſortium cum una, ac ſpernunt & contrahunt nares ad libidines vagas.

50. VI: Quod tunc detur viro uxor conveniens, ac fæminæ maritus similiter.: Cauſa eſt, quia non alii Conjuges poſſunt recipi in Cælum, ut ibi maneant, niſi qui interius uniti ſunt, aut uniri poſſunt ſicut in unum, nam ibi duo Conjuges non vocantur duo, ſed unus Angelus; quod intelligitur per Domini verba, quod non ſint duo amplius, ſed una caro. Quod non alii Conjuges recipiantur in Cælum, eſt quia non alii poſſunt ibi cohabitare, hoc eſt, ſimul eſſe in una domo, inque cubiculo & toro; omnes enim qui in Cælis ſunt, conſociati ſunt ſecundum affinitates & propinquitates amoris, & ſecundum has ſunt habitationes illis; nam in Mundo ſpirituali non ſunt ſpatia, ſed ſunt apparentiæ ſpatiorum, & hæ ſunt ſecundum ſtatus vitæ illorum, & ſtatus vitæ ſunt ſecundum ſtatus amoris; quare non poteſt aliquis ibi morari niſi in ſua domo, quæ illi providetur & deſignatur ſecundum quale ejus amoris; ſi alibi, laborat pectore & anhelitu; & non poſſunt duo cohabitare in eadem domo, niſi

ſint

ſint ſimilitudines; & prorſus non Conjuges, niſi ſint inclinationes mutuæ; ſi ſunt inclinationes externæ & non ſimul internæ, ipſa domus ſeu ipſe locus ſeparat, rejicit, & abigit illos: hæc eſt cauſa, quod illis, qui poſt præparationem introducuntur in Cælum, provideatur Conjugium cum conſorte, cujus anima inclinat ad unionem cum alterius, adeo ut non velint duæ vitæ eſſe ſed una: hæc cauſa eſt, quod poſt ſeparationem detur viro uxor conveniens, & fæminæ maritus ſimiliter.

51. VII: Quod Conjuges inter se fruantur consortiis similibus, quibus in Mundo, sed jucundioribus et beatioribus; verum absque prolificatione, pro qua seu loco ejus est illis prolificatio spiritualis, quæ est Amoris et Sapientiæ. Quod Conjuges fruantur conſortiis ſimilibus, quibus in Mundo, eſt quia poſt mortem maſculus eſt maſculus, ac fæmina eſt fæmina, & utrique inclinatio ad conjunctionem a creatione eſt inſita; & hæc inclinatio apud hominem eſt ejus ſpiritus & inde corporis, quare poſt mortem, cum homo fit ſpiritus, manet eadem inclinatio mutua; & hæc non dabilis eſt abſque ſimilibus conſortiis; homo enim eſt homo, ut prius, nec abeſt quicquam a maſculo, nec quicquam a fæmina, quoad formam ſunt ſibi ſimiles, pariter quoad affectiones & cogitationes; quid tunc aliud inde ſequitur, niſi quam quod ſimilia conſortia ſint; & quia Amor conjugialis eſt caſtus, purus & ſanctus, quod etiam conſortia plena ſint; ſed videantur de his plura in Memorabili n. 44. Quod Conſortia tunc jucundiora & beatiora ſint, eſt quia Amor ille, dum fit ſpiritus, fit interior & purior, & inde perceptibilior, & omnis jucunditas creſcit ſecundum perceptionem, & creſcit uſque ut beatitudo ejus in jucunditate ejus animadvertatur.

52. Quod Conjugia in Cælis ſint abſque prolificatione, ſed quod pro illa ſit prolificatio ſpiritualis, quæ eſt amoris & ſapientiæ, eſt quia apud illos qui in Mundo ſpirituali ſunt, tertium deeſt, quod eſt naturale, & hoc eſt continens ſpiritualium, ac ſpiritualia abſque ſuo continente non conſiſtunt, quemadmodum illa quæ procreantur in Mundo naturali; ac ſpiritualia in ſe ſpectata ſe referunt ad Amorem & Sapientiam, quare hæc ſunt, quæ ex conjugiis illorum naſcuntur. Dicitur quod hæc naſcantur, quia Amor conjugialis perficit Angelum, unit enim illum cum ſua conſorte, unde fit plus & plus homo, nam, ut ſupra dictum eſt, duo Conjuges in Cælo non ſunt duo ſed unus Angelus; quare per Conjugialem unitionem ſe implent humano, quod eſt velle ſapere, ac amare id quod ſapientiæ eſt.

53. VIII: Quod ita fiat illis qui veniunt in Cælum, aliter vero illis qui in Infernum. Quod poſt mortem detur viro uxor conveniens, & uxori maritus ſimiliter, & quod hi fruantur conſortiis jucundis & beatis, verum abſque prolificatione alia quam ſpirituali, intelligendum eſt de illis qui recipiuntur in Cælum & fiunt Angeli; cauſa eſt, quia hi ſpirituales ſunt, & conjugia in ſe ſunt ſpiritualia, & inde ſancta: at vero illi qui in Infernum veniunt, ſunt omnes naturales, & conjugia mere naturalia non ſunt conjugia, ſed conjunctiones, quæ trahunt ex libidine incaſta: quales hæ conjunctiones ſunt, in ſequentibus, ubi agitur de Caſto & Incaſto, & porro ubi de Amore ſcortatorio, dicetur.

54.

54. His, quæ hactenus de Statu conjugum post mortem memorata sunt, addenda sunt hæc. 1. Quod omnes illi Conjuges, qui mere naturales sunt, separentur post mortem; causa est, quia amor conjugii apud illos friget, & amor adulterii calet; at usque post separationem quandoque se cum aliis sicut conjuges consociant, sed post breve tempus a se invicem recedunt; quod sæpius fit vicibus iteratis; & tandem emancipatur vir alicui scorto, & fæmina alicui adultero, quod fit in Carcere infernali, de quo in APOCALYPSI REVELATA n. 153. p. X, ubi utrique sub pæna interdicitur scortatio promiscua. 2. Conjuges, quorum unus est spiritualis & alter naturalis, post mortem etiam separantur; & datur Spirituali conjux conveniens, at Naturalis relegatur in loca lasciviæ ad similes. 3. Illi autem, qui in Mundo cælebes vixerunt, ac prorsus abalienaverunt mentem a conjugio, si spirituales sunt, manent cælebes; si autem naturales, fiunt scortatores. Aliter vero illi qui in suo Cælibatu desideraverunt conjugium, & plus qui absque successu sollicitaverunt illud; his, si spirituales sunt, Conjugia beata providentur; sed non prius, quam dum in cælo sunt. 4. Illi qui in Mundo monasteriis inclusi sunt, tam virgines quam viri, post exactam vitam monasterialem, quæ perstat aliquo spatio temporis post mortem, exsolvuntur & emittuntur, ac potiuntur libertate votiva desideriorum suorum, sive velint conjugiales vivere, sive non; si conjugiales, fiunt, si non, feruntur ad cælebes a latere cæli; at qui æstuaverunt inconcessa libidine, dejiciuntur. 5. Quod Cælebes sint a latere cæli, est quia sphæra perpetui cælibatus infestat sphæram amoris conjugialis, quæ est ipsa sphæra cæli; quod sphæra amoris conjugialis sit ipsa sphæra cæli, est quia descendit ex cælesti Conjugio Domini & Ecclesiæ.

❀ ❀ ❀ ❀ ❀ ❀ ❀

55. His adjiciam duo MEMORABILIA; PRIMUM hoc. Quondam e Cælo auditum est suavissimum melos, erant ibi uxores cum virginibus, quæ concinebant cantilenam; suavitas cantionis erat sicut affectio cujusdam amoris harmonice profluens; Cantus cælestes nec aliud sunt quam affectiones sonoræ, seu quam affectiones sonis expressæ & modificatæ, nam sicut cogitationes exprimuntur per loquelas, ita affectiones per cantus; Angeli ex modulationis symmetria & profluentia percipiunt rem affectionis. Erant tunc multi spiritus circum me, & audivi ex quibusdam, quod audirent suavissimum illud melos, & quod id esset melos cujusdam amabilis affectionis, cujus rem nescirent; quare divinabant varia, sed incassum; divinabant quod Cantio illa exprimeret affectionem sponsi & sponsæ cum pangunt; quidam quod affectionem sponsi & sponsæ cum intrant ad nuptias; & quidam quod primitivum amorem mariti & uxoris. At tunc in medio illorum apparuit Angelus e Cælo, & ille dixit, quod canerent Amorem sexus castum; at circumstantes quærebant, quid Amor sexus castus; & dixit Angelus, quod sit amor viri ad virginem aut ad uxorem pulchram forma & decoram moribus, immunis ab omni idea lasciviæ, & vicissim; his dictis Angelus evanuit. Perseverabat cantus, & tunc quia sciebant

bant rem affectionis quam exprimebat, audiebant illum cum multa varietate, quisque secundum statum sui amoris; illi qui caste spectabant fæminas, audiebant Cantum illum ut symphonicum & suavem; illi autem qui incaste spectabant fæminas, audiebant illum sicut disharmonicum & mæstum; & illi qui fastidiose spectabant fæminas, audiebant illum sicut discordem & raucum. At subito tunc Planum, super quo stabant, mutabatur in Theatrum, & audiebatur vox, VENTILATE HUNC AMOREM; ac subito aderant spiritus ex variis Societatibus, & in medio illorum aliqui Angeli in albo; & hi tunc loquuti dicebant; nos in Mundo hoc spirituali inquisivimus in omnes species amoris, non modo in amorem viri erga virum, ac fæminæ erga fæminam; ac in amorem reciprocum mariti & uxoris; sed etiam in amorem viri erga fæminas, & fæminæ erga viros; & datum est nobis pertransire Societates, & explorare, & nondum invenimus communem amorem sexus castum, nisi quam apud illos, qui ex amore vere conjugiali in potentia jugi sunt, & hi sunt in supremis Cælis: & quoque datum est percipere influxum hujus amoris in affectiones cordium nostrorum, & persensimus illum suavitate excedentem omnem alium amorem, præter amorem duorum conjugum, quorum corda unum sunt: sed petimus ut ventiletis hunc amorem, quia coram vobis novus est & ignotus; & quia est ipsa amænitas, a nobis in Cælo vocatur cælestis suavitas. Cum itaque ventilarent, primum loquuti sunt illi, qui non potuerunt cogitare castitatem de Conjugiis, & aiebant; Quis dum videt Virginem aut Uxorem pulchram & amabilem, ita potest castigare & purificare ideas cogitationis suæ a concupiscentia, ut amet pulchritudinem, & tamen prorsus non velit, si licet, illam libare; quis potest vertere concupiscentiam cuivis viro innatam in tale castum, ita in non se, & usque amare; num amor sexus, dum ab oculis intrat in cogitationes, potest subsistere in facie fæminæ, numne descendit momento in pectus, & ultra; angeli loquuti sunt vana, quod ille amor detur castus, & tamen quod omnium suavissimus sit, & quod unice dabilis sit apud Maritos qui in amore vere conjugiali & inde in præpollente potentia cum uxoribus suis sunt; num hi præ aliis, dum vident pulchras, possunt ideas cogitationis suæ tenere in alto, & sicut suspendere, ne descendant & pergant ad id quod facit amorem illum. Post hos loquuti sunt qui & in frigore & in calore erant, in frigore ad suas uxores, & in calore ad sexum, & dicebant, quid Amor sexus castus, estne amor sexus contradictio cum adjicitur castitas, quid contradictio in adjecto nisi res cui aufertur sua prædicatio, quæ non est aliquid; quomodo amor sexus castus potest esse omnium amorum suavissimus, cum castitas deprivat illum suavitate sua; nostis omnes ubi residet suavitas illius amoris, cum itaque idea conjunctiva cum hoc exulat, ubi & unde tunc suavitas. Tunc exceperunt aliqui, & dixerunt; nos fuimus cum pulcherrimis, & non cupivimus, quare nos scimus quid amor sexus castus; at consocii, qui noverunt lascivias illorum, respondebant, vos tunc in statu fastidii sexus ex non potentia fuistis, & hoc non est amor Sexus castus, sed est ultimum amoris incasti. His auditis Angeli indignati rogaverunt, ut illi qui ad dextram seu ad meridiem stabant, loquerentur; & hi dixerunt, est amor viri

& viri, tum fœminæ & fœminæ, & eſt amor viri ad fœminam, & amor fœminæ ad virum; & hæc tria paria amorum inter ſe prorſus differunt; amor viri & viri eſt ſicut amor intellectus & intellectus, vir enim creatus eſt, & inde naſcitur ut fiat intellectus; amor fœminæ & fœminæ eſt ſicut amor affectionis & affectionis intellectus virorum, fœmina enim creata eſt & naſcitur ut fiat amor intellectus viri: hi amores, nempe viri & viri, ac fœminæ & fœminæ, non intrant penitus in pectora, ſed foris ſtant, & ſe modo tangunt, ita non interius conjungunt duos; quare etiam duo viri ratiociniis & ratiociniis inter ſe pugillant ſicut duo athletæ; ac duæ fœminæ quandoque concupiſcentiis & concupiſcentiis inter ſe ſicut duo ludiones dimicantes pugnis. At amor viri & fœminæ eſt amor intellectus & ejus affectionis, & hic intrat penitus & conjungit; & conjunctio illa eſt ille amor; at conjunctio mentium & non ſimul corporum, ſeu niſus ad illam conjunctionem ſolam, eſt amor ſpiritualis, & inde amor caſtus; & hic amor ſolum datur apud illos, qui in amore vere conjugiali ſunt, & inde in eminente potentia, quia hi propter caſtitatem non admittunt influxum amoris e corpore alius fœminæ, quam ex ſuæ uxoris; & quia in ſupereminente potentia ſunt, non poſſunt aliter quam amare ſexum, & ſimul averſari incaſtum; inde eſt illis amor ſexus caſtus, qui in ſe ſpectatus eſt amicitia interior ſpiritualis, quæ ſuavitatem ſuam ducit ex eminente potentia, ſed caſta; potentia illis eminens eſt ex totali abdicatione ſcortationis; & quia ſola uxor amatur, eſt caſta: nunc, quia ille amor apud illos non participat ex carne ſed modo ex ſpiritu, eſt caſtus, & quia pulchritudo fœminæ ex inſita inclinatione ſimul intrat in mentem, eſt ſuavis. His auditis multi ex adſtantibus ponebant manus ad ſuas aures, dicentes, illa dicta lædunt aures noſtras, & illa quæ loquuti eſtis ſunt in nobis nauci, erant incaſti: & tunc iterum auditus eſt cantus ille e Cælo, & nunc priori ſuavior, ſed hic coram incaſtis illis crepuit ita diſcors, ut propter ſtridorem diſcordiæ ejicerent ſe ex Theatro & aufugerent, remanentibus paucis, qui ex ſapientia caſtitatem conjugialem amabant.

56. ALTERUM MEMORABILE. Quondam in Mundo Spirituali cum Angelis loquens inſpiratus ſum amæna voluptate videndi TEMPLUM SAPIENTIÆ, quod ſemel prius videram, & interrogavi illos de via ad illud, dixerunt, ſequere Lucem, & invenies; & dixi, quid hoc, ſequere lucem; dixerunt, Lux noſtra candeſcit plus & plus, ſicut appropinquatur ad illud Templum, quare ſequere lucem ſecundum candoris ejus incrementum, nam Lux noſtra procedit a Domino ut Sole, & inde in ſe ſpectata eſt Sapientia: tunc in comitatu cum binis Angelis vadi ſecundum incrementum candoris lucis, & aſcendi per tramitem clivoſum uſque ad ſummitatem unius Collis, qui erat in Plaga meridionali, & ibi erat Porta magnifica; & cuſtos, viſis mecum angelis, aperiebat illam; & ecce viſus eſt Porticus ex palmis & lauribus, ſecundum quem vadimus; circuibat Porticus, & terminabatur in Hortum, in cujus medio erat TEMPLUM SAPIENTIÆ: cum ibi circumſpexi, vidi Ædiculas ſimilitudines Templi, in quibus erant Sapientes; acceſſimus ad unam, & in oſtio loquuti ſumus cum hoſpite ibi, & narravimus cauſam adventus, & modum acceſſus,

&

& dixit hospes, beneventote, intrate, sedete, & consociemur sermonibus sapientiæ: vidi Ædiculam intus, quod esset divisa in duas, & usque erat una; divisa erat in duas per parietem translucidum, at apparuit ut una ex translucentia, quæ erat sicut purissimi chrystalli; quæsivi cur ita, dixit non sum solus, uxor mecum est, & nos sumus duo, sed usque non duo sed una caro. At dixi, scio quod sapiens sis, & quid sapiens seu sapientia cum fæmina; ad hæc hospes ex quadam indignatione mutabatur facie, & exporrigebat manum, & ecce tunc ex ædiculis propinquis alii Sapientes aderant, quibus jocando dixit, noster advena hic sciscitando inquiit, quid Sapiens seu Sapientia cum Fæmina; ad hæc riserunt omnes, & dixerunt, quid sapiens seu sapientia absque fæmina, seu absque amore, uxor est amor sapientiæ sapientis. Sed hospes dixit, consociemur nunc aliquo sermone sapientiæ, sit sermo de causis, & nunc de causa Pulchritudinis Sexus fæminini: & tunc in ordine loquuti sunt, & dixit Primus hanc causam, quod Fæminæ a Domino creatæ sint affectiones sapientiæ virorum, & affectio sapientiæ est ipsa Pulchritudo. Alter dixit hanc causam, quod Fæmina a Domino creata sit per sapientiam viri, quia a viro, & quod inde sit forma sapientiæ inspirata affectione amoris, & quia affectio amoris est ipsa vita, est fæmina vita sapientiæ, masculus autem sapientia, ac vita sapientiæ est ipsa Pulchritudo. Tertius dixit hanc causam, quod Fæminis sit data perceptio delitiarum amoris conjugialis, & quia totum illarum corpus est organum illius perceptionis, non potest aliter quam ut habitatio delitiarum amoris conjugialis cum sua perceptione sit Pulchritudo. Quartus dixit hanc causam, quod Dominus desumpserit pulchritudinem & elegantiam vitæ a Viro, & transcripserit in fæminam, & quod inde vir absque reunitione cum sua pulchritudine & elegantia in fæmina, sit torvus, austerus, siccus & inamabilis, & ille non sapiens est nisi sibi soli, & hic est stolidus; at cum vir unitur cum sua pulchritudine & elegantia vitæ in uxore, fit jucundus, amænus, vivus & amabilis, & sic sapiens. Quintus dixit hanc causam, quod Fæminæ creatæ sint Pulchritudines non propter se sed propter viros, ut viri ex se duri mollescant, animi illorum ex se graves mitescant, & corda illorum ex se frigida calescant, & tales fiunt, cum fiunt una caro cum suis uxoribus. Sextus dixit hanc causam, quod Universum a Domino creatum sit perfectissimum opus, at in illo nihil perfectius creatum est, quam Fæmina formosa facie & decora moribus, propter causam, ut Vir gratias agat Domino propter illam munificentiam, & retribuat per receptionem sapientiæ ab Ipso. Postquam hæc & plura similia dicta sunt, apparuit Uxor trans parietem chrystalinum, & dixit ad Maritum, loquere si placet, & cum loquutus est, in sermone percipiebatur vita sapientiæ ab uxore, sono enim loquelæ inerat amor ejus; ita experientia testificata est illam veritatem. Post hæc lustravimus Templum sapientiæ, & quoque Paradisiaca circum illud, ex quibus impleti gaudiis abivimus, & transivimus Porticum ad portam, & per viam ascensus descendimus.

DE AMORE VERE CONJUGIALI.

57. Eſt Amor conjugialis infinitæ varietatis, non datur ſimilis apud unum qualis eſt apud alterum; apparet quidem ſicut ſimilis apud multos, ſed ita apparet coram judicio corporis, & homo ex hoc judicio parum diſcernit talia, quia eſt craſſum & hebes; per judicium corporis intelligitur judicium mentis ex ſenſibus externis: at coram illis, qui ex judicio ſpiritus vident, apparent diſcrimina, & diſtinctius coram illis, qui viſum hujus judicii poſſunt altius elevare, quod fit per abductionem ejus a ſenſibus, & exaltationem ejus in lucem ſuperiorem; hi tandem poſſunt confirmare ſe intellectu, & ſic videre, quod Amor conjugialis non detur ſimilis apud unum, qualis eſt apud alterum. At uſque nemo poteſt infinitas varietates hujus Amoris in aliqua luce intellectus etiam elevati videre, niſi primum ſciat, qualis ille Amor eſt in ipſa ſua eſſentia & integritate, ita qualis fuit, quando una cum vita a Deo inditus eſt homini; niſi hic ejus ſtatus, qui fuit perfectiſſimus, noſcatur, fruſtra aliqua inquiſitione diſcrimina ejus poſſunt detegi; non enim eſt aliquod ſtabile punctum, ex quo ut exordio diſcrimina deducantur, & ad quod ſicut collimando, illa ſe referant, & ſic vere & non fallaciter appareant. Hæc cauſa eſt, quod hic ingrediamur deſcribere Amorem illum in ſua genuina eſſentia; & quia in hac fuit ille, quando una cum vita a Deo infuſus eſt homini, deſcribere illum qualis fuit in primævo ſuo ſtatu; & quia in hoc ſtatu fuit ille vere conjugialis, inſcribitur hic Paragraphus, de Amore vere Conjugiali: at hæc illius deſcriptio fiet in hoc ordine. I: *Quod detur Amor vere conjugialis, qui hodie tam rarus eſt, ut non ſciatur qualis eſt, & vix quod ſit.* II: *Quod illius Amoris origo ſit ex Conjugio boni & veri.* III: *Quod illius Amoris correſpondentia ſit cum Conjugio Domini & Eccleſiæ.* IV: *Quod ille Amor ex ſua origine & ex ſua correſpondentia ſpectatus ſit cæleſtis, ſpiritualis, ſanctus, purus & mundus præ omni amore, qui a Domino eſt apud angelos cæli, & apud homines Eccleſiæ.* V: *Quod etiam ſit Amor fundamentalis omnium amorum cæleſtium & ſpiritualium, & inde naturalium.* VI: *Quodque in illum amorem collata ſint omnia gaudia & omnes delitiæ a primis ad ultima.* VII: *Sed quod non alii in illum amorem veniant, & in illo eſſe poſſint, quam qui adeunt Dominum, ac vera Eccleſiæ amant, & bona ejus faciunt.* VIII: *Quod hic Amor fuerit amor amorum apud Antiquos, qui in Sæculo aureo, argenteo & cupreo vixerant, ſed quod poſtea ſucceſſive faceſſerit.* Explicatio horum nunc ſequitur.

58. Quod detur Amor vere conjugialis, qui hodie tam rarus est, ut non sciatur qualis est, et vix quod sit. Quod detur talis Amor conjugialis, qualis deſcribitur in his ſequentibus, quidem poteſt agnoſci ex Primo ſtatu illius amoris, quando ſe in cor juvenis & virginis inſinuat ac intrat, ita apud illos, qui unam ſolam e ſexu incipiunt amare, ac deſiderare in ſponſam; & adhuc plus tempore deſponſationis, dum hoc protrahitur, & progreditur ad nuptias; & tandem in nuptiis, & primis diebus poſt illas; quis tunc

tunc non agnoſcit, & conſentit ad ſequentia hæc, quod ille Amor ſit fundamentalis omnium amorum; tum quod in illum collata ſint omnia gaudia & omnes delitiæ a primis ad ultima; & quis non ſcit, quod poſt amænum hoc tempus ſucceſſive tranſeant & faceſſant lætitiæ illæ, uſque tandem ut vix ſentiant illas; ſi tunc illis dicitur idem quod prius, quod Amor ille ſit fundamentalis omnium amorum, & quod in illum collata ſint omnia gaudia & lætitiæ, non conſentiunt nec agnoſcunt; & forte dicent, quod ſint nugæ, aut quod ſint myſtica quæ tranſcendunt. Ex his patet, quod Amor primitivus conjugii æmuletur Amorem vere conjugialem, & ſiſtat illum videndum in quadam imagine; quod ſit, quia tunc projectus eſt amor ſexus, qui eſt incaſtus, ac loco ejus amor unius e ſexu, qui eſt amor vere conjugialis, & caſtus, inſidet implantatus; quis tunc non ſpectat alias mulieres nutu inamato, ac ſuam unicam amato.

59. Quod tamen Amor vere conjugialis tam rarus ſit, ut non ſciatur qualis eſt, & vix quod ſit, eſt quia ſtatus amænitatum ante nuptias, poſt illas mutatur in ſtatum indifferentiæ ex inſenſibilitate illarum; cauſæ mutationis illius ſtatus ſunt plures, quam hic poſſunt afferri: ſed afferentur in ſequentibus, ubi Cauſæ frigorum, ſeparationum, & divortiorum in ſuo ordine detegentur; ex quibus videbitur, quod apud pleroſque hodie ita aboleatur imago illa amoris conjugialis, & cum illa cognitio, uſque ut non ſciatur qualis eſt, & vix quod ſit. Notum eſt, quod omnis homo, dum naſcitur, ſit mere corporeus, & quod a corporeo fiat naturalis interior & interior, & ſic rationalis, & demum ſpiritualis; quod ita progreſſive, eſt quia corporeum eſt ſicut humus, cui naturalia, rationalia, & ſpiritualia in ſuo ordine inſeruntur; ita fit homo plus & plus homo: pæne ſimile fit cum init conjugium, tunc fit homo plenior homo, quia conjungitur cum conſorte, cum qua unum hominem agat; ſed hoc fit in Primo ſtatu in quadam imagine, de quo prius; ſimiliter tunc inchoat a corporeo, & procedit in naturale, ſed quoad conjugialem vitam, & inde conjunctionem in unum; illi qui tunc amant corporea naturalia, & ſolum rationalia ex illis, non poſſunt conjungi conſorti ſicut in unum, niſi quoad externa illa, & cum externa deficiunt, invadit interna frigus, quod amoris illius jucunda ſicut a mente ita a corpore, ac poſtea ſicut a corpore ita a mente, diſcutit, & hoc eo uſque dum non ſupereſt aliquid ex reminiſcentia de ſtatu primævo ſui conjugii, conſequenter nec cognitio de illo: nunc quia ita fit hodie apud pleroſque, patet quod amor vere conjugialis non ſciatur qualis eſt, & vix quod ſit. Aliter fit illis qui ſpirituales ſunt, his eſt Primus ſtatus initiamentum ad fauſtitates perpetuas, quæ gradum promovent, ſicut ſpirituale rationale mentis, & ex hoc naturale ſenſuale corporis, unius cum alterius ſe conjungunt & uniunt; ſed hi rari ſunt.

60. II. Quod illius Amoris Origo sit ex Conjugio boni et veri. Quod omnia in Univerſo ſe referant ad bonum & verum, ab omni homine intelligente agnoſcitur, quia eſt univerſale verum; quod etiam in omnibus & ſingulis Univerſi bonum ſit conjunctum vero, ac verum bono, non poteſt non agnoſci, quia hoc etiam eſt univerſale verum, quod cohæret cum altero. Cauſa,

sa, quod omnia in Universo se referant ad bonum & verum, & quod bonum sit conjunctum vero, & reciproce, est quia utrumque procedit a Domino, ac procedunt ab Ipso ut unum; duo quæ procedunt a Domino, sunt Amor & Sapientia, quia hæc sunt Ipse, ita ab Ipso, & omnia quæ sunt Amoris vocantur bona, & omnia quæ sunt Sapientiæ vocantur vera; & quia ab Ipso ut Creatore procedunt illa duo, sequitur quod in creatis sint illa duo. Hoc illustrari potest per Calorem & Lucem, quæ procedunt a Sole, ex his sunt omnia Telluris, germinant enim secundum præsentiam illorum, & secundum conjunctionem illorum; ac Calor naturalis correspondet Calori spirituali, qui est Amor, & Lux naturalis correspondet Luci spirituali, quæ est Sapientia.

61. Quod Amor conjugialis procedat ex Conjugio boni & veri, in sequente Transactione seu Paragrapho demonstrabitur; hic solum adducitur illud propter causam, ut videatur quod ille Amor sit cælestis, spiritualis & sanctus, quia ex cælesti, spirituali & sancta origine. Ut videatur quod origo Amoris conjugialis sit ex Conjugio boni & veri, interest ut aliquid in brevi compendio de eo hic dicatur: mox supra dictum est, quod in omnibus & singulis creatis sit conjunctio boni et veri, & conjunctio non datur nisi sit reciproca, nam conjunctio ab una parte, & non vicissim ab altera, ex se solvitur; nunc quia est conjunctio boni & veri, & hæc reciproca, sequitur quod sit Verum boni seu Verum ex bono, & quod sit Bonum veri seu Bonum ex vero; quod Verum boni seu verum ex bono, sit in Masculo, & quod sit ipsum Masculinum, ac quod Bonum veri seu bonum ex vero, sit in Fæmina, & quod sit ipsum Fæmininum, tum quod unio conjugialis sit inter illa duo, in Transactione proxime sequente videbitur; id hic memoratur, ut aliqua præliminaris idea sit de eo.

62. III: Quod illius Amoris correspondentia sit cum Conjugio Domini et Ecclesiæ; hoc est, quod sicut Dominus amat Ecclesiam, ac vult ut Ecclesia amet Ipsum, ita maritus & uxor se mutuo ament; quod Correspondenti sit inter illa, in Orbe Christiano notum est, sed qualis illa est, nondum notum est, quare illa Correspondentia in singulari Paragrapho, qui etiam sequitur, explanabitur: hic memoratur illa, propter finem, ut videatur quod Amor conjugialis sit cælestis, spiritualis, & sanctus, quia correspondet cælesti, spirituali & sancto Conjugio Domini & Ecclesiæ: hæc Correspondentia etiam sequitur ex Origine amoris conjugialis ex Conjugio boni & veri, de qua in Articulo præcedente, quia Conjugium boni & veri est Ecclesia apud hominem; Conjugium enim boni & veri est idem cum Conjugio charitatis & fidei, quoniam bonum est charitatis & verum est fidei; quod hoc Conjugium faciat Ecclesiam, non potest non agnosci, quia est Universale verum, & omne Universale verum agnoscitur, ut primum auditur, quod est ex influxu Domini & simul confirmatione Cæli: nunc quoniam Ecclesia est Domini quia a Domino, & quoniam Amor conjugialis correspondet Conjugio Domini & Ecclesiæ, sequitur quod ille Amor sit a Domino.

63. Quomodo autem Ecclesia a Domino apud duos conjuges formatur, & per illam Amor conjugialis, in Paragrapho, de quo supra, illustrabitur: hic

solum

folum quod Ecclefia a Domino formetur apud Virum; & per Virum apud Uxorem, & quod poftquam apud utrumque formata eft, Ecclefia plena fit; fit enim tunc plena conjunctio boni & veri, & conjunctio boni & veri eft Ecclefia. Quod Inclinatio conjunctiva, quæ eft Amor conjugialis, fit in fimili gradu cum Conjunctione boni & veri, quæ eft Ecclefia, argumentis demonftrativis in fequentibus in ferie confirmabitur.

64. IV: Quod ille Amor ex sua Origine, et ex sua Correspondentia, sit cælestis, spiritualis, sanctus, purus, et mundus præ omni amore, qui a Domino est apud Angelos Cæli et apud homines Ecclesiæ. Quod Amor conjugialis ex fua Origine, quæ eft Conjugium boni & veri, fit talis, mox fupra paucis confirmatum eft, fed ibi folum prælibatum; fimiliter quod Amor ille talis fit ex Correfpondentia ejus cum Conjugio Domini & Ecclefiæ: hæc duo Conjugia, ex quibus ut furculus defcendit Amor conjugialis, funt ipfæ fanctitates; quare fi recipitur ex fuo Auctore, qui eft Dominus, fequitur fanctitas ex Ipfo, quæ continue decantat & purificat illum; fi tunc in hominis voluntate eft defiderium & nifus ad illum, fit ille amor mundus & purus indies in perpetuum. Amor conjugialis vocatur cæleftis & fpiritualis, quia eft apud Angelos cælorum, apud Angelos fupremi Cæli cæleftis, quia illi Angeli vocantur cæleftes, & apud Angelos infra illud cælum eft ille fpiritualis, quia hi Angeli vocantur Spirituales; ita vocantur illi Angeli, quia Cæleftes funt Amores & inde Sapientiæ, ac Spirituales funt Sapientiæ & inde Amores; fimile eft conjugiale illorum. Nunc quia Amor conjugialis eft apud Angelos cælorum tam fuperiorum quam inferiorum, ut quoque in Primo Paragrapho de Conjugiis in Cælo oftenfum eft, conftat quod ille fanctus & purus fit. Quod ille Amor in fua effentia ex fua derivatione fpectatus fit fanctus & purus præ omni amore apud angelos & apud homines, eft quia ille eft ficut caput reliquorum amorum; de qua ejus eminentia, in nunc fequente Articulo aliqua dicentur.

65. V: Quod etiam sit Amor fundamentalis omnium amorum cælestium, spiritualium, et inde naturalium. Quod Amor conjugialis in fua effentia fpectatus fit Amor fundamentalis omnium amorum Cæli & Ecclefiæ, eft quia origo ejus eft ex Conjugio boni & veri, & ex hoc Conjugio procedunt omnes amores, qui faciunt Cælum & Ecclefiam apud hominem, bonum illius conjugii facit amorem, ac verum ejus facit fapientiam, & quando amor ad fapientiam accedit, feu cum hac fe conjungit, tunc amor fit amor, & cum fapientia viciffim ad amorem accedit, & cum hac fe conjungit, tunc fapientia fit fapientia. Amor vere conjugialis non aliud eft quam conjunctio amoris & fapientiæ; duo Conjuges, inter quos feu in quibus fimul eft ille amor, funt effigies & forma illius; omnes etiam in Cælis, ubi facies funt genuini typi affectionum fui amoris, funt fimilitudines ejus, ineft enim illis in communi & in omni parte, ut prius oftenfum eft; nunc quia duo Conjuges in effigie & forma funt ille Amor, fequitur quod omnis amor qui procedit ex ipfius amoris forma, fit inftar ejus; quare fi Amor conjugialis eft cæleftis & fpiritualis, etiam amores procedentes ex illo funt cæleftes & fpirituales; eft itaque Amor conju-

gialis

gialis ficut parens, & reliqui amores funt ficut proles; inde eft, quod ex Conjugiis Angelorum in Cælis generentur proles fpirituales, quæ funt amoris & fapientiæ, feu boni & veri, de qua generatione videatur fupra n. 51.

66. Simile evidenter conftat ex Creatione hominum in illum amorem, & ex formatione illorum ex illo poftea; Mafculus creatus eft ut fiat fapientia ex amore fapiendi, & Fæmina creata eft ut fiat Amor mafculi ex fapientia ejus, ita fecundum illam; ex quo patet, quod duo conjuges fint ipfæ formæ & effigies Conjugii amoris & fapientiæ, feu boni & veri. Probe fciendum eft, quod non detur bonum nec verum, quod non fit in fubftantia ut in fuo fubjecto; bona & vera abftracta non dantur, funt enim nullibi quia non habent fedem, imo nec poffunt apparere ficut volantia, quare funt modo entia, de quibus ratio videtur fibi abftracte cogitare, fed ufque non poteft nifi in fubjectis, nam omnis idea hominis, etiam fublimata, eft fubftantialis, hoc eft affixa fubftantiis: infuper fciendum eft, quod non detur fubftantia nifi fit forma, fubftantia non formata nec eft aliquid, quia de illa non aliquid poteft prædicari, ac fubjectum abfque prædicatis eft quoque ens nullius rationis: hæc Philofophica adjecta funt, ut fic etiam videri poffit, quod duo Conjuges, qui in amore vere conjugiali funt, actualiter fint Formæ Conjugii boni & veri, feu amoris & fapientiæ.

67. Quoniam Amores naturales profluunt ex amoribus fpiritualibus, & fpirituales ex cæleftibus, ideo dicitur quod Amor conjugialis fit fundamentalis omnium amorum cæleftium & fpiritualium & *inde naturalium*. Amores naturales fe referunt ad Amores fui & Mundi; amores autem fpirituales fe referunt ad Amorem erga proximum; & amores cæleftes fe referunt ad Amorem in Dominum; & quia tales amorum relationes funt, patet in quo ordine fequuntur, & in quo infunt apud hominem; quando eo ordine infunt, tunc amores naturales vivunt ex fpiritualibus, & hi ex cæleftibus, & omnes in hoc ordine a Domino, a quo funt.

68. VI: QUODQUE IN ILLUM AMOREM COLLATA SINT OMNIA GAUDIA ET OMNES DELITIÆ A PRIMIS AD ULTIMA. Omnia jucunda, quæcunque fentiuntur ab homine, funt ejus amoris, amor per illa fe manifeftat, imo exiftit & vivit; quod jucunda fe exaltent gradu quo fe exaltat amor, ut & ficut incidentes affectiones propius tangunt amorem regnantem, notum eft: nunc quia Amor conjugialis eft fundamentalis omnium bonorum amorum, & quia infcriptus eft fingulariffimis hominis, ut prius oftenfum eft, confequitur quod illius jucunda excedant jucunda omnium amorum, & quoque jucundet hos fecundum præfentiam fuam, & fimul conjunctionem cum illis; expandit enim intima mentis & fimul intima corporis, ficut delitiofa vena fontis ejus transfluit & aperit. Quod in hunc Amorem collata fint omnia jucunda a primis ad ultima, eft propter Ufus ejus excellentiam præ reliquis; Ufus eft propagatio Generis humani, & inde Cæli Angelici; & quia hic ufus fuit finis finium creationis, confequitur quod omnes beatitudines, fauftitates, jucunditates, amœnitates & voluptates, quæ a Domino Creatore ufquam conferri potuerant in hominem, in hunc ejus Amorem collatæ fint. Quod jucunda fequantur ufum, & fecundum hujus amorem

rem insint homini, patet ex jucundis quinque Sensuum, Visus, Auditus, Olfactus, Gustus, & Tactus; unicuique horum sunt jucunda cum variationibus secundum specificos illorum usus; quid non Sensui amoris conjugialis, cujus Usus est complexus omnium reliquorum usuum.

69. Scio quod pauci agnituri sint, quod in Amorem conjugialem collata sint omnia gaudia & omnes delitiæ a primis ad ultima, ex causa, quia Amor vere conjugialis, in quem collata sunt, hodie tam rarus est, ut non sciatur qualis est, & vix quod sit, secundum illa quæ supra n. 58. 59. explicata & confirmata sunt, nam in alio Amore conjugiali quam genuino non sunt; & quia hic in terris tam rarus est, impossibile est supereminentes ejus felicitates aliunde describere, quam ex ore Angelorum, quia hi in illo sunt: hi dixerunt, quod Delitiæ ejus intimæ, quæ sunt Animæ, in quam primum influit conjugiale amoris & sapientiæ seu boni & veri a Domino, sint inperceptibiles & inde ineffabiles, quia sunt simul pacis & innocentiæ; sed quod eædem in descensu fiant plus & plus perceptibiles, in superioribus mentis sicut beatitudines, in inferioribus mentis sicut faustitates, in pectore sicut jucunditates ex illis, & quod ex pectore se diffundant in omnia & singula corporis, ac demum uniant se in ultimis in delitium delitiarum; porro Angeli de illis mirabilia narraverunt, dicentes etiam quod varietates illarum delitiarum in Conjugum animabus, & ab his in illorum mentibus, & ab his in illorum pectoribus, sint infinitæ, & quoque æternæ; quodque secundum sapientiam apud maritos exaltentur; & hoc quia in flore suæ ætatis vivunt in æternum, & quia illis nihil beatius est quam plus & plus sapere. Sed plura de Delitiis illis ex ore Angelorum enarrata, videantur in Memorabilibus, imprimis in illis quæ post aliqua Capita porro sequuntur.

70. VII: Sed quod non alii in illum amorem veniant, et in illo esse possint, quam qui adeunt Dominum, ac vera Ecclesiæ amant, et bona ejus faciunt. Quod non alii in illum amorem veniant, quam qui adeunt Dominum, est quia Conjugia Monogamica, quæ sunt unius viri cum una uxore, correspondent Conjugio Domini & Ecclesiæ, & quia ortus illorum est ex Conjugio boni & veri, de quibus supra n. 60 & 62. Quod ex hoc ortu, & illa Correspondentia sequatur, quod Amor vere conjugialis sit a Domino, ac illis qui directe Ipsum adeunt, non potest confirmari ad plenum, nisi in specie de duobus illis arcanis transigatur, quod fiet in Transactionibus, quæ hanc proxime excipiunt, quarum una erit de Origine Amoris conjugialis ex Conjugio boni & veri; ac altera de Conjugio Domini & Ecclesiæ, & de ejus Correspondentia: quod ex his sequatur, quod Amor conjugialis sit apud hominem secundum statum Ecclesiæ apud illum, etiam ibi videbitur.

71. Quod non alii in Amore vere conjugiali esse possint, quam qui recipiunt illum a Domino, qui sunt qui Ipsum directe adeunt, & vivunt vitam Ecclesiæ ab Ipso, est quia ille Amor ex suo ortu, & ex sua correspondentia spectatus, est cælestis, spiritualis, sanctus, purus, & mundus præ omni amore, qui apud Angelos Cæli & apud homines Ecclesiæ est, ut supra n. 64; & hæc ejus attributa non possunt dari, quam apud illos, qui conjuncti Domino sunt, &

ab Ipſo conſociati Angelis Cæli; hi enim fugiunt amores extraconjugiales, qui ſunt conjunctiones cum aliis quam cum propria ſeu proprio conjuge, ſicut damna animæ & ſicut ſtagna inferni; & quantum conjux illas conjunctiones, etiam quoad libidines voluntatis & inde intentiones fugit, tantum purificatur ille amor apud illos, & fit ſucceſſive ſpiritualis, primum dum vivunt in terris, & poſtea in Cælo: apud homines nuſquam poteſt aliquis amor fieri purus, nec apud angelos, ita neque hic Amor; ſed quia intentio quæ eſt voluntatis primario ſpectatur a Domino, ideo quantum homo in hac eſt, & in hac perſeverat, tantum initiatur in puritatem & ſanctitatem ejus, & ſucceſſive progreditur. Quod non alii poſſint in Amore conjugiali ſpirituali eſſe, quam qui a Domino tales ſunt, eſt quia eſt Cælum in illo, & homo naturalis, apud quem ille amor ſolum a carne trahit ſuum volupe, non poteſt appropinquare ad Cælum, nec ad aliquem Angelum, imo nec ad aliquem hominem, in quo ille Amor eſt, eſt enim hic Amor fundamentalis omnium amorum cæleſtium & ſpiritualium, videatur ſupra n. *65. 66. 67.* Quod ita ſit, ab experientia mihi confirmatum eſt; vidi genios in Mundo ſpirituali, qui præparabantur ad infernum, appropinquantes ad Angelum, qui delitiabatur cum ſua conſorte, illi ad diſtantiam, ſicut propinquabant, facti ſunt ſicut furiæ, & quæſiverunt cavernas & ſcrobes, ut aſyla, in quas ſe conjecerunt. Quod ſpiritus mali ament homogeum ſuæ affectionis, utcunque immundum eſt, ac averſentur ſpiritus Cæli, quia purum eſt, ut ſuum heterogeneum, concludi poteſt ex illis quæ in PRÆLIMINARIBUS n. 10. memorata ſunt.

72. Quod illi in illum Amorem veniant, & in illo eſſe poſſint, qui vera Eccleſiæ amant, & bona ejus faciunt, eſt quia non alii recipiuntur a Domino; hi enim ſunt in conjunctione cum Ipſo, & inde poſſunt teneri in illo Amore ab Ipſo. Sunt duo quæ faciunt Eccleſiam & inde Cælum apud hominem, Verum fidei & Bonum vitæ; Verum fidei facit præſentiam Domini, & Bonum vitæ ſecundum vera fidei facit conjunctionem cum Ipſo, & ſic Eccleſiam & Cælum: quod Verum fidei faciat præſentiam, eſt quia eſt lucis, Lux ſpiritualis non aliud eſt; quod Bonum vitæ faciat conjunctionem, eſt quia eſt caloris, Calor ſpiritualis nec aliud eſt, eſt enim amor, & bonum vitæ eſt amoris; & notum eſt, quod omnis lux etiam hyemalis faciat præſentiam, & quod calor unitus luci faciat conjunctionem; horti enim & floreta apparent in omni luce, ſed non florent & fructificant, niſi dum calor conjungit ſe luci. Ex his patet concluſio, quod a Domino non donentur amore vere conjugiali, qui modo ſciunt Eccleſiæ vera, ſed qui illa ſciunt & ejus bona faciunt.

73. VIII: QUOD HIC AMOR FUERIT AMOR AMORUM APUD ANTIQUOS, QUI IN SÆCULO AUREO, ARGENTEO ET CUPREO VIXERUNT. Quod Amor conjugialis apud Antiquiſſimos & apud Antiquos, qui in Primis illis Sæculis ita nominatis vixerant, fuerit Amor amorum, non poteſt ex Hiſtoriis ſciri, quia illorum Scripta non exſtant, & illa quæ exſtant, ſunt ex Scriptoribus poſt illa Sæcula, nam ab his nominantur, & quoque deſcribitur illorum vitæ puritas & integritas, pariter ejus ſucceſſiva decreſcentia ſicut eſt Auri uſque ad Ferrum: at ultima ſeu Ferrea ætas, quæ inchoavit a Scriptoribus illis, quoad aliquam partem col-

colligi poteſt ex Hiſtoricis vitæ quorundam Regum, Judicum, & Sapientum, qui vocati ſunt Sophi, in Græcia & alibi: quod autem hoc Sæculum non conſiſteret, ſicut ferrum in ſe conſiſtit, ſed quod fieret ſicut ferrum commixtum cum argilla, quæ non cohærent, prædicitur a Daniele Cap. II: 49. Nunc quia Sæcula, quæ nominata ſunt ab auro, argento, & cupro, ante ſcripturarum tempora fuerunt tranſacta, & ſic cognitio de Conjugiis illorum non dabilis eſt in terris, placuit Domino per ſpiritualem viam mihi aperire illa, perducendo ad Cælos ubi domicilia illorum ſunt, ut ex illis oretenus ibi haurirem, qualia fuerant apud illos Conjugia, cum vixerunt in ſuis Ævis: omnes enim, quicunque a Creatione obiverant e Mundo naturali, in Mundo ſpirituali ſunt, & omnes quoad amores ſui ſimiles ſunt, & permanent in æternum. Hæc quia ſcitu & relatu digna ſunt, & ſanctitatem conjugiorum confirmant, velim illa, qualia in vigili ſpiritu mihi oſtenſa ſunt, & poſtea in memoriam per Angelum revocata, & ſic deſcripta, edere in publicum: & quia ſunt e Mundo ſpirituali, ſicut reliqua poſt Tranſactionum Capita, volui diſpeſcere illa in Sex Memorabilia ſecundum Progreſſiones Ætatum.

❁ ❁ ❁ ❁ ❁ ❁ ❁

„ 74. Hæc Sex Memorabilia, quæ ſunt e Mundo Spirituali de Amore „ Conjugiali, revelant qualis ille Amor fuerat in Primis Ævis; & qualis poſt „ illa, & qualis hodie eſt; ex quibus conſtat, quod ille Amor a ſanctitate & „ puritate ſua ſucceſſive receſſerit, uſque dum factus eſt ſcortatorius; ſed quod „ tamen ſit ſpes reductionis ejus in primævam ſeu antiquam ſuam Sanctitatem."

75. Primum Memorabile. Quondam cum meditatus ſum de Amore conjugiali, captavit mentem deſiderium ſciendi, qualis ille Amor fuerat apud illos, qui in Sæculo Aureo vixerunt, & poſtea qualis apud illos qui in Sæculis ſequentibus, quæ ex Argento, Cupro, & Ferro, vocantur: & quia novi, quod omnes qui in illis Sæculis bene vixerunt, in Cælis ſint, oravi ad Dominum, ut liceret mihi cum illis loqui & inſtrui: & ecce adſtitit mihi Angelus, & dixit, miſſus ſum a Domino ut ſim ductor & comes; ac primum te ducam & comitabor ad illos, qui vixerunt Primo Ævo ſeu Sæculo, quod vocatur Aureum: & dixit, eſt ad illos via ardua; eſt per Sylvam opacam, quam nemo poteſt tranſire, niſi duce dato a Domino. Eram in ſpiritu, & accinxi me viæ, & convertimus facies ad Orientem; & in pergendo vidi Montem, cujus altitudo pertigit ultra regionem nubium: tranſivimus deſertum magnum, & pervenimus in Sylvam ex variis arborum generibus confertam, & ex denſitate illarum opacam, de qua Angelus prædixit: ſed erat Sylva illa ſecta in plures tramites anguſtos; & dixit Angelus, quod totidem ambages errorum ſint, & quod niſi aperiantur oculi a Domino, ac videantur Oleæ pampineis vitibus circumcinctæ, ac ferantur greſſus ab Olea ad Oleam, abiturus ſit viator in Tartara, quæ circum circa ad latera ſunt: hæc Sylva talis eſt, propter finem, ut cuſtodiatur aditus; non enim alia Gens quam Primæva ſuper Monte illo habitat. Poſtquam intravimus Sylvam, aperti ſunt oculi, ac vidimus hic & ibi Oleas circum-

cumligatas vitibus, e quibus pendebant botri coloris cyanei, & Oleæ erant in perpetuos orbes dispositæ, quare secundum conspectum illarum circuivimus & circuivimus; & tandem vidimus Lucum ex altis cedris, & super illarum ramis aliquas Aquilas; quibus visis dixit Angelus, nunc in Monte sumus non procul a vertice ejus; & perreximus, & ecce post Lucum Campus rotundus, ubi pascebant Agni & Agnæ, quæ erant formæ repræsentativæ status innocentiæ & pacis Montanorum: hunc Campum pertransivimus, & ecce visa sunt Tabernacula & Tabernacula, ad plura millia antrorsum & ad latera in omnem extensionem visus; & dixit Angelus, nunc sumus in Castris, ubi Exercitus Domini Jehovih, ita se & habitationes suas vocant; Antiquissimi hi, dum in Mundo fuerunt, habitaverunt in Tabernaculis, quare etiam nunc in illis habitant: sed flectamus viam ad Meridiem, ubi sunt Sapientiores illorum, ut conveniamus aliquem, cum quo sociemus sermonem. In eundo vidi e longinquo tres pueros & tres puellas sedentes ad januam cujusdam Tentorii, sed illi & illæ, cum appropinquavimus, visi sunt sicut viri & mulieres mediæ staturæ; & dixit Angelus, omnes incolæ hujus Montis apparent e longinquo sicut Infantes, quia in statu innocentiæ sunt, ac Infantia est apparentia Innocentiæ. Hi Viri nobis visis accurrerunt, & dixerunt, unde estis, & quomodo huc venistis, facies vestræ non sunt e faciebus nostri Montis; at Angelus retulit ac narravit copiam accessus per Sylvam, & causam adventus; quibus auditis, unus ex tribus Viris invitavit & introduxit nos in Tabernaculum suum: Vir erat amictus pallio hyacinthini coloris, ac tunica ex lana candida; & ejus Uxor amicta erat toga purpurea, & subter tunica pectorali ex bysso acupicto: & quia in cogitatione mea erat desiderium cognoscendi Conjugia Antiquissimorum, intuebar per vices Maritum & Uxorem, & animadverti quasi unitatem animarum illorum in faciebus, & dixi, vos duo estis unum; & respondit Vir, sumus unum, est illius vita in me, & mea in illa, sumus duo Corpora, sed una Anima; est unio inter nos sicut est duorum tentoriorum in Pectore, quæ vocantur Cor & Pulmo, illa est meum Cor & ego sum illius Pulmo; sed quia per Cor hic intelligimus amorem, & per Pulmonem sapientiam, est illa Amor meæ sapientiæ, & ego sum Sapientia illius amoris; quare amor ejus abextra obvelat meam sapientiam, & sapientia mea ab intra inest ejus amori: inde, sicut dixisti, est apparentia unitatis animarum in faciebus nostris: & tunc quæsivi, si talis unio est, num potis es spectare ad aliam Mulierem quam ad tuam; & respondit, possum, sed quia Uxor unita est meæ Animæ, nos duo spectamus simul, & tunc non potest hilum libidinis intrare, nam dum aspicio aliorum uxores, aspicio illas per meam Uxorem, quam unice amo; & quia hæc mea perceptibilis est omnium inclinationum mearum, ut intermedia dirigit cogitationes meas, & abstrahit omne discors, & una indit frigus & horrorem pro omni incasto; quare nobis hic tam impossibile est ex libidine spectare aliquam uxorem consocii, sicut est spectare ex umbra tartarea lucem nostri Cæli; ideo nec datur apud nos aliqua idea cogitationis, & minus aliqua vox loquelæ pro illecebris amoris libidinosi; non potuit enuntiare scortationem, quia castitas Cæli illorum obnitebatur: & dixit mihi Angelus ductor, audis nunc loquelam Angelorum

hujus

hujus Cæli, quod sit loquela sapientiæ, quia loquuntur ex causis. Post hoc, circumspexi, & vidi Tabernaculum illorum sicut obductum auro, & quæsivi, unde hoc, respondit, quod sit ex flammea luce, quæ sicut aurum coruscat, irradiat, & stringit aulæa Tabernaculi nostri, dum in sermone de Amore Conjugiali sumus; Calor enim e nostro Sole, qui in sua essentia est Amor, se nudat tunc, ac tingit lucem, quæ in sua essentia est Sapientia, colore suo, qui est aureus; & hoc fit, quia Amor conjugialis in sua origine est Ludus Sapientiæ & Amoris, Vir enim natus est ut sit Sapientia, ac Fæmina ut sit amor sapientiæ viri; inde sunt delitiæ istius ludi in Amore conjugiali & ex illo inter nos & uxores nostras. Nos hic per millia annorum perspeximus, quod delitiæ illæ quoad copiam, gradum, & virtutem, præstantes & eminentes sint secundum cultum Domini Jehovih apud nos, e quo Cælestis illa unio, seu Cæleste illud Conjugium, quod est Amoris & Sapientiæ, influit. His dictis, vidi lucem magnam super Colle in medio inter Tabernacula; & quæsivi, unde illa Lux, dixit, est ex Sanctuario Tabernaculi nostri Cultus; & interrogavi, num liceat accedere, & dixit, quod liceat; & accessi, & vidi Tabernaculum extra & intra secundum descriptionem prorsus simile Tabernaculo, quod pro filiis Israëlis in deserto ædificatum est, cujus forma Mosi super Monte Sinai monstrata est, Exod: XXV: 40. Cap: XXVI: 30. & quæsivi, quid intus in Sanctuario illo, unde tanta Lux, & respondit, est Tabula, cui inscriptio est, FÆDUS INTER JEHOVAM ET CÆLOS; plura non dixit: & quia tunc in accinctu abeundi eramus, quæsivi, num aliqui, dum fuistis in Mundo naturali, ex vobis vixerint cum pluribus, quam cum una Uxore, respondit, quod non sciat unum; nam non potuimus cogitare de pluribus; dixerant nobis illi qui cogitaverant, quod illico cælestes beatitudines animarum illorum recesserint ab intimis ad extrema corporis illorum usque ad ungues, & simul cum illis encomia virilitatis; hi, dum hoc perceptum est, ejecti sunt e terris nostris. His dictis, cucurrit vir ad Tabernaculum suum, & rediit cum Malogranato, in quo fuit copia seminum ex auro; & donavit, & deportavi, quod mihi erat signum, quod fuerimus cum illis, qui in Sæculo aureo vixerunt. Et tunc post salutationem pacis abivimus, & rediimus domum.

Dominum Jehovih

76. SECUNDUM MEMORABILE. Postridie venit ad me Angelus prior, & dixit, vis ut ducam & comiter te ad Populos, qui in ÆVO SEU SÆCULO ARGENTEO vixerunt, ut ex illis audiamus de illorum temporis Conjugiis; ac inquiit, quod nec hi adeantur nisi ex auspicio Domini: eram sicut prius in spiritu, ac comitatus sum ductorem meum; & primum ad Collem in confinio inter Orientem & Meridiem; & dum super illius clivo eramus, ostendit mihi magnam extensionem tractus terræ; ac vidimus procul eminentiam sicut montanam, inter quam & collem, super quo stetimus, erat vallis, & post hanc planities, & ab hac acclivitas lente surgens: descendimus e Colle transituri vallem, & vidimus a lateribus hic illic ligna & saxa in figuras hominum, & variarum bestiarum, avium, & piscium, sculpta; & quæsivi Angelum, quid illa, suntne Idola; & respondit, prorsus non; sunt configurationes repræsentativæ variarum virtutum moralium, & veritatum spiritualium; fuerat apud Populos

illius ætatis Scientia Correſpondentiarum; & quia omnis homo, beſtia, avis & piſcis correſpondet alicui qualitati, ideo unumquodvis ſculptile repræſentat aliquod partiale virtutis aut veritatis, & plura ſimul ipſam Virtutem aut Veritatem in communi extenſa forma; ſunt illa quæ in Ægypto vocata ſunt Hieroglyphica. Perreximus per Vallem, & dum intravimus Planitiem, ecce vidimus Equos & Currus, Equos varie phaleratos & capiſtratos, ac Currus diverſiformes, quoſdam exſculptos ſicut Aquilas, quoſdam ſicut Balænas, & quoſdam ſicut Cervos cum cornibus, & ſicut Monocerotes, & quoque in fine aliqua Plauſtra, & circum ad latera Stabula; at cum appropinquavimus, tam Equi quam Currus diſparati ſunt, & pro illis vidimus Homines, paria & paria, ambulantes, colloquentes, & ratiocinantes; & dixit mihi Angelus, ſpecies Equorum, Curruum, & Stabulorum e longinquo viſæ, ſunt apparentiæ rationalis intelligentiæ hominum illius Ævi; Equus enim ex correſpondentia ſignificat intellectum veri, Currus doctrinam ejus, ac Stabula inſtructiones; noſti quod in hoc Mundo omnia ſecundum Correſpondentias appareant. Sed præterivimus hæc, & per longum acclivum aſcendimus, & tandem vidimus Urbem, quam intravimus; & in pervadendo, e plateis & foris luſtravimus ejus domos, erant totidem Palatia, ſtructa ex marmore, ante illa erant gradus ex alabaſtro, & ad latera graduum columnæ ex jaſpide: vidimus etiam Templa ex pretioſo lapide coloris Sapphirini & Lazurei: & dixit mihi Angelus, Domus illis ex Lapidibus ſunt, quia Lapides ſignificant veritates naturales, & Lapides pretioſi veritates ſpirituales; & omnibus illis, qui in Argenteo Ævo vixerunt, fuit intelligentia ex veritatibus ſpiritualibus & inde naturalibus; ſimile etiam ſignificat Argentum. In perluſtrando urbem, vidimus hic & ibi Conſortes, paria & paria, & quia erant mariti & uxores, exſpectavimus, ut alicubi invitaremur; & cum hoc in animo erat, in tranſeundo revocabamur a duobus in domum, ac aſcendimus, & intravimus; & Angelus pro me loquutus cum illis aperuit cauſam adventus in hoc Cælum, quod eſſet propter inſtructionem de Conjugiis apud Antiquos, e quibus vos eſtis hic; & reſponderunt, nos fuimus ex Populis in Aſia, ac ſtudium noſtræ ætatis fuit ſtudium veritatum, per quas nobis fuit intelligentia; hoc ſtudium fuerat animæ & mentis noſtræ ſtudium; ſed ſtudium ſenſuum corporum noſtrorum fuerant Repræſentationes veritatum in formis, ac ſcientia Correſpondentiarum conjunxit ſenſualia corporum noſtrorum cum perceptionibus mentium noſtrarum, & conciliavit nobis intelligentiam. His auditis, rogavit Angelus, ut aliquid de Conjugiis apud illos referrent; & dixit Maritus, eſt Correſpondentia inter Conjugium Spirituale, quod eſt veri cum bono, & inter Conjugium naturale, quod eſt viri cum una uxore; & quia ſtuduimus correſpondentiis, vidimus quod Eccleſia cum ſuis veris & bonis, nequaquam dari poſſit apud alios, quam qui in amore vere conjugiali cum una uxore vivunt; eſt enim Conjugium boni & veri Eccleſia apud hominem, quare omnes nos qui hic ſumus, dicimus, quod Maritus ſit Verum, & Uxor ejus Bonum, & quod bonum non poſſit amare aliud verum quam ſuum, nec verum redamare aliud bonum quam ſuum; ſi aliud, periret Conjugium internum, quod facit Eccleſiam, & fieret Con-

Conjugium modo externum, cui idololatria, & non Ecclesia correspondet, idcirco Conjugium cum una uxore, vocamus Sacrimonium, at si fieret cum pluribus apud nos, vocaremus illud Sacrilegium. His dictis, introducti sumus in Antithalamum, ubi plura Technica super parietibus, & imagines parvæ sicut fusæ ex argento erant; & quæsivi, quid illa, dixerunt, sunt picturæ & formæ repræsentativæ plurium qualitatum, prædicationum, & jucunditatum, quæ amoris conjugialis sunt; hæ repræsentant unitatem animarum, hæ conjunctionem mentium, hæ concordiam pectorum, illæ delitias inde oriundas. In lustrando vidimus sicut Iridem super pariete, ex tribus coloribus constantem, Purpureo, Hyacinthino, & Candido; & vidimus quomodo color purpureus transiret hyacinthinum, & tingeret candidum colore cyaneo, & quod hic color reflueret per hyacinthinum in purpureum, & hunc elevaret sicut in jubar flammeum; & dixit Maritus ad me, intelligis illa, & respondi, instrue, & inquiit, Color purpureus ex sua correspondentia significat Amorem Conjugialem uxoris, Color candidus Intelligentiam mariti, Color hyacinthinus inchoamentum amoris conjugialis in perceptione mariti ab uxore, & Color cyaneus, quo tinctus erat Candor, Amorem conjugialem tunc in Marito; quod hic Color per hyacinthinum reflueret in purpureum, & hunc elevaret sicut in jubar flammeum, significat amorem conjugialem mariti refluentem ad uxorem; talia repræsentantur in parietibus illis, dum ex meditatione de Amore conjugiali, ejus mutua, successiva & simultanea unione, pictas ibi irides intensis oculis intuemur; ad hæc dixi, hæc plus quam mystica hodie sunt, sunt enim species repræsentativæ arcanorum amoris conjugialis unius viri cum una uxore, & respondit, sunt ita, at illa nobis hic non arcana sunt, & inde nec mystica. His dictis, apparuit e longinquo Currus tractus a mannis albis, quo viso, dixit Angelus, ille currus est nobis signum ut abeamus: tunc cum descendimus per gradus, dedit hospes nobis Botrum ex uvis candidis adhærentem foliis ex vite, & ecce Folia facta sunt argentea, & deportavimus illa in signum, quod cum Populis Sæculi Argentei loquuti simus.

77. Tertium Memorabile. Post diem adhuc venit Angelus ductor & comes, & dixit, accinge te, & abeamus ad Cælicolas in Occidente, qui sunt ex hominibus, qui in Ætate tertia seu in Sæculo cupreo vixerant; habitationes illorum sunt a Meridie super Occidentem ad Septentrionem, sed non in hanc; & accinctus illum comitatus sum, ac intravimus Cælum illorum a latere meridionali; & ibi erat magnificum Nemus ex palmis & lauribus: illud pertransivimus, & tunc in ipso confinio Occidentis vidimus Gigantes proceritatis duplæ supra humanam communem; hi nos interrogaverunt, quis vos per Nemus intromisit, dixit Angelus, Deus Cæli; & responderunt, nos sumus Custodiæ ad Cælum Antiquum Occidentale, sed vos transite; & transivimus, & e specula vidimus Montem elevatum usque ad nubes, ac inter nos in specula & illum Montem villas & villas, cum intermediis hortis, lucis & campis; & pertransivimus villas usque ad montem, & ascendimus, & ecce Culmen ejus non erat culmen, sed Planities, & super hac Civitas extensa & spatiosa; & omnes Domus ejus erant ex lignis arborum resinæ, & harum tecta ex asseribus; &

quæ-

quæſivi, cur domus hic ligneæ ſunt, reſpondit Angelus, quia Lignum ſignificat Bonum naturale, & in hoc Bono fuerant homines Ætatis tertiæ telluris; & quia Cuprum etiam ſignificat Bonum naturale, ideo Sæculum, in quo vixerant, a priſcis vocatum eſt a cupro: ſunt quoque hic Ædes Sacræ ex Lignis olei exſtructæ, & in medio illarum eſt Sanctuarium, ubi in Arca jacet Verbum datum incolis Aſiæ ante Verbum Iſraëliticum, cujus Libri Hiſtorici vocantur BELLA JEHOVÆ, & Prophetici ENUNTIATA, utraque nominata a Moſe, Num: XXI: Verſ: 14, 15, & Verſ: 27 ad 30; hoc hodie in Regnis Aſiæ deperditum eſt, & modo in Tartaria magna reſervatum: & tunc Angelus duxit me ad unam Ædem, ac introſpeximus, & vidimus in medio ejus Sanctuarium illud, totum in candidiſſima luce; & dixit Angelus, Lux illa eſt ex Vetuſto illo Aſiatico Verbo, omne enim Divinum Verum in cælis lucet. Exeuntes ex Æde audivimus, quod nuntiatum ſit in Urbe, quod duo peregrini ibi ſint, & quod examinandi, unde illi, & quid negotii hic; & accurrit e Curia ſatelles, & mandavit nos ad judicium; & ad interrogationem unde ſumus, & quid negotii hic, reſpondimus, tranſivimus Nemus palmarum, & quoque Domicilia Gigantum, qui ſunt cuſtodes veſtri Cæli, & poſtea Regionem villarum, ex quibus poteſtis concludere, quod non a nobis, ſed quod a Deo Cæli, huc pervenerimus; & negotium, propter quod, eſt ut inſtruamur de veſtris Conjugiis, num ſint Monogamica, vel num Polygamica; & reſponderunt, quid Polygamica, ſuntne hæc ſcortatoria: & tunc Judicialis hic Cœtus ablegavit unum Intelligentem, qui nos in domo ſua de hoc negotio inſtrueret; & hic in Domo ſua adjunxit ſibi Uxorem, & loquutus eſt hæc; ex Primævis ſeu Antiquiſſimis, qui in Amore vere Conjugiali, & inde præ cæteris in illius amoris Virtute & potentia in Mundo fuerant, & nunc in Cælo ſuo quod in Oriente eſt, in beatiſſimo ſtatu ſunt, Præcepta de Conjugiis apud nos reſervata habemus; nos ſumus Poſteritas illorum, & illi ſicut Patres nobis ut filiis dederunt Canones vitæ, inter quos de Conjugiis ſunt hæc. „ Filii, ſi vultis amare Deum & proximum, & ſi vultis ſapere, & felices eſſe „ in æternum, conſulimus vobis ut vivatis Monogami; ſi ab hoc Præcepto „ receſſeritis, fugiet vos omnis cæleſtis Amor, & cum hoc interna Sapien- „ tia, & exterminabimini": huic Præcepto Patrum noſtrorum obedivimus ut filii, & percepimus veritatem ejus, quæ eſt, quod quantum quis amat conjugem ſolam, tantum fiat cæleſtis & internus, & quod quantum quis non amat conjugem ſolam, tantum fiat naturalis & externus; & hic non amat niſi ſe & imagines mentis ſuæ, & hic eſt vecors & ſtultus. Ex his eſt, quod omnes in hoc Cælo Monogami ſimus: & quia tales ſumus, ideo omnes termini noſtri Cæli a Polygamis, Adulteris, & Scortatoribus, cuſtoditi ſunt; ſi Polygami invadunt, ejiciuntur in Tenebras ſeptentrionis; ſi Adulteri, ejiciuntur in Focos occidentis; & ſi Scortatores, ejiciuntur in Luces fatuas meridiei; his auditis quæſivi, quid per tenebras ſeptentrionis, focos occidentis, & luces fatuas meridiei intelligit; reſpondit, quod Tenebræ ſeptentrionis ſint hebetudines mentis, ac ignorantiæ veritatum; quod Foci occidentis ſint amores mali; & quod Luces fatuæ meridiei, ſint falſificationes veri, hæ ſunt ſcortationes

ſpiri-

ſpirituales. Poſt hæc dixit, ſequimini me ad Cimeliarchium noſtrum, & ſequuti ſumus, & monſtravit nobis Scripturas Antiquiſſimorum, quod eſſent ſuper Tabulis ligneis & lapideis, & poſtea ſuper Caudicibus lævigatis; & quod Secunda ætas exaraverit ſuas ſcripturas ſuper Membranis; & adduxit Membranam, ſuper qua erant Primævorum Canones exſcripti ex tabulis lapideis, inter quos etiam erat præceptum de Conjugiis. His & aliis ex ipſa Antiquitate Memorabilibus viſis, dixit Angelus, nunc eſt nobis tempus abeundi; & tunc hoſpes exivit in Hortum, & deſumpſit ex Arbore aliquot termites, & ligavit in faſciculum, & donavit, dicens, hi termites ſunt ex Arbore nativa ſeu propria noſtri Cæli, cujus ſuccus fragat ex balſamo; hunc faſciculum deportavimus, & per viam juxta Orientem, quæ non fuit cuſtodita, deſcendimus; & ecce termites verſi ſunt in Æs nitidum, & ſummi apices illorum in aurum; in ſignum, quod apud Tertiæ Ætatis gentem, quæ nominatur a cupro ſeu ære, fuerimus.

78. QUARTUM MEMORABILE. Poſt biduum iterum mecum loquutus eſt Angelus, dicens, abſolvamus Periodum Ætatum; ſupereſt Ætas ultima, quæ a FERRO nuncupatur: Populus hujus Ævi degit in Septentrione a latere Occidentis introrſum ſeu in latum; ſunt omnes illi ex priſcis Aſiæ incolis, apud quos fuerat Verbum Vetuſtum, & ex illo Cultus; proinde ante adventum Domini noſtri in Mundum: hoc conſtat ex Antiquorum Scriptis, in quibus Tempora illa ita nominantur: eadem hæc Æva intelliguntur per Statuam Nebuchadnezari viſam, cujus Caput erat ex Auro, Pectus & Brachia ex Argento, Venter & Femora ex Ære, Crura ex Ferro, ac Pedes ex Ferro & quoque Argilla, Dan: II: 32. 33. Hæc dixit mihi Angelus in via, quæ contracta & anticipata erat per inductas mutationes ſtatus mentibus noſtris ſecundum genios habitatorum, quos tranſivimus; nam ſpatia & inde diſtantiæ in Mundo Spirituali ſunt apparentiæ ſecundum ſtatus mentium. Cum elevavimus oculos, ecce eramus in Sylva ex fagis, æſculis & quercubus conſtante; & cum circumſpeximus, viſi ſunt ibi Urſi ad ſiniſtrum, & Leopardi ad dextrum; quod cum miratus ſum, dixit Angelus, non ſunt urſi nec leopardi, ſed ſunt homines, qui cuſtodiunt hos Incolas Septentrionis; captant naribus ſphæras vitæ tranſeuntium; ac irruunt in omnes qui Spirituales ſunt, quia Incolæ ſunt Naturales; illi qui Verbum modo legunt, & nihil doctrinæ inde hauriunt, apparent e longinquo ſicut Urſi; & qui falſa inde confirmant, apparent ſicut Leopardi: ſed illi, nobis viſis, averterunt ſe, & tranſivimus. Poſt Sylvam apparuerunt Dumeta, & poſtea Campi graminei in areas diviſi, circumcincti buxo: poſt hos terra declinabat oblique in vallem, ſuper qua erant urbes & urbes; nos præterivimus aliquas, & in unam magnam ingreſſi ſumus: erant ejus plateæ irregulares; domus ſimiliter; hæ conſtructæ ex lateribus, interjectis tignis, & incruſtatæ; in Foris erant Fana ex lapide calcario cæſo, quorum ſubſtructio erat ſub terra, & ſuperinſtructio ſupra; in unum ex illis per tres gradus deſcendimus, & vidimus circumcirca ad parietes Idola in variis formis, ac turbam ſuper genubus adorantem illa; in medio erat Chorus, e quo Deus tutelaris illius urbis quoad caput eminuit: in egrediendo dixit mihi

Angelus, quod Idola illa apud Antiquos, qui in Sæculo argenteo, de quibus ſupra, vixerant, fuerint imagines repræſentativæ Veritatum ſpiritualium, & Virtutum moralium; & quod dum Scientia correſpondentiarum e memoria elapſa eſt & exſtincta, imagines illæ primum factæ ſint objecta cultus, & poſtea adoratæ ſicut Numina, inde Idololatriæ. Cum extra Fanum eramus, luſtravimus homines & amictus illorum; erant facie ſicut chalybea, coloris cæſii; & amicti ſicut comædi, cum manteliis circum circa lumbos ex tunica ſtricta ad thoracem pendentibus; & ſuper capitibus erant pilei naviculares criſpati. Sed dixit Angelus, ſatis hoc, inſtruamur de Populorum hujus Ævi Conjugiis; & intravimus in domum unius Magnatis, cujus ſuper capite erat pileus turritus; hic nos benigne excepit, & dixit, intrate, & confabulemur: intravimus in Veſtibulum, & ibi conſedimus; & quæſivi illum de Conjugiis hujus urbis & regionis; & dixit, nos non vivimus cum una uxore, ſed quidam cum duabus & tribus, & quidam cum pluribus; ex cauſa, quia varietas, obedientia & honor ſicut Majeſtatis, nos oblectant; hæc nobis ſunt ab uxoribus, dum plures ſunt; cum una non foret jucundum ex varietate, ſed tædium ex identitate, non blandum ex obedientia, ſed moleſtum ex paritate, nec fauſtum ex dominatione & inde honore, ſed infeſtum ex velitatione de ſuperioritate: & quid fæmina, naſciturne illa ſubdita voluntati viri, ac ut ſerviat, & non dominetur; quare hic cuivis Marito in domo ſua eſt ſicut regia majeſtas; hoc quia amoris noſtri eſt, eſt quoque beatum vitæ noſtræ: ſed quæſivi, ubi tunc amor conjugialis, qui ex duabus animabus facit unam, ac conjungit mentes, & beatificat hominem; ille Amor non poteſt dividi, ſi dividitur, fit ardor qui deferveſcit & tranſit; ad hæc reſpondit, non intelligo quæ dicis; quid aliud beatificat hominem, quam æmulatio uxorum pro honore ſupereminentiæ ſui Mariti. His dictis, vir intravit in Gynæceum, & aperuit binas januas; at inde effluxit libidinoſum, quod oluit ſicut cænum; hoc erat ex Amore polygamico, qui eſt connubialis & ſimul ſcortatorius; quare ſurrexi, & occluſi januas. Poſtea dixi, quomodo poteſtis ſuper hac terra ſubſiſtere, cum vobis non aliquis amor vere conjugialis eſt, & quoque cum adoratis idola; reſpondit, quoad Amorem connubialem, zelamus pro uxoribus noſtris tam vehementer, ut non ſinamus alicui intrare domos noſtras interius, quam in veſtibula, & quia eſt zelus, etiam eſt amor: quoad Idola, non adoramus illa, ſed non quimus cogitare de Deo Univerſi, niſi per ſpecies oblatas oculis noſtris, non enim poſſumus elevare cogitationes ſupra ſenſualia corporis, & de Deo ſupra viſualia ejus. Tunc iterum quæſivi, ſuntne idola veſtra diverſiformia, quomodo poſſunt illa inferre viſionem unius Dei; ad hæc reſpondit, hoc myſticum nobis eſt, latet aliquid cultus Dei in quavis forma. Et dixi, vos eſtis mere ſenſuales corporei, non vobis eſt amor Dei, nec amor conjugis trahens aliquid ex ſpirituali; & hi amores ſimul formant hominem, & illum a ſenſuali faciunt cæleſtem. Cum hoc dixi, trans portam apparuit ſicut fulgur; & quæſivi, quid hoc; dixit, tale fulgur eſt nobis ſignum quod venturus ſit Antiquus ex Oriente, qui nos docet de Deo, quod ſit Unus, Solus Omnipotens, qui eſt Primus & Ultimus; ille etiam monet, ne colamus idola,

idola, sed modo intueamur illa, ut imagines repraesentativas virtutum procedentium ex uno Deo, quae simul conformant cultum Ipsius; hic Antiquus est Angelus noster, quem revereamur, & cui auscultamus; venit ad nos, ac erigit nos, dum labimur in obscurum cultum Dei ex phantasia de simulachris. His auditis, exivimus domo & urbe, & in via ex visis in Caelis conclusimus de Circulo & de Progressione Amoris Conjugialis; de Circulo, quod transiverit ab Oriente in Meridiem, ab hac in Occidentem, & abhinc in Septentrionem; de Progressione, quod decreverit secundum Circulationem, scilicet quod in Oriente fuerit caelestis, in Meridie spiritualis, in Occidente naturalis, & in Septentrione sensualis; & quoque quod decreverit in simili gradu cum amore & cultu Dei: ex quibus fit hoc conclusum, quod ille Amor in Primo Ævo fuerit sicut Aurum, in Secundo sicut Argentum, in Tertio sicut Æs, & in Quarto sicut Ferrum, & quod tandem desierit: & tunc dixit Angelus ductor & comes meus, attamen lactor spe, quod ille Amor a Deo Caeli, qui est Dominus, resuscitetur, quia resuscitabilis est.

79. Quintum Memorabile. Prior Angelus, qui meus ductor & comes fuerat ad Antiquos, qui in quatuor Saeculis, Aureo, Argenteo, Cupreo, & Ferreo, vixerant, rursus aderat & mihi dixit, vis videre Saeculum post illa antiqua, quale fuit, & adhuc est; & sequere me, & videbis; sunt illi, de quibus Daniel prophetavit haec. „ *Surget Regnum post illa quatuor, in quo Ferrum erit mixtum cum Argilla luti; commiscebunt se per semen hominis, sed non cohaerebunt unum cum altero, quemadmodum ferrum non commiscetur cum argilla.*" Dan: II: 41. 42. 43: & dixit, per semen hominis, per quod commiscebitur ferrum cum argilla, & usque non cohaerebunt, intelligitur verum Verbi falsificatum. His dictis sequutus sum illum, & in via retulit mihi haec; habitant illi in confinio inter Meridiem & Occidentem, sed ad magnam distantiam post illos, qui in quatuor prioribus Saeculis vixerant, & quoque profundius; & perreximus per Meridiem ad regionem conterminam Occidenti; & transivimus formidabilem Sylvam; erant enim ibi Stagna, e quibus Crocodili attollebant capita, & suis latis & dentatis rictibus in nos hiabant; & inter stagna erant terribiles Canes, quorum aliqui erant tricipites sicut Cerberi, aliqui bicipites, omnes horribili ingluvie, & trucibus oculis nos praetereuntes aspectabant. Intravimus Occidentalem hujus regionis tractum, & vidimus Dracones & Pardos, quales describuntur Apoc: Cap: XII: 3: Cap: XIII: 2; & dixit mihi Angelus, omnes illae ferae, quas vidisti, non sunt ferae, sed correspondentiae & sic formae repraesentativae cupiditatum, in quibus sunt Incolae, quos visitabimus: ipsae cupiditates repraesentantur per horribiles illos canes, illorum doli & astutiae per crocodilos, illorum falsitates, & pravae inclinationes ad illa quae cultus sunt, per dracones & pardos; verum Incolae repraesentati non habitant proxime post Sylvam, sed post magnum Desertum, quod intermedium est, ut plene distineantur & separentur ab Incolis Saeculorum antecedentium; sunt etiam prorsus alienigenae seu diversi ab illis: habent quidem capita supra pectora, ac pectora supra lumbos, & lumbos supra pedes, sicut primaevi homines, sed in capitibus non est aliquid auri, non in pectoribus ali-

aliquid argenti, nec in lumbis aliquid æris, imo nec in pedibus aliquid puri ferri; ſed in illorum capitibus eſt ferrum mixtum argilla, in pectoribus eſt utrumque mixtum ære, in lumbis eſt quoque utrumque mixtum argento, & in pedibus ſunt illa mixta auro; per illam inverſionem mutati ſunt ab hominibus in ſculpturas hominum, in quibus intus nihil cohæret; nam quod ſupremum fuit, factum eſt infimum, ita quod fuit caput, factum eſt calcaneum, & vice verſa; illi nobis e Cælo apparent ſimiles hiſtrionibus, qui inverſo corpore jacent ſuper cubitis, & progrediuntur; aut ſicut beſtiæ, quæ reſupinæ incumbunt dorſis, ac pedes extollunt ſurſum, & ex capite, quod infodiunt terræ, ſpectant Cælum. Tranſivimus Sylvam, & ingreſſi ſumus Deſertum, quod non minus terribile fuit; conſtabat ex ſtruibus lapidum, & inter illas ſcrobibus, e quibus ſubrepſerunt hydræ & echidnæ, & evolabant preſteres; totum hoc deſertum continue declinabat, & nos per longum declive deſcendimus, & tandem venimus in Vallem ab incolis regionis ac ætatis illius habitatam: erant hic & ibi mapalia, quæ viſa ſunt tandem coire & conjungi in formam urbis; hanc intravimus, & ecce domus erant ſtructæ ex ramis arborum circumuſtis, & luto conglutinatis; tectæ laminis nigris; plateæ erant irregulares, omnes in principiis anguſtæ, ſed in progreſſu dilatatæ, & in fine ſpatioſæ, ubi fora; unde quot plateæ tot fora. Dum intravimus urbem, factæ ſunt tenebræ, quia non apparuit Cælum, quare ſuſpeximus, & data nobis eſt lux, & vidimus; & tunc quæſivi obvios, quos offendi, num poteſtis videre, quia Cælum ſuper vobis non apparet; & reſponderunt, quid hoc quod quæris, videmus clare, ambulamus in plena luce; his auditis dixit mihi Angelus, tenebræ ſunt illis lux, & lux illis ſunt tenebræ, ſicut eſt avibus noctis, ſpectant enim deorſum & non ſurſum. Intravimus in caſas hic & ibi, & vidimus in qualibet virum cum ſua muliere, & quæſivimus, num vivant hic omnes in ſua domo cum una ſola uxore, & reſponderunt ad hæc cum ſibilo, quid cum una ſola uxore, cur non quæritis, num cum una ſola meretrice, quid uxor niſi meretrix; ex noſtris legibus non licet cum pluribus, quam cum una ſola fæmina, mæchari; at uſque nobis non eſt inhoneſtum & indecorum cum pluribus, ſed extra domum; gloriamur de hoc inter nos; ſic gaudemus licentia, & ejus voluptate, plus quam polygami; cur pluralitas uxorum nobis negatur, & tamen conceſſa fuit, & hodie conceditur in univerſo terrarum orbe circum circa nos; quid vita cum una ſola fæmina, niſi captivitas & incarceratio; ſed nos hic obicem hujus carceris effringimus, & nos eripimus e ſervitute, & manumittimus; quis ſuccenſet captivo, qui ſe vindicat cum poteſt: ad hæc reſpondimus, loqueris, amice, ſicut expers religionis; quis aliqua ratione imbutus non ſcit quod adulteria ſint prophana & infernalia, & quod conjugia ſint ſancta & cæleſtia; ſuntne adulteria apud diabolos in inferno, & conjugia apud Angelos in Cælo, legiſtine ſextum præceptum Decalogi; & apud Paulum, quod adulteri nequaquam poſſint venire in Cælum; ad hæc hoſpes riſit toto pectore, & aſpexit me ſicut ſimplicem, & pæne ſicut inſanum. At illico tunc accurrit nuntius ex Primore urbis, & dixit, adduc binos advenas in forum, & ſi non volunt, illos trahe illuc; vidimus illos in

umbra

umbra lucis, intraverunt in occulto, sunt exploratores; & dixit mihi Angelus, quod visi simus in umbra, est quia lux Cæli, in qua fuimus, est illis umbra, ac umbra inferni est illis lux; & hoc fit, quia nihil reputant peccatum, ne quidem adulterium, & inde vident falsum plane sicut verum, ac falsum lucet in inferno coram satanis, ac verum atrat oculos illorum sicut umbra noctis. Et diximus ad nuntium, non urgebimur, minus trahemur in forum, sed sponte ibimus tecum, ac ivimus: & ecce ibi multa turba, e qua exiverunt aliqui legisperiti, & nobis in aurem dixerunt; cavete vobis ne aliquid loquamini contra Religionem, Regiminis formam, & bonos Mores, & respondebamus, non loquemur, sed pro illis & ex illis; & quæsivimus, quæ vestra religio est de Conjugiis, ad hæc murmurabat turba, & dixit, quid vobis hic cum Conjugiis, conjugia sunt conjugia; & iterum quæsivimus, quæ vestra religio est de Scortationibus, ad hæc etiam turba murmurabat dicens, quid vobis hic cum scortationibus, scortationes sunt scortationes, qui insons est mittat primum lapidem; & tertio quæsivimus, num vestra Religio docet de conjugiis quod sint sancta & cælestia, & de adulteriis, quod sint profana & infernalia; ad hæc plures in turba cachinnati sunt, irriserunt, & cavillati, dicentes, inquirite illa quæ Religionis sunt a Sacerdotibus nostris, & non a nobis, nos prorsus acquiescimus in effatis illorum, quia non aliquid religionis cadit in judicia intellectus; audivistisne quod intellectus insaniat in mysteriis, ex quibus est tota Religio: & quid Facta cum Religione, suntne Murmura ex corde devota de expiatione, satisfactione, & imputatione, quæ animas beatificant, & non Opera. Sed tunc accesserunt aliqui ex sapientibus urbis ita vocatis, & dixerunt, recedite abhinc, excandescit turba, fit brevi tumultus, colloquamur de hac re soli, est ambulacrum post Curiam, secedamus illuc, venite nobiscum, & sequuti sumus: & tunc quæsiverunt nos, unde sumus, & quid negotii hic; & diximus, ut instruamur de Conjugiis, num illa apud vos, quemadmodum apud Antiquos, qui in Sæculis, Aureo, Argenteo, & Cupreo, vixerant, sint sanctimonia, vel non; & responderunt, quid sanctimonia, suntne opera carnis & noctis; & respondebamus, suntne etiam opera spiritus, & quod caro ex spiritu agit, estne id spirituale, & spiritus omne quod agit, ex conjugio boni & veri agit, estne hoc Conjugium spirituale, quod intrat Conjugium naturale, quod est Mariti & Uxoris; ad hæc sapientes ita vocati responderunt, acuitis & sublimatis nimis hanc rem, transcenditis supra rationalia ad spiritualia, quis potest ibi inchoare, inde descendere, & sic judicare aliquid; his subsannando addiderunt, forte habetis alas aquilæ, & potestis volare in suprema regione Cæli, & perspicere talia; nos non possumus; & tunc rogavimus illos, ut dicerent ex altitudine seu regione, in qua volucres ideæ mentium illorum volant, num sciant aut num possint scire, quod detur Amor conjugialis unius viri cum una uxore, in quem collatæ sunt omnes beatitudines, faustitates, jucunditates, amænitates & voluptates Cæli; & quod hic Amor sit a Domino secundum receptionem boni & veri ab Ipso, ita secundum statum Ecclesiæ: his auditis averterunt se, & dixerunt, insaniunt hi viri, intrant ætherem cum suo judicio, & augurando

vana ſpargunt nuces; poſt hæc converterunt ſe ad nos, & dixerunt, reſpondebimus directe ad ventoſa veſtra auguria & ſomnia, & dixerunt, „ Quid commune habet Amor conjugialis cum Religione, & cum inſpiratione a Deo; annon amor ille apud unumquemvis eſt ſecundum ſtatum ejus potentiæ; eſtne æque apud illos, qui extra Eccleſiam ſunt, ſicut apud illos qui intra; æque apud gentes ſicut apud Chriſtianos; imo æque apud impios ſicut apud pios; eſtne cuivis illius amoris robur vel ex hæreditario, vel ex valetudine, vel ex temperantia vitæ, vel ex calore climatis; & quoque per pharmaca poteſt corroborari & exſtimulari; eſtne ſimile apud beſtias, imprimis apud aves quæ ſe amant paria & paria; eſtne amor ille carnalis, quid carnale commune habet cum ſtatu ſpirituali Eccleſiæ; num amor ille quoad effectum ultimum cum uxore differt hilum ab amore quoad illum effectum cum meretrice, eſtne ſimilis libido, & ſimile delitium; quare injurioſum eſt deducere originem Amoris conjugialis a ſanctis Eccleſiæ. His auditis diximus ad illos, ratiocinamini ex æſtro laſciviæ, & non ex amore conjugiali; prorſus non ſcitis quid Amor conjugialis, quia friget ille apud vos; ex dictis veſtris confirmati ſumus, quod vos ſitis ex Sæculo, quod vocatur & conſiſtit ex ferro & argilla, quæ non cohærent, ſecundum prædictionem a Daniele Cap: II: 43; facitis enim Amorem conjugialem & amorem ſcortatorium unum, num hi duo plus cohærent quam ferrum & argilla: vos credimini & vocamini ſapientes, attamen nihil minus quam ſapientes eſtis. His auditis, accenſi ira clamabant, & convocabant turbam, ut nos ejicerent; ſed tunc ex potentia nobis a Domino data extenſimus manus, & ecce preſteres, echidnæ & hydræ, & quoque dracones e deſerto aderant, & invadebant, & implebant urbem, ex quo habitatores territi facti aufugerunt: & dixit mihi Angelus, in Regionem hanc quotidie accedunt novi e Tellure, ac priores per vices relegantur & dejiciuntur in voragines Occidentis, quæ e longinquo apparent ſicut Stagna ignis & ſulphuris; omnes ibi ſunt & ſpirituales & naturales adulteri.

80. Sextum Memorabile: Cum hæc dicta ſunt, ſpectavi ad finem Occidentis, & ecce apparuerunt ſicut Stagna ignis & ſulphuris, & quæſivi Angelum, cur apparent Inferna ibi talia, reſpondit, apparent ſicut Stagna ex falſificationibus veri, quia aqua in ſenſu ſpirituali eſt verum; & apparet ſicut ignis circum illa & in illis ex amore mali, & ſicut ſulphur ex amore falſi; tria illa Stagnum, Ignis & Sulphur, ſunt apparentiæ, quia ſunt correſpondentiæ malorum amorum, in quibus ſunt; ſunt omnes ibi incluſi æternis Ergaſtulis, & laborant pro victu, amictu & lecto; & dum malefaciunt, graviter & miſere puniuntur. Iterum quæſivi Angelum, cur dixiſti, quod ibi ſint ſpirituales & naturales adulteri, cur non, malefactores & impii; reſpondit, quia omnes illi, qui pro nihilo reputant adulteria, hoc eſt, qui credunt & faciunt illa ex confirmato & ſic ex propoſito quod peccata non ſint, ſunt corde ſuo malefactores & impii; Conjugiale enim humanum & Religio una vadunt in omni paſſu, omne veſtigium & omnis greſſus ex Religione & in Religionem, eſt quoque veſtigium & greſſus a Conjugiali & in Conjugiale quod peculiare & proprium eſt homini Chriſtiano: ad interrogationem, quid Conjugiale illud, dixit, eſt deſiderium viven-

vivendi cum una sola Uxore, & hoc desiderium est homini Christiano secundum ejus Religionem. Postea indolui spiritu, quod Conjugia, quæ in Antiquis Ævis sanctissima fuerant, tam perdite conversa sint in adulteria; & dixit Angelus, simile est cum Religione hodie, nam dicit Dominus, *Quod in Consummatione sæculi futura sit Abominatio desolationis prædicta a Daniele. Et quod futura sit Afflictio magna, qualis non fuit ab initio Mundo.* Matth. XXIV: 15. 21. Abominatio desolationis, significat falsificationem & deprivationem omnis veri; Afflictio significat statum Ecclesiæ infestatum a malis & falsis; & Consummatio sæculi, de quo illa dicta sunt, significat ultimum tempus seu finem Ecclesiæ; est nunc finis, quia non superest verum, quod non falsificatum est, ac falsificatio veri est scortatio spiritualis, quæ unum agit cum scortatione naturali, quia cohærent.

81. Cum de his nobis sermo & dolor fuit, subito apparuit jubar lucis fortiter stringens oculos meos, quare suspexi, & ecce totum Cælum super nobis apparuit luminosum, & ab Oriente in Occidentem ibi in longa serie audita est Glorificatio; & dixit mihi Angelus, Glorificatio illa est Glorificatio Domini propter Adventum Ipsius, quæ fit ab Angelis Cæli Orientalis & Occidentalis; e Cælo Meridionali & Septentrionali non audiebatur nisi quam facetum murmur: & quia Angelus intellexit omnia, dixit mihi primum, quod Glorificationes & Celebrationes Domini fiant ex Verbo, quia tunc fiunt ex Domino, Dominus enim est Verbum, hoc est, ipsum Divinum Verum ibi; & dixit, nunc in specie glorificant & celebrant Dominum per hæc, quæ per Danielem Prophetam dicta sunt „ *Vidisti ferrum mixtum cum argilla luti, commiscebunt se per semen hominis, sed non cohærebunt. Verum in diebus illis surgere faciet Deus Cælorum Regnum, quod in sæcula non peribit; conteret & consumet omnia illa Regna, ipsum autem stabit in sæcula,* Dan. II: 43. 44. Post hæc audivi sicut vocem cantus, & penitius in Oriente vidi coruscum lucis priori splendentius, & quæsivi Angelum quid ibi glorificant, dixit quod per hæc apud Danielem, " *Videns fui in visionibus noctis, & ecce cum Nubibus Cæli sicut* Filius hominis *veniens fuit; & Huic datum est Dominium & Regnum, & omnes populi & gentes Ipsum Colent, Dominium Ipsius Dominium Sæculi, quod non transibit, & Regnum Ipsius quod non peribit* „ Dan. VII: 13. 14. Præter illa, celebrant Dominum ex his in Apocalypsi " Jesu Christo *sit gloria & robur, ecce venit cum Nubibus: Ipse est Alpha & Omega, Principium & Finis, Primus & Ultimus, Qui Est, Qui Fuit, & Qui Venturus est, Omnipotens; ego Johannes audivi hoc ex* Filio hominis *e medio septem Candelabrorum*, Apoc. I: 5. 6. 7. 10. 11. 12. 13. Cap. XXII: 13. tum ex Matth. Cap. XXIV: 30. 31. Spectavi iterum in Cælum Orientale, & illuxit a latere dextro, ac luminosum intravit Expansum Meridionale, & audivi sonum suavem; & quæsivi Angelum, quid Domini ibi glorificant, dixit quod hæc in Apocalypsi „ *Vidi Cælum Novum & Terram Novam, & vidi Urbem Sanctam Hierosolymam novam descendentem a Deo e Cælo, paratam sicut* Sponsam Marito *suo; & loquutus est mecum Angelus, & dixit, veni, ostendam tibi* Sponsam Agni Uxorem, *& abstulit me in spiritu super Montem magnum & altum, & ostendit mihi Urbem Sanctam Hierosolymam* " Apoc.

XXI: 1. 2. 9. 10. Etiam hæc verba ,, Ego Jesus *sum Stella splendida & matutina: ac Spiritus & Sponsa dicent*, VENI, ET DIXIT, ETIAM VENIO CITO, *amen, etiam* VENI DOMINE JESU, " Apoc. XXII: 16. 17. 20. Post hæc & plura, audita est communis Glorificatio ab Oriente in Occidentem Cæli, & quoque a Meridie in Septentrionem, & quæsivi Angelum, quid nunc; dixit, sunt ex Prophetis hæc ,, *Sciat omnis caro quod* EGO JEHOVAH SALVATOR TUUS & REDEMPTOR TUUS" Esai: XLIX: 26. *Sic dixit* JEHOVAH *Rex Israelis*, & REDEMPTOR EJUS JEHOVAH ZEBAOTH, *Ego Primus & Ultimus*, & PRÆTER ME NON DEUS. Esai: XLIV: 6. *Dicetur in die illo*, ECCE DEUS NOSTER HIC, *quem exspectavimus ut liberet nos*, HIC JEHOVAH QUEM EXSPECTAVIMUS, Esai: XXV: 9. *Vox clamantis in deserto, parate viam* JEHOVÆ, *ecce* DOMINUS JEHOVIH *in forti venit, sicut* PASTOR *gregem suum pascet*, Esai: XL: 3. 5. 10. 11. *Puer natus est nobis, Filius datus est nobis, cujus Nomen, Mirabilis, Consiliarius*, DEUS, *Heros*, PATER ÆTERNITATIS, *Princeps pacis*" Esai: IX: 5. *Ecce dies venient, & suscitabo Davidi Germen justum, qui regnabit Rex, & hoc Nomen Ipsius*, JEHOVAH JUSTITIA NOSTRA, Jer. XXIII: 5. 6. Cap. XXXIII: 15. 16. JEHOVAH ZEBAOTH *Nomen Ipsius*, & REDEMPTOR TUUS, *Sanctus Israelis*, DEUS TOTIUS TERRÆ VOCABITUR, Esai: LIV: 5. IN DIE ILLO ERIT JEHOVAH IN REGEM SUPER TOTAM TERRAM; IN DIE ILLO ERIT JEHOVAH UNUS, ET NOMEN IPSIUS UNUM, Sach: XIV: 9. Ex his auditis ac intellectis exultavit cor meum, & in gaudio ivi domum, & ibi e statu spiritus redii in statum corporis, in quo hæc, quæ visa & audita sunt, conscripsi. Quibus nunc adjungo hoc, quod a Domino post adventum Ipsius resuscitetur Amor conjugialis, qualis fuerat apud Antiquos, quia Amor ille a Solo Domino est, & apud illos, qui ab Ipso per Verbum spirituales fiunt.

82. Post hæc Vir e Plaga septentrionali in vehementia accurrit, & me vultu minaci aspexit, ac tono inflammato alloquutus, dixit; es tu qui vis seducere Orbem, instaurando Novam Ecclesiam, quam intelligis per Novam Hierosolymam descensuram e Cælo a Deo; ac docendo, quod Dominus illos, qui Doctrinalia ejus Ecclesiæ amplectuntur, donaturus sit Amore vere conjugiali, cujus delitias & felicitatem exaltas usque ad Cælum; estne hoc Inventum, & affersne hoc ut aucupium & allectamentum ad accedendum ad tua Nova; sed dic mihi in summario, quæ sunt illa Doctrinalia novæ Ecclesiæ, & videbo num concordent aut discordent; & respondi, Doctrinalia Ecclesiæ, quæ intelligitur per Novam Hierosolymam, sunt hæc. I: Quod sit Unus Deus, in Quo est Divina Trinitas; & quod Ille sit DOMINUS JESUS CHRISTUS. II: Quod Fides Salvifica sit credere in Ipsum. III: Quod fugienda sint Mala, quia sunt diaboli & a diabolo. IV: Quod facienda sint Bona, quia sunt Dei & a Deo. V: Quod hæc facienda sint ab homine ut ab ipso, sed quod credendum sit, quod sint a Domino apud illum & per illum. His auditis per aliquot momenta recessit ejus furor; at post aliquam deliberationem iterum me torvo vultu aspexit, dicens, sunt hæc quinque Præcepta, Doctrinalia fidei & charitatis Novæ Ecclesiæ, & respondi, sunt; & tunc aspere interrogavit, quomodo potes demonstrare PRIMUM, quod sit Unus Deus, in quo

eſt Divina Trinitas, & quod Ille ſit Dominus Jeſus Chriſtus; dixi, demonſtro ita, eſtne Unus & Individuus Deus, eſtne Trinitas, ſi Unus & Individuus Deus, eſtne Una Perſona, ſi Una Perſona, eſtne Trinitas in illa; quod ſit DOMINUS JESUS CHRISTUS, ex his, quod conceptus ſit a Deo Patre, Luc: I: 34. 35. & ſic quod quoad Animam ſit Deus; & inde, ſicut Ipſe dicit, quod Pater & Ipſe unum ſint, Joh: X: 30. quod Ipſe in Patre & Pater in Ipſo, Joh: XIV: 10. 11; quod qui videt Ipſum & cognoſcit Ipſum videat & cognoſcat Patrem, Joh: XIV: 7. 9: quod nemo videat & cognoſcat Patrem, niſi Ipſe qui in ſinu Patris eſt, Joh. I: 18; quod omnia Patris ſint Ipſius, Joh: III: 35. Cap. XVI: 15; quod ſit Via, Veritas & Vita, & quod nemo veniat ad Patrem niſi per Ipſum, Joh. XIV: 6. ita ab Ipſo, quia eſt in Ipſo; & ſecundum Paulum, quod omnis plenitudo Divinitatis in Ipſo corporaliter habitet, Coloſſ: II: 9. ac præterea, quod Ipſi ſit Poteſtas omnis carnis, Joh. XVII: 2, & quod Ipſi ſit omnis Poteſtas in Cælo & in Terra; Matth. XXVIII: 18. ex quibus ſequitur, quod ſit Deus Cæli & Terræ. Poſtea interrogavit, quomodo demonſtro ALTERUM, quod Fides ſalviſica ſit credere in Ipſum, dixi, demonſtro per hæc Ipſius Domini verba. „ Hæc eſt voluntas Patris, ut omnis, qui CREDIT IN FILIUM, habeat vitam æternam, Joh: VI: 40. Adeo dilexit Deus mundum, ut Filium ſuum Unigenitum dederit, ut omnis, qui CREDIT IN IPSUM, non pereat ſed habeat vitam æternam, Joh. III: 15. 16. Qui CREDIT IN FILIUM, habet vitam æternam, qui vero non credit Filio, non videbit vitam, ſed ira Dei manet ſuper illo, Joh: III: 36. Poſtea dixit, demonſtra etiam TERTIUM & ſequentia; & reſpondi; quid opus eſt demonſtrare, quod fugienda ſint mala, quia ſunt diaboli & a diabolo; quodque facienda ſint bona, quia ſunt Dei & a Deo; tum quod hæc facienda ſint ab homine ut ab ipſo, ſed quod credendum ſit, quod ſint a Domino apud illum & per illum. Quod hæc Tria vera ſint, confirmat univerſa Scriptura Sacra a principio ad finem, quid ibi aliud in ſumma, niſi quam fugere mala & facere bona, ac credere in Dominum Deum; & præterea, abſque his Tribus non eſt aliqua Religio, eſtne Religio vitæ, & quid vita niſi quam fugere mala & facere bona; quomodo poteſt homo hæc facere & illa credere niſi ut ab ipſo; quare ſi removes hæc ab Eccleſia, removes ab illa Scripturam Sacram, & quoque removes Religionem, quibus remotis Eccleſia non eſt Eccleſia. Vir ille his auditis receſſit, & penſitavit; at uſque abivit in indignatione.

DE ORIGINE AMORIS CONJUGIALIS EX CONJUGIO BONI ET VERI.

83. Sunt Origines amoris conjugialis internæ & externæ, ac internæ ſunt plures, ſimiliter externæ; at origo intima ſeu univerſalis omnium eſt una; quod hæc ſit Conjugium boni & veri, in nunc ſequentibus demonſtrabitur. Quod adhuc non aliquis Originem illius amoris inde deduxerit, eſt quia la-

 tuit,

tuit, quod aliqua unio ſit inter bonum & verum; & latuit, quia bonum non apparet in luce intellectus, ſicut verum, & inde cognitio illius ſe abſcondidit, ac ſubterfugit indagationes; & quia bonum inde eſt inter ignota, non potuit aliquis augurari aliquod conjugium inter hoc & verum: imo coram viſu rationali naturali apparet bonum ita diſtans a vero, ut non ſit aliqua conjunctio; quod ita ſit, videri poteſt a loquelis, dum nominantur; ut cum dicitur, hoc bonum eſt, non cogitatur aliquid de vero, & cum dicitur hoc vernm eſt, nec cogitatur aliquid de bono; quare a multis hodie creditur, quod verum ſit prorſus aliud, pariter bonum; & a multis etiam, quod homo ſit intelligens & ſapiens, & ſic homo ſecundum vera, quæ cogitat, loquitur, ſcribit, & credit, & non ſimul ſecundum bona; quod tamen non detur bonum abſque vero, nec verum abſque bono, conſequenter quod detur æternum conjugium inter illa, tum quod hoc conjugium ſit origo amoris conjugialis, nunc explanabitur; quod fiet in hoc ordine: I: *Quod Bonum & Verum ſint univerſalia creationis, & inde in omnibus creatis; ſed quod in ſubjectis creatis ſint ſecundum cujusvis formam.* II: *Quod non detur Bonum ſolitarium, nec Verum ſolitarium, ſed quod ubivis conjuncta ſint.* III: *Quod detur Verum boni & ex hoc Bonum veri, ſeu Verum ex bono ac Bonum ex illo vero, & quod illis duobus a creatione inſita ſit inclinatio ad conjungendum ſe in unum.* IV: *Quod in ſubjectis Regni animalis verum boni ſeu verum ex bono ſit Maſculinum, & quod ex illo Bonum veri ſeu Bonum ex illo vero ſit Fœmininum.* V: *Quod ex influxu Conjugii boni & veri a Domino, ſit Amor ſexus, & quod ſit Amor conjugialis.* VI: *Quod Amor ſexus ſit Externi ſeu naturalis hominis, & quod inde ille ſit communis omni animali.* VII: *Sed quod Amor conjugialis ſit Interni ſeu ſpiritualis hominis, & quod inde hic ſit proprius homini.* VIII: *Quod apud hominem Amor conjugialis ſit in amore ſexus ſicut gemma in ſua matrice.* IX: *Quod Amor ſexus apud hominem non ſit origo Amoris conjugialis, ſed quod ſit primum ejus, ita ſicut eſt Externum naturale cui implantatur Internum ſpirituale.* X: *Quod dum Amor conjugialis implantatus eſt, Amor ſexus invertat ſe, & fiat Amor ſexus caſtus.* XI: *Quod Mas & Fœmina creati ſint, ut ſint ipſa Forma Conjugii boni & veri.* XII: *Quod ſint illa Forma in intimis ſuis, & inde in ſequentibus ex illis, ſicut interiora mentis illorum aperta ſunt.* Sequitur nunc horum Explicatio.

84. I: Quod Bonum et Verum sint universalia creationis, et inde in omnibus creatis; sed quod in subjectis creatis sint secundum cujusvis formam. Quod Bonum & Verum ſint univerſalia Creationis, eſt quia illa duo ſunt in Domino Deo Creatore, imo ſunt Ipſe, eſt enim Ipſum Divinum Bonum & Ipſum Divinum Verum; ſed lucidius in perceptionem intellectus & ſic in ideam cogitationis cadit, ſi pro Bono dicatur Amor, & pro Vero dicatur Sapientia, proinde quod in Domino Deo Creatore ſit Divinus Amor & Divina Sapientia, & quod hæc ſint Ipſe, hoc eſt, quod ſit Ipſe Amor & Ipſa Sapientia; hæc duo enim ſunt idem cum Bono & Vero; cauſa eſt, quia Bonum eſt Amoris, & Verum eſt Sapientiæ, Amor enim conſiſtit ex bonis, & Sapientia ex veris. Quoniam hæc duo & illa duo unum idem ſunt, in ſequentibus nunc hæc nunc illa dicentur, ac per utraque ſimile intelligitur. Hoc præ-

præliminariter hic dicitur, ne intellectus in sequentibus, ubi dicuntur, diversum percipiat.

85. Cum itaque Dominus Deus Creator est Ipse Amor & Ipsa Sapientia, & ab Ipso creatum est Universum, quod inde est sicut Opus procedens ab Ipso, non potest aliter, quam quod in omnibus & singulis creatis sit aliquid Boni & Veri ab Ipso; nam quod fit & procedit ab aliquo, trahit simile ab illo. Quod ita sit, etiam potest ratione videri ex Ordine, in quo omnia & singula Universi creati sunt, qui est, quod unum sit propter alterum, & quod inde unum pendeat ab altero, sicut catena ex uncis; sunt enim omnia propter Humanum Genus, ut ex illo sit Cælum Angelicum, per quod redit Creatio ad Ipsum Creatorem, a Quo: inde est conjunctio Universi creati cum suo Creatore, & per conjunctionem sempiterna conservatio. Ex hoc est, quod Bonum & Verum dicantur Universalia creationis: quod ita sit, patet cuivis contemplatori ex ratione, hic videt in omni creato id quod se refert ad bonum, & id quod se refert ad verum.

86. Quod Bonum & Verum in subjectis creatis sint secundum cujusvis formam, est quia omne subjectum recipit influxum secundum illam; Conservatio totius non est aliud quam perpetuus influxus Divini Boni & Divini Veri in formas a se creatas, sic enim subsistentia seu conservatio est perpetua existentia seu creatio. Quod omne subjectum recipiat influxum secundum suam formam, illustrari potest per varia; ut per influxum caloris & lucis e Sole in omnis generis Vegetabilia; quodlibet ex his recipit illum secundum suam formam, ita omnis arbor secundum suam, omne virgultum secundum suam, omnis herba & omne gramen secundum suam; influxus est similis in omnia, sed receptio, quia est secundum formam, facit ut quælibet species maneat sua species: idem hoc etiam illustrari potest per influxum in omnis generis Animalia secundum cujusvis formam. Quod influxus sit secundum cujusvis formam, etiam a Rustico potest videri, si attendit ad varia Instrumenta soni, ad fistulas, tibias, tubas, buccinas, & organa, quod hæc sonent ex simili afflatu seu influxu aeris secundum suas formas.

87. II: Quod non detur Bonum Solitarium nec Verum Solitarium, sed quod ubivis conjuncta sint. Qui ex aliquo sensu vult sibi comparare ideam de Bono, non potest invenire illam absque aliquo adjecto, quod sistit & manifestat illud, absque hoc est Bonum Ens nullius nominis; id per quod sistitur & manifestatur, se refert ad verum; dic modo Bonum, & non simul hoc & illud cum quo est, seu define id abstracte seu absque aliquo adjecto cohærente, & videbis quod non sit aliquid, sed quod sit aliquid cum adjecto; & si intendis aciem rationis, percipies quod Bonum absque aliquo adjecto sit nullius prædicationis, & inde nullius relationis, nullius affectionis, & nullius status, verbo nullius qualitatis; simile est cum Vero, si id absque injuncto auditur; quod ejus injunctum se referat ad bonum, ratio elimata potest videre. Sed quia Bona sunt innumerabilia, & quodlibet ascendit ad suum maximum & descendit ad suum minimum sicut per gradus scalæ, & quoque secundum progressionem suam, & secundum quale suum, variat nomen, difficile est aliis

quam sapientibus videre relationem boni & veri ad objecta, & conjunctionem illorum in illis. Quod tamen bonum non detur absque vero, nec verum absque bono, a communi perceptione patet, dum primum agnoscitur, quod omnia & singula Universi se referant ad Bonum & Verum, ut in superiori Articulo n: 84. 85, ostensum est. Quod non detur Bonum solitarium nec Verum solitarium, illustrari & simul confirmari potest per varia; ut per hæc; quod non detur Essentia absque forma, nec Forma absque essentia; ac bonum est essentia seu esse, & verum est per quod essentia formatur ac esse existit. Adhuc, in homine est Voluntas & Intellectus, Bonum est voluntatis, ac Verum est intellectus, ac sola voluntas nihil facit nisi per intellectum, nec solus intellectus aliquid nisi ex voluntate. Adhuc, sunt duo fontes vitæ corporis in homine, Cor & Pulmo; Cor non potest producere aliquam vitam sensitivam & motivam absque Pulmone respirante, nec potest Pulmo absque corde; Cor se refert ad bonum, & Pulmonis respiratio ad verum; est etiam correspondentia. Simile est in omnibus & singulis mentis, ac in omnibus & singulis corporis apud hominem; sed producere confirmationes ulterius hic non vacat; at videantur hæc plenius confirmata in SAPIENTIA ANGELICA DE DIVINA PROVIDENTIA, n: 3 ad 26; ubi illa in hoc ordine explanata sunt I: Quod Universum cum singulis ejus creatis sit ex Divino Amore per Divinam Sapientiam, seu quod idem, ex Divino Bono per Divinum Verum, II: Quod Divinum Bonum & Divinum Verum ut unum procedant a Domino. III: Quod hoc unum in quadam imagine sit in omni creato, IV. Quod Bonum non sit bonum nisi quantum unitum est vero, & quod Verum non sit verum nisi quantum unitum est bono. V: Quod Dominus non patiatur, ut aliquid sit divisum, quare homo vel erit in bono & simul vero, vel erit in malo & simul falso: præter plura.

88. III. QUOD DETUR VERUM BONI, ET EX HOC BONUM VERI; SEU VERUM EX BONO, AC BONUM EX ILLO VERO; ET QUOD DUOBUS ILLIS A CREATIONE INSITA SIT INCLINATIO AD SE CONJUNGENDUM IN UNUM. Necessum est, ut de his aliqua distincta idea comparetur, quia inde dependet cognitio de essentiali origine Amoris conjugialis; est enim, ut sequitur, Verum boni seu Verum ex bono Masculinum, & Bonum veri seu Bonum ex illo vero Fæmininum; sed comprehendi potest hoc distinctius, si pro Bono dicitur Amor, & pro Vero Sapientia, quæ quod unum idem sint, videatur supra n: 84. Sapientia non potest apud hominem existere, quam per Amorem sapiendi, si hic amor aufertur, homo prorsus non potest sapere; Sapientia ex hoc amore intelligitur per Verum boni seu verum ex bono; at dum homo sibi ex illo amore comparavit Sapientiam, ac illam amat in se, seu se propter illam, tunc format amorem, qui est Amor Sapientiæ, & intelligitur per Bonum veri seu bonum ex illo vero; sunt itaque duo Amores apud Virum, quorum unus, qui est prior, est Amor Sapiendi, & alter, qui est posterior, est Amor Sapientiæ; at hic Amor, si manet apud Virum, est Amor malus, & vocatur fastus seu amor propriæ intelligentiæ; quod hic Amor desumptus sit a Viro, ne perdat eum, & transcriptus sit in Mulierem, ut fiat Amor conjugialis, qui redintegrat

tegrat

tegrat illum, a creatione provisum sit, in sequentibus confirmabitur: aliquid de binis illis Amoribus, & de transcriptione posterioris in mulierem, videatur supra, n: 32. 33, & in PRÆLIMINARIBUS n. 20. Si ergo pro Amore intelligitur bonum, & pro Sapientia verum, tunc ex nunc dictis constat, quod detur Verum boni seu verum ex bono, & ex hoc Bonum veri seu bonum ex illo vero.

89. Quod illis duobus a creatione insita sit inclinatio ad se conjungendum in unum, est quia unum formatum est ex altero, Sapientia ex amore sapiendi seu verum ex bono, ac Amor sapientiæ ex illa sapientia, seu bonum veri ex illo vero; ex qua formatione videri potest, quod sit mutua inclinatio ad reuniendum se, & ad conjungendum se in unum. Sed hoc fit apud Viros, qui in genuina Sapientia sunt, & apud Mulieres quæ in Amore illius sapientiæ in Marito sunt, ita qui in Amore vere conjugiali sunt: Sed de Sapientia, quæ apud Virum erit, & quæ amanda est ab Uxore, in sequentibus etiam dicetur.

90. IV: QUOD IN SUBJECTIS REGNI ANIMALIS VERUM BONI SEU VERUM EX BONO SIT MASCULINUM, ET QUOD EX ILLO BONUM VERI SEU BONUM EX ILLO VERO SIT FÆMININUM. Quod a Domino Creatore & Statore Universi influat perpetua Unio Amoris & Sapientiæ seu Conjugium boni & veri, & quod subjecta creata recipiant illum quodlibet secundum suam formam, supra n: 84. 85. 86, ostensum est; quod autem Masculus ex hoc Conjugio seu ex illa Unione recipiat Verum sapientiæ, & ei conjungatur a Domino Bonum amoris secundum receptionem; & quod receptio hæc fiat in intellectu, & quod inde Masculus nascatur ut fiat intellectualis, Ratio ex suo lumine potest ex variis apud illum videre, imprimis ex ejus Affectione, ejus Applicatione, ejus Moribus, & ex ejus Forma. Ex Masculi AFFECTIONE, quod sit affectio sciendi, intelligendi, & sapiendi; affectio sciendi in pueritia, affectio intelligendi in adolescentia & prima juventute, & affectio sapiendi ab hac juventute usque in senectutem; ex quibus patet, quod ejus natura seu indoles inclinet ad formandum intellectum, consequenter quod nascatur ut fiat intellectualis; sed quia hoc fieri non potest nisi ex amore, quare Dominus hunc adjungit illi secundum receptionem, hoc est, secundum animum quod velit sapere. Ex ejus APPLICATIONE, quæ est ad talia quæ Intellectus sunt, seu in quibus Intellectus prædominatur, quorum pleraque forensia sunt, & spectant usus in publico. Ex ejus MORIBUS, qui omnes trahunt ex prædominio intellectus; unde est, quod actus vitæ ejus, qui intelliguntur per mores, sint rationales, & si non sunt, velit ut appareant; rationalitas masculina perspicitur etiam in omni virtute ejus. Ex ejus FORMA, quod sit diversa & prorsus distincta a forma fœminæ; de qua videatur etiam aliquid supra n: 33. His accedit, quod prolificum sit in illo; hoc non aliunde est quam ex intellectu, est enim a vero ex bono ibi; quod inde sit prolificum, in sequentibus videbitur.

91. Quod autem Fœmina nascatur ut sit voluntaria, sed voluntaria ex intellectuali viri, seu quod idem, ut sit amor sapientiæ viri, quia per sapientiam ejus formata est, de quo videatur supra n: 88. 89, constare etiam potest ex Fœminæ Affectione, ejus Applicatione, ejus Moribus, & ex ejus Forma. Ex Fœminæ AFFECTIONE, quod sit affectio amandi scientiam, intelligentiam &

ſapientiam, attamen non in ſe ſed in viro; & ſic virum; non enim poteſt amari vir ex ſola forma, quod appareat ſicut homo, ſed ex dote quæ in illo eſt, quæ facit ut ſit homo. Ex ejus APPLICATIONE, quod ſit ad talia, quæ ſunt opera manuum, & vocantur neta, acupicta, & alio nomine, inſervientia ad ornatus, & ad decorandum ſe, & ad exaltandum pulchritudinem ſuam: & inſuper ad varia officia quæ vocantur domeſtica, quæ adjungunt ſe officiis virorum, quæ, ut dictum eſt, vocantur forenſia; hæc ſunt illis ex inclinatione ad Conjugium, ut fiant uxores, & ſic unum cum maritis. Quod id etiam appareat ex MORIBUS, & FORMA, abſque explicatione patet.

92. V: QUOD EX INFLUXU CONJUGII BONI ET VERI A DOMINO SIT AMOR SEXUS, ET QUOD SIT AMOR CONJUGIALIS. Quod Bonum & Verum ſint univerſalia creationis, & inde in omnibus ſubjectis creatis; & quod in his ſint ſecundum cujuſvis formam; & quod Bonum & verum non ut duo, ſed ut unum procedant a Domino, ſupra n: 84. 85. 86. 87, oſtenſum eſt; ex his ſequitur, quod UNIVERSALIS SPHÆRA CONJUGIALIS procedat a Domino, ac pervadat Univerſum a primis ad ultima ejus, ita ab Angelis uſque ad vermes. Quod talis Sphæra Conjugii boni & veri procedat a Domino, eſt quia illa etiam eſt Sphæra propagationis, hoc eſt, prolificationis & fructificationis; & hæc eadem eſt cum Divina Providentia conſervationis Univerſi per ſucceſſivas generationes. Nunc quia Sphæra illa univerſalis, quæ eſt Conjugii boni & veri, influit in ſubjecta ſecundum cujuſvis formam, n. 86, ſequitur quod Maſculus recipiat illam ſecundum ſuam, ita in Intellectu, quia ille eſt forma intellectualis; & quod Fæmina recipiat illam ſecundum ſuam, ita in Voluntate, quia illa eſt forma voluntaria ex intellectuali viri; & quia eadem illa ſphæra etiam eſt ſphæra prolificationis, ſequitur quod inde ſit Amor ſexus.

93. Quod etiam inde ſit Amor conjugialis, eſt quia illa Sphæra influit in formam ſapientiæ apud homines, & quoque apud angelos; homo enim creſcere poteſt ſapientia ad finem vitæ ſuæ in Mundo, & poſtea in æternum in Cælo; & quantum creſcit ſapientia, tantum perficitur ejus forma; & hæc forma non recipit amorem ſexus, ſed amorem unius e ſexu; cum hac enim poteſt uniri ad intima, in quibus eſt Cælum cum ſuis felicibus, & hæc unio eſt amoris conjugialis.

94. VI: QUOD AMOR SEXUS SIT EXTERNI SEU NATURALIS HOMINIS, ET QUOD INDE HIC SIT COMMUNIS OMNI ANIMALI. Omnis homo naſcitur corporeus, & fit interius & interius naturalis, & ſicut amat intelligentiam fit rationalis, & poſtea ſi amat ſapientiam fit Spiritualis; quid Sapientia per quam homo fit ſpiritualis, in ſequentibus n: 130. dicetur. Nunc ſicut homo progreditur a ſcientia in intelligentiam, & ab hac in ſapientiam, ita etiam Mens ejus mutat ſuam formam, aperitur enim plus & plus, ac propius ſe conjungit cum Cælo, & per Cælum cum Domino; inde fit amantior veri & ſtudioſior boni vitæ. Si itaque ſubſiſtit in primo limine in progreſſione ad ſapientiam, manet forma mentis ejus naturalis, & hæc recipit influxum Sphæræ univerſalis, quæ eſt Conjugii boni & veri, non aliter quam recipiunt illum ſubjecta inferiora Regni animalis, quæ vocantur beſtiæ & aves; quæ quia mere naturales ſunt fit ille

ille homo illis similis, & sic consimiliter amat sexum sicut illæ. Ita intelligitur hoc, quod amor sexus sit externi seu naturalis hominis, & quod inde ille sit communis omni animali.

95. VII: Sed quod Amor conjugialis sit Interni seu spiritualis hominis; et quod hic sit proprius homini. Quod Amor conjugialis sit Interni seu spiritualis hominis, est quia quo plus homo fit intelligens & sapiens, eo plus fit internus seu spiritualis; & eo plus perficitur ejus mentis forma, & hæc forma recipit amorem conjugialem, percipit enim & sentit in hoc jucundum spirituale, quod intus beatificatum est, & ex hoc jucundum naturale, quod animam, vitam & essentiam trahit ex illo.

96. Quod Amor conjugialis sit proprius homini, est quia solus homo potest spiritualis fieri, potest enim intellectum suum elevare supra amores suos naturales, & ex altitudine illa videre illos infra se, & judicare de illis, quales sunt, & quoque emendare, castigare & removere illos; hoc non potest ullum animal, nam amores hujus prorsus uniti sunt cum ejus scientia connata, quare hæc non potest elevari in intelligentiam, & minus in sapientiam; unde animal ab amore scientiæ suæ insito fertur sicut cæcus per plateas a cane; hæc causa est, quod Amor conjugialis sit proprius homini: potest etiam vocari nativus & germanus homini, quia homini inest facultas sapiendi, cum qua hic amor unum facit.

97. VIII: Quod apud hominem Amor conjugialis sit in Amore sexus sicut gemma in sua matrice. Sed hoc quia modo comparatio est, explicabitur in Articulo nunc sequente; per illam etiam illustratur, quod Amor sexus sit Externi seu naturalis hominis, & Amor conjugialis Interni seu spiritualis hominis, & mox supra n. 95. ostensum est.

98. IX: Quod Amor sexus apud hominem non sit origo amoris conjugialis, sed quod sit primum ejus, ita sicut est externum naturale, cui implantatur internum spirituale. Agitur hic de Amore vere conjugiali, & non de Amore vulgari qui etiam conjugalis vocatur, & apud quosdam non aliud est quam Amor sexus limitatus; amor autem vere conjugialis solum est apud illos, qui avent sapientiam, & inde plus & plus progrediuntur in illam; hos Dominus prævidet, & illis Amorem conjugialem providet; qui amor quidem inchoat apud illos ab Amore sexus, seu potius per hunc amorem, sed usque non oritur ex illo; oritur enim sicut sapientia promovet gradum & prodit in lucem apud illum; nam sapientia & ille amor sunt individui comites. Quod Amor conjugialis inchoet per amorem sexus, est quia antequam consors invenitur, amatur sexus communiter, ac spectatur visu amabili; & agitur civili moralitate cum illo; est enim adolescens in Electione, & tunc ex insita inclinatione ad conjugium cum una, quæ latet in adyto mentis ejus, blande calescit ejus externum; & quia determinationes ad conjugium protrahuntur ex variis causis usque ad mediam juventutem, ac interea initium illius amoris est sicut libido, quæ apud aliquos abit in amorem sexus actualiter, at usque apud illos non remittitur frænum ejus ulterius quam quantum conducit sanitati: sed hæc dicta sunt de Sexu masculino, quia huic illecebra est, quæ actualiter accendit,

non

non autem de Sexu fæminino. Ex his patet, quod Amor sexus non sit origo Amoris vere conjugialis, sed quod sit primum ejus tempore, non autem fine; quod enim primum fine est, hoc in mente & ejus intentione est primum, quia primarium; sed ad hoc primum non acceditur nisi quam successive per media, hæc non sunt prima in se, sed modo promoventia ad primum in se.

99. X: QUOD DUM AMOR CONJUGIALIS IMPLANTATUS EST, AMOR SEXUS INVERTAT SE, ET FIAT AMOR SEXUS CASTUS. Dicitur quod tunc Amor sexus invertat se, quia dum Amor conjugialis venit ad suam originem, quæ est in interioribus mentis, videt Amorem sexus non ante se sed post se, seu non supra se sed infra se, & sic sicut id quod in transeundo reliquit. Similiter ut fit, dum quis scandit ab officio per officia ad quoddam supereminens dignitate, & deinde respicit post se seu infra se officia quæ pertransierat: aut dum quis intendit peregrinationem ad Aulam cujusdam Regis, post adventum invertit aspectum ad illa quæ viderat in via. Quod tunc Amor sexus permaneat, & fiat castus, & tamen priori suavior illis qui in Amore vere conjugiali sunt, ex descriptione ejus ab illis qui in Spirituali Mundo sunt, in binis MEMORABILIBUS inde n. 44 & 55. videri potest.

100. XI: QUOD MAS ET FÆMINA CREATI SINT, UT SINT IPSA FORMA CONJUGII BONI ET VERI, est quia Mas creatus est, ut sit Intellectus veri, ita Verum in forma, & Fæmina creata est ut sit Voluntas boni, ita Bonum in forma, ac utrique ab intimis indita est inclinatio ad conjunctionem in unum, videatur supra n. 88. ita faciunt duo unam formam, quæ æmulatur Formam conjugialem boni & veri. Dicitur quod hanc æmuletur, quia non eadem est, sed ei similis; Bonum enim quod se conjungit cum Vero apud virum, est a Domino immediate, at Bonum uxoris quod conjungit se cum Vero apud virum, est a Domino mediate per uxorem, quare sunt duo Bona, unum internum, alterum externum, quæ conjungunt se cum Vero apud maritum; ac faciunt, ut maritus constanter sit in intellectu veri, & inde sapientia per Amorem vere conjugialem: sed de his in sequentibus plura.

101. XII: QUOD DUO CONJUGES SINT ILLA FORMA IN INTIMIS SUIS, ET INDE IN SEQUENTIBUS EX ILLIS, SICUT INTERIORA MENTIS ILLORUM APERTA SUNT. Sunt tria, ex quibus omnis homo consistit, & quæ in ordine sequuntur apud illum, Anima, Mens, & Corpus; intimum ejus est Anima, medium ejus est Mens, & ultimum ejus est Corpus: omne quod influit a Domino in hominem, influit in intimum ejus, quod est Anima, & descendit inde in medium ejus, quod est Mens, & per hanc in ultimun ejus, quod est Corpus; ita influit Conjugium boni & veri a Domino apud hominem; immediate in animam ejus, & inde pergit ad sequentia, & per hæc ad extrema; & sic conjunctim faciunt Amorem conjugialem: ex idea hujus influxus patet, quod duo Conjuges sint illa forma in intimis suis, & inde in sequentibus ex illis.

102. Quod autem Conjuges fiant illa forma, sicut interiora mentis illorum aperta sunt, est quia Mens successive ab infantia usque ad seram senectam aperitur; homo enim nascitur corporeus, & sicut Mens aperitur proxime supra Corpus, fit rationalis; & sicut rationale hoc purificatur & quasi decantatur

a

a fallaciis, quæ influunt a sensibus corporis, & a concupiscentiis, quæ influunt ex illecebris carnis; ita Rationale aperitur, & hoc fit unice per sapientiam; & cum interiora mentis rationalis aperta sunt, tunc fit homo forma sapientiæ, & hæc est receptaculum amoris vere conjugialis. ,, Sapientia quæ facit hanc for-
,, mam, & recipit hunc amorem, est Sapientia rationalis & simul moralis;
,, Sapientia rationalis spectat vera & bona, quæ interius in homine apparent,
,, non ut sua, sed influentia a Domino; & sapientia moralis fugit mala &
,, falsa, ut lepras; imprimis lascivia, quæ amorem suum conjugialem conta-
,, minant".

103. His adjiciam duo MEMORABILIA; PRIMUM hoc. Quodam mane ante ortum solis, prospexi versus Orientem in Mundo spirituali, & vidi quatuor Equites sicut evolantes ex nube fulgente ex flamma auroræ; super Equitum capitibus visæ sunt cassides crispatæ, super brachiis sicut alæ, & circum corpora leves tunicæ coloris aurantii, sic vestiti ut veloces, insurgebant & intendebant lora super jubis equorum, qui sic excurrebant sicut alipedes: sequebar visu cursum seu volatum illorum mente cognoscendi quo pergerent; & ecce tres Equites effuderunt se in tres plagas, Meridiem, Occidentem, & Septentrionem, & quartus in spatio brevi in Oriente substitit. Hæc admiratus suspexi in Cælum, & quæsivi, quo pergerent Equites illi, & responsum tuli, ad Sapientes in Regnis Europæ, qui in dispiciendis rebus limata ratione & acuta acie sunt, ac ingenii laude apud suos effloruerunt, ut adveniant & solvant Secretum de AMORIS CONJUGIALIS ORIGINE, ET DE EJUS VIRTUTE SEU POTENTIA; & dixerunt e Cælo, attende paulum, & visurus es viginti septem Currus, Tres in quibus Hispani, Tres in quibus Franci seu Galli, Tres in quibus Itali, Tres in quibus Germani, Tres in quibus Batavi seu Hollandi, Tres in quibus Angli, Tres in quibus Sueci, Tres in quibus Dani, & tres in quibus Poloni; & tunc post bihorium visi sunt illi Currus tracti a mannis coloris helvi insigniter phaleratis, ac perniciter ferebantur ad spatiosam Domum visam in confinio Orientis & Meridiei, circa quam omnes vecti curribus exibant, & forti spiritu intrabant; & tunc dictum est mihi, vade ac intra etiam tu, & audies: ego vadi & intravi, & lustrans Domum intus, vidi quod esset quadrata, prospectus laterum ad Plagas, in quovis latere tres altæ Fenestræ ex vitris chrystallinis, harum Postes ex ligno olei; utrinque a latere postium Eductiones e parietibus sicut Cameræ supra fornicatæ, ubi Mensæ; Parietes harum erant ex cedris, Tectum ex ligno nobili thyïno, Solum ex asseribus populi; ad parietem Orientalem, ubi non visæ sunt fenestræ, posita erat Mensa obducta auro, super qua locata erat CIDARIS lapidibus pretiosis circumobsita, quæ cederet in palmam seu præmium illi, qui evestigaret Secretum mox proponendum. Cum visum distribui ad cameratas Eductiones, quæ erant sicut Conclavia juxta fenestras, vidi quinque Viros in quavis ex quovis Regno Europæ, qui parati exspectabant Objectum judiciorum suorum; & illico

tunc constitit Angelus in medio Palatii, & dixit, Objectum judiciorum vestrorum erit, DE AMORIS CONJUGIALIS ORIGINE, ET DE EJUS VIRTUTE SEU POTENTIA; ventilate hoc, & decernite; ac decretam sententiam inscribite chartæ, & immittite hanc in argenteam Urnam, quam juxta Mensam auream videtis positam, & subscribite initialem Literam Regni, e quo estis, ut a Francis seu Gallis F, a Batavis seu Hollandis B, ab Italis I, ab Anglis A, a Polonis P, a Germanis G, ab Hispanis H, a Danis D, & a Suecis S. His dictis Angelus abivit, & dixit, redibo; & tunc quinque Populares in quovis Conclavio ad fenestras, edictum illud versabant, dispiciebant, & secundum præstantiam dotum suorum judiciorum decernebant, chartis inscribebant, subscripta litera initiali sui Regni, & in argenteum Cavum immittebant. His post trihorium peractis, redibat Angelus, & ex Urna eduxit chartas ordine, & legit coram Congregatis.

104. Tunc ex PRIMA Charta, quam forte manus ejus apprehendit, legit hæc: Nos quinque populares in nostro Conclavio decrevimus, quod Origo amoris conjugialis sit ex Antiquissimis in Sæculo aureo, & apud hos ex creatione Adami & ejus Uxoris; inde est Origo conjugiorum, & cum conjugiis Origo amoris conjugialis. Quod Amoris conjugialis Virtutem seu Potentiam concernit, hanc non aliunde derivamus, quam ex climate seu regione solis, & inde calore super terris; hoc non ex inanibus rationis inventis, sed ex evidentibus experientiæ indiciis contemplati sumus; ut ex Populis sub linea seu circulo æquinoctiali, ubi Calor diurnus sicut ardet; & ex populis propius ad illum Circulum, & ex populis remotius ab illo habitantibus; & quoque ex cooperatione caloris solaris cum calore vitali apud animalia terræ & aves Cæli tempore veris cum prolificant; præterea quid amor conjugialis nisi Calor, cui si accedit Calor succenturiatus a Sole, fit Virtus seu Potentia. His subscripta est litera H, quæ erat initialis Regni, e quo erant.

105. Post hoc, SECUNDO immisit manum in urnam, & desumpsit inde Chartam, ex qua legit hæc. Nos populares in nostro contubernio convenimus, quod origo Amoris conjugialis sit eadem cum origine Conjugiorum, quæ per leges sancita sunt ad refrænandas concupiscentias hominibus connatas ad adulteria, quæ pessumdant animas, inquinant rationes mentis, conspurcant mores, ac tabe conficiunt corpora; sunt enim Adulteria non humana sed ferina, non rationalia sed bruta, & sic prorsus non Christiana sed barbara; propter damnationem talium, est ortus Conjugiorum, & simul Amoris conjugialis. Simile est cum hujus Amoris virtute seu potentia, quod hæc pendeat a castitate, quæ est abstinentia a vagis scortationibus; causa est, quia Virtus seu Potentia apud illum, qui solam conjugem amat, est reservata uni, & sic collecta & sicut concentrata, & tunc fit illa nobilis sicut Quinta Essentia abstractis inquinamentis, quæ alioquin dispergeretur & quaquaversum projiceretur. Unus inter nos quinque, qui Sacerdos, adjecit etiam Prædestinationem ut causam illius virtutis seu potentiæ, dicens, suntne Conjugia prædestinata, & cum hæc, etiam sunt inde Prolificationes, & ad has Efficaciæ, prædestinatæ; institit in causam, quia juraverat in illam. His subscripta est litera B. His audi-

auditis quidam voce subridente dixit, Prædestinatio heu quam pulchra apologia defectus seu impotentiæ.

106. Mox TERTIO exprompsit chartam ex urna, ex qua legit hæc. Nos populares in nostra Cella versavimus causas originis Amoris conjugialis, & vidimus illarum hanc dominam, quod sit eadem cum Origine Conjugii, quia Amor ille non prius exstitit; & exstitit, quia cum aliquis perit seu perdite amat virginem, anima & corde vult possidere illam ut proprietatem supra omnia amabilem; ac ut primum illa spondet se, spectat illam sicut proprium spectat proprium: quod hoc sit origo amoris conjugialis, patet clare ex cujusvis furore contra rivales, & ex zelotypia contra violatores. Versavimus postea originem virtutis seu potentiæ illius amoris, & tres contra duos prævaluerunt, quod Virtus seu potentia cum conjuge sit ex aliqua licentia cum sexu; dixerunt, quod ab experientia sciant, quod potentia amoris sexus prævaleat potentiæ Amoris conjugialis. His subscripta est litera I. His auditis clamaverunt e Mensis, remove hanc chartam, & extrahe aliam ex urna.

107. Et momento extraxit QUARTAM, e qua legit hæc: Nos populares sub nostra Fenestra decrevimus, quod origo Amoris conjugialis & amoris sexus sit eadem, quia ex hoc ille est; modo quod amor sexus sit illimitatus, interminatus, solutus, promiscuus, & vagus, at Amor conjugialis limitatus, determinatus, constrictus, certus & constans; & quod hic amor ideo a prudentia sapientiæ humanæ sancitus & constabilitus sit, quia alioquin non foret imperium, non regnum, non respublica, imo non societas, sed homines ut catervæ & catervæ vagarentur in campis & sylvis cum scortis & fœminis raptis, ac fugerent a sede in sedem ad evitandum cruentas cædes, violationes & rapinas, per quas universum genus humanum exstirpatum iret; hoc nostrum judicium est de origine Amoris conjugialis. At Virtutem seu potentiam Amoris conjugialis educimus ex sanitate corporis continue perstante a partu ad senectam; homo enim continue sospes & stabili potitus valetudine non deficitur vigore, ejus fibræ, nervi, musculi, cremasteres, non torpescunt, relaxantur, & flaccescunt, sed permanent in robore virium suarum; valete. His subscripta est litera A.

108. QUINTO eduxit chartam ex urna, ex qua legit hæc. Nos populares ad nostram Mensam ex mentium nostrarum rationalitate inspeximus in originem Amoris Conjugialis, ac in Originem Virtutis seu potentiæ ejus; & originem Amoris conjugialis non aliam ex circumspectis rationibus vidimus & confirmavimus, quam quod omnis homo ex fomitibus & inde incitamentis in adyto mentis & corporis ejus occultatis post varias oculorum ejus libidines tandem ad unam e sexu fœminam intendat mentem & acclinet, usque dum ad illam penitus incalescat; ab hoc tempore calor ejus a flamma in flammam abit, usque dum sit incendium; in hoc statu exulat libido sexus, & pro libidine fit amor conjugialis: adolescens sponsus in hoc incendio non scit aliter, quam quod virtus seu potentia illius amoris nusquam desitura sit, caret enim experientia & inde scientia de statu defectus virium, & tunc frigescentiæ amoris post delitias; est itaque origo amoris conjugialis ex primo illo ante nuptias ar-

dore,

dore, & ex hoc virtus seu potentia ejus; at hæc post nuptias faces suas mutat, ac decrescit & increscit, sed usque perstat cum stabili mutatione, seu decrescentia & increscentia usque ad senium, per moderationes ex prudentia, & per refrænationes libidinum erumpentium ex specubus mentis nondum defæcatis; libido enim anteit sapientiam; hoc nostrum judicium est de origine & perseverantia virtutis seu potentiæ conjugialis. His subscripta est Litera P.

109. SEXTO eduxit chartam, ex qua legit hæc: Nos populares ex nostro Sodalitio circumspeximus causas originis Amoris conjugialis, & consensimus in duas, quarum una est Justa educatio liberorum, & altera distincta possessio hæreditatum; assumsimus has duas, quia collimant & spectant ad unum scopum, qui est Bonum Publicum; & hoc obtinetur, quia Infantes ex amore conjugiali concepti & nati fiunt proprii & germani, & hi ex amore storge exaltato per quod sint ex legitimo stemmate, educantur in hæredes omnium possessionum tam spiritualium quam naturalium suorum parentum; quod super justa educatione liberorum, & super distincta possessionehæreditatum, fundetur Bonum publicum, videt ratio. Est Amor sexus, & est Amor conjugialis, hic Amor apparet sicut unus cum illo, sed est distincte alius, nec unus est juxta alterum, sed unus est intra alterum, & quod intra est, hoc nobile est præ eo quod extra est; & nos vidimus, quod Amor conjugialis a creatione sit intus, & reconditus in amore sexus, prorsus sicut amygdalum intus in crusta; quare cum amor conjugialis ex sua crusta, quæ est amor sexus, recluditur, fulget ille coram Angelis, sicut gemma Beryllus & Astroites; hoc fit, quia Amori conjugiali inscripta est Salus universi Generis Humani, quæ a nobis intelligitur per Bonum Publicum; hoc nostrum judicium est de origine hujus Amoris. Originem autem Virtutis seu potentiæ ejus ex versatis causis conclusimus esse reclusionem & separationem Amoris conjugialis ab amore sexus, quæ fit per sapientiam a viro, & per amorem sapientiæ viri ab uxore: amor sexus enim est communis cum bestiis, at Amor conjugialis est proprius hominibus; quare quantum recluditur & separatur Amor conjugialis ab amore sexus, tantum homo est homo, & non bestia, & homo ex suo amore adipiscitur virtutem seu potentiam, & bestia ex suo. His subscripta est Litera G.

110. SEPTIMO eduxit chartam, e qua legit hæc: Nos populares in camera sub nostræ fenestræ luce exhilaravimus cogitationes & inde judicia nostra ex meditatione de Amore conjugiali; quis non exhilaratur ex illo, est enim ille amor dum in mente simul in toto corpore: nos judicamus Originem amoris illius ex jucundis ejus; quis usquam scit aut scivit vestigium ullius Amoris, nisi ex jucundo & volupi ejus; jucunditates Amoris conjugialis in originibus suis sentiuntur ut beatitudines, faustitates & felicitates, ac in derivationibus ut amœnitates & voluptates, & in ultimis ut delitiæ delitiarum. Est itaque origo amoris sexus, dum interiora mentis, & inde interiora corporis aperiuntur pro illarum jucunditatum influxu; at origo amoris conjugialis erat tunc, cum sphæra illius amoris primitiva, per cæptas desponsationes, idealiter promovit illas. Quod Virtutem seu potentiam illius amoris concernit, est illa ex permeabilitate illius amoris cum sua vena, a mente in corpus, mens enim est e capite

pite

pite in corpore dum sentit & agit, imprimis cum delitiatur ex hoc amore; nos inde judicamus gradus potentiæ & constantias alternorum ejus. Insuper etiam Virtutem potentiæ deducimus ex stirpe, si illa nobilis est apud patrem, sit etiam per traducem nobilis apud progeniem; quod nobilitas illa per traducem generetur, hæreditetur & descendat, adstipulatur ratio cum experientia. His subscripta est Litera F.

111. VICE OCTAVA exivit charta, ex qua legit hæc: Nos populares in nostro Conventu non invenimus ipsam originem Amoris conjugialis, quia illa in sacrariis mentis latet intime reposita; consummatissima sapientia ne quidem aliquo radio intellectus potest illum amorem in origine sua attingere; divinavimus multa, sed post subtilitates inaniter agitatas, non scivimus an nugas vel an judicia augurati simus; quare qui originem illius amoris vult e sacrariis mentis educere, & dare sibi in conspectum, adeat Delphos. Nos contemplati sumus amorem illum infra originem suam, quod sit spiritualis in mentibus, & ibi sicut fons venæ dulcis, ex quo defluit in pectus, ubi fit jucundus, & vocatur amor pectoralis, qui in se spectatus est plenus amicitia, & plenus confidentia ex plena inclinatione ad mutuum; & quod ille dum pertransiit pectus fiat amor genialis: hæc & similia cum Ephebus cogitationibus suis volvit, quod facit cum ex sexu sibi præoptat unam, accendunt in corde ignem amoris conjugialis, qui ignis, quia est primitivus illius amoris, est origo ejus. Originem Virtutis seu potentiæ non aliam agnoscimus, quam ipsum illum amorem, sunt enim individui comites, sed usque tales, ut quandoque unus præcedat, & quandoque alter; dum amor præcedit, ac virtus seu potentia illum sequitur, est uterque nobilis, quia potentia tunc est virtus amoris conjugialis; at si potentia præcedit & amor sequitur, tunc est uterque ignobilis, quia amor tunc est potentiæ carnalis; nos itaque ex ordine, in quo amor descendit aut ascendit, & sic a sua origine ad metam progreditur, qualitatem utriusque judicamus. His subscripta est Litera D.

112. Ultimo seu NONO sustulit chartam, ex qua legit hæc: Nos populares ex nostro comitio, judicium ad duas illas ex propositis res adhibuimus, ad Originem amoris conjugialis, & ad Originem virtutis seu potentiæ ejus. Cum agitavimus subtilitates de origine amoris conjugialis, ad evitandum umbras in rationibus, distinximus inter Amorem sexus spiritualem, naturalem, & carnalem; & per Amorem sexus Spiritualem, intelligimus Amorem vere conjugialem, quia hic est spiritualis; & per Amorem sexus naturalem intelligimus amorem polygamicum, quia hic est naturalis; & per Amorem sexus mere carnalem intelligimus amorem scortatorium, quia hic est mere carnalis. Cum introspeximus nostris judiciis in amorem vere conjugialem, perspeximus quod hic amor solum inter unum marem & unam fæminam detur, & quod sit ex creatione cælestis, intimus, ac anima & pater omnium bonorum amorum, inspiratus Primis parentibus, & inspirabilis Christianis; est etiam ita conjunctivus, ut per illum duæ Mentes possint fieri una Mens, ac duo Homines sicut unus Homo, quod intelligitur per fieri una Caro. Quod ille Amor inspiratus sit a creatione, patet in Libro Creationis ex his. „ *Et Vir derelinquet patrem & ma-*

matrem, & adhærebit uxori suæ, & erunt in unam Carnem". Gen: II: 24. quod sit inspirabilis Christianis, patet ex his; *Jesus dixit, annon legistis, quod Ipse qui fecit ab initio, masculum & fæminam fecit eos, & dixit, propterea deseret homo patrem & matrem, & adhærebit uxori suæ, & erunt duo in carnem unam; quare non amplius sunt duo sed una Caro*, Matth: XIX: 4. 5. 6; hæc de Origine amoris conjugialis. Originem autem Virtutis seu potentiæ amoris vere conjugialis auguramur exire ex similitudine mentium, & unanimitate; cum enim duæ Mentes conjugialiter sunt conjunctæ, cogitationes illorum tunc spiritualiter se mutuo osculantur, & hæ inspirant corpori suam virtutem seu potentiam. His subscripta est Litera S.

113. Steterunt post Tabulatum oblongum in Palatio ante fores erectum Alienigenæ ex Africa, qui ad Indigenas Europæ clamaverunt, permittite ut quoque aliquis ex nobis proferat sententiam de Origine Amoris Conjugialis, ac de Virtute seu potentia ejus; & omnes Mensæ annuerunt manibus, quod liceret: & tunc unus ex illis intravit, & constitit ad Mensam, super qua Cidaris locata fuit. Hic dixit, Vos Christiani deducitis Originem Amoris conjugialis ex ipso Amore; nos autem Africani deducimus illam ex Deo Cæli & Terræ; estne Amor Conjugialis Amor castus, purus & sanctus, suntne Angeli Cæli in illo, estne Universum Genus Humanum, & inde Universum Cælum Angelicum, Semen illius Amoris; num tale supereminens aliunde quam ab Ipso Deo Creatore & Statore universi potest existere. Vos Christiani Virtutem seu potentiam conjugialem deducitis ex variis causis rationalibus & naturalibus; nos autem Africani deducimus illam ex statu conjunctionis hominis cum Deo universi; hunc statum nos vocamus statum Religionis, vos autem statum Ecclesiæ; nam cum Amor inde est, & hic stabilis & perpetuus, non potest ille aliter quam operari suam virtutem, quæ ejus similis est, ita quoque stabilem & perpetuam: Amor vere conjugialis non est notus nisi paucis illis, qui propinqui Deo sunt, inde nec potentia illius amoris nota est aliis; hæc cum illo ab Angelis in Cælis describitur ut delitium Veris perpetui.

114. His dictis surrexerunt omnes, & ecce post auream Mensam, super qua fuit Cidaris, facta est Fenestra non prius visa, & trans illam audita est vox, CIDARIS ERIT AFRICO; & ab Angelo data est illi in manum, non autem supra caput, & ille cum illa abivit domum; & incolæ Regnorum Europæ egressi intraverunt Currus, in quibus redierunt ad suos.

R. n. 624. 115. ALTERUM MEMORABILE. In media nocte experrectus e somno, vidi in aliqua altitudine versus Orientem Angelum tenentem in manu dextra Chartam, quæ ex luce e Sole influente apparuit in illustri candore, in cujus medio erat scriptura ex literis aureis, & vidi scriptum, CONJUGIUM BONI ET VERI; ex scriptura emicuit splendor, qui abiit in latum circulum circum chartam; circulus ille seu ambitus apparuit inde sicut apparet aurora verno tempore. Post hæc vidi Angelum cum charta in manu descendentem, & sicut descendit, apparuit charta minus & minus lucida, & scriptura illa, quæ erat CONJUGIUM BONI ET VERI, conversa a colore aureo in argenteum, dein in cupreum, postea in ferreum, & demum in ferruginosum & æruginosum; ac ultimo visus est

est Angelus intrare in Nimbum obscurum, & per nimbum super terram; & ibi charta illa, tametsi in manu Angeli adhuc tenebatur, non visa est; fuit hoc in Mundo spirituum, in quem omnes homines post obitum primum conveniunt; & tunc Angelus loquutus est ad me dicens; quære illos qui huc veniunt, num videant me, vel aliquid in manu mea: venit multitudo, cætus ab Oriente, cætus a Meridie, cætus ab Occidente, & cætus a Septentrione, & quæsivi advenientes ex Oriente & Meridie, qui erant qui in Mundo studuerant eruditioni, num videant hic apud me aliquem & aliquid in manu ejus, dixerunt omnes, quod prorsus nihil; quæsivi dein illos, qui advenerunt ex Occidente & Septentrione, qui erant qui in verba Eruditorum in Mundo crediderant, hi dixerunt quod nec aliquid; attamen ultimi ex his, qui in Mundo fuerant in simplici fide ex charitate, seu in aliquo vero ex bono, postquam abiverunt priores, dixerunt, quod videant Virum cum charta, Virum in habitu decoro, & Chartam super qua literæ exaratæ; & cum admoverunt oculos, dicebant, quod legerent *Conjugium boni & veri*; & hi alloquebantur Angelum, rogantes ut diceret quid hoc, & dixit; quod omnia quæ in universo Cælo sunt, & omnia quæ in universo Mundo, non sint nisi quam Conjugium boni & veri, quoniam omnia & singula, tam quæ vivunt & animant, quam quæ non vivunt & non animant, ex Conjugio boni & veri, & in illud creata sunt; non datur quicquam creatum in solum Verum, nec quicquam in solum Bonum, hoc & illud solitarium non est aliquid, sed existunt & fiunt per conjugium tale aliquid, quale est conjugium: in Domino Creatore est Divinum Bonum & Divinum Verum in ipsa sua Substantia, Substantiæ Ipsius Esse est Divinum Bonum, & Substantiæ Ipsius Existere est Divinum Verum, & quoque est in Ipsa sua Unione, nam in Ipso infinite unum faciunt; quoniam illa duo in Ipso Creatore unum sunt, ideo etiam in omnibus & singulis creatis ab Ipso unum sunt; per id quoque Creator cum omnibus a se creatis æterno fædere sicut Conjugii conjunctus est. Porro dixit Angelus, quod Scriptura Sacra, quæ immediate a Domino processit, sit in communi & in parte Conjugium Boni & Veri: & quia Ecclesia, quæ formatur per Verum Doctrinæ, & Religio, quæ formatur per Bonum vitæ secundum Verum Doctrinæ, apud Christianos est unice ex Scriptura Sacra, constare potest, quod Ecclesia in communi & in parte sit Conjugium boni & veri: (*quod ita sit, videatur in* APOCALYPSI REVELATA, n. 373. 483.) Idem hoc quod supra dictum est de Conjugio Boni & Veri, dictum etiam est de CONJUGIO CHARITATIS ET FIDEI, quoniam Bonum est Charitatis, & Verum est Fidei. Quidam ex prioribus, qui non viderunt Angelum & Scripturam, adhuc adstantes, & audientes illa, dicebant ore semipleno, *imo etiam, capimus illa*; sed tunc Angelus dixit illis, avertite vos paulum a me, & dicite similiter, & averterunt se, & dixerunt ore pleno, *non ita.* Post hæc Angelus loquutus est de CONJUGIO BONI ET VERI apud Conjuges, dicens, quod si Mentes illorum in illo Conjugio forent, Maritus Verum & Uxor hujus Bonum, forent ambo in delitiis beatitudinis innocentiæ, & inde in felicitate, in qua sunt Angeli Cæli; in quo statu prolificum mariti foret in continuo Vere, & inde in nisu & virtute propagandi suum verum, &

& uxor in continua receptione ejus ex amore; ſapientia, quæ apud viros a Domino eſt, nihil jucundius ſentit, quam propagare ſua vera, & amor ſapientiæ qui apud uxores ibi eſt, nihil amænius ſentit, quam illa recipere quaſi utero, & ſic concipere, geſtare & parere; prolificationes ſpirituales apud Angelos Cæli tales ſunt: & ſi credere velitis, ex illa origine ſunt etiam prolificationes naturales. Angelus poſt ſalutationem pacis extulit ſe e terra, & vectus trans nimbum aſcendit in Cælum, & tunc Charta ſecundum gradus aſcenſus fulgebat ſicut prius; & ecce tunc Circulus, qui prius apparuit ſicut aurora, ſe demiſit, & diſpulit Nimbum, qui tenebras induxit terræ, & factum eſt apricum.

DE CONJUGIO DOMINI ET ECCLESIÆ, ET DE EJUS CORRESPONDENTIA.

116. Quod de Conjugio Domini & Eccleſiæ, & de ejus Correſpondentia hic quoque agatur, eſt quia abſque ſcientia ac intelligentia de illo, vix aliquis poteſt noſſe, quod Amor conjugialis ſit in origine ſua ſanctus, ſpiritualis & cæleſtis, & quod ſit a Domino. Dicitur quidem a quibusdam in Eccleſia, quod Conjugia relationem habeant ad Conjugium Domini cum Eccleſia, ſed qualis illa relatio eſt, neſcitur; ut itaque hæc in aliquam lucem intellectus ſiſtatur videnda, neceſſum eſt, ut de Sancto illo Conjugio, quod eſt apud illos & in illis, qui Eccleſia Domini ſunt, ſingulariter agatur; his etiam & non aliis eſt Amor vere conjugialis. Sed propter elucidationem hujus Arcani, diſpeſcenda eſt hæc Transactio in ſequentes Articulos. I: *Quod Dominus in Verbo dicatur Sponſus & Maritus, & Eccleſia Sponſa & Uxor; & quod conjunctio Domini cum Eccleſia, & reciproca Eccleſiæ cum Domino dicatur Conjugium.* II: *Tum quod Dominus dicatur Pater, & Eccleſia Mater.* III: *Quod proles ex Domino ut Marito & Patre, & ex Eccleſia ut Uxore & Matre, ſint omnes ſpirituales, & in Verbi ſenſu ſpirituali intellligantur per filios & filias, fratres & ſorores, generos & nurus, & per alia nomina, quæ ſunt generationis.* IV: *Quod Proles ſpirituales, quæ naſcuntur ex Conjugio Domini cum Eccleſia, ſint Vera, ex quibus intellectus, perceptio & omnis cogitatio, & quod ſint Bona, ex quibus amor, charitas, & omnis affectio.* V: *Quod ex Conjugio boni & veri, quod procedit a Domino & influit, homo recipiat verum, & Dominus huic conjungat bonum; & quod ſic Eccleſia formetur a Domino apud hominem.* VI: *Quod maritus non repræſentet Dominum & uxor Eccleſiam, quia ambo ſimul, maritus & uxor, faciunt Eccleſiam.* VII: *Quod ideo non ſit Correſpondentia mariti cum Domino & Uxoris cum Eccleſia in Conjugiis angelorum in cælis & hominum in terris.* VIII: *Sed quod ſit Correſpondentia cum Amore conjugiali, ſeminatione, prolificatione, amore infantum, & cum ſimilibus quæ in Conjugiis & ex illis ſunt.* IX: *Quod Verbum ſit medium conjunctionis, quia illud eſt a Domino, & ſic Dominus.* X: *Quod Eccleſia ſit a Domino, & apud illos qui adeunt Ipſum, & vivunt ſecundum*

dum præcepta Ipsius. XI: *Quod Amor conjugialis sit secundum statum Ecclesiæ, quia est secundum statum sapientiæ, apud hominem.* XII: *Et quia Ecclesia est a Domino, quod etiam Amor conjugialis sit ab Ipso.* Sequitur nunc horum Explicatio.

117. I. QUOD DOMINUS IN VERBO DICATUR SPONSUS ET MARITUS, ET QUOD ECCLESIA SPONSA ET UXOR, ET QUOD CONJUNCTIO DOMINI CUM ECCLESIA, ET RECIPROCA ECCLESIÆ CUM DOMINO DICATUR CONJUGIUM. Quod Dominus in Verbo dicatur Sponsus & Maritus, & Ecclesia Sponsa & Uxor, constare potest ex his locis: „ *Qui habet* SPONSAM SPONSUS *est, amicus autem* SPONSI *est, qui stat & audit Ipsum, gaudio gaudet ob vocem* SPONSI, Joh: III: 29; hæc Johannes Baptista dixit de Domino. *Jesus dixit, quamdiu cum illis est* SPONSUS, *non possunt* FILII NUPTIARUM *jejunare; venient dies quando ab illis auferetur* SPONSUS, *tunc jejunabunt.*" Matth: IX: 15. Marc. II: 19. 20. Luc: V: 34. 35. Vidi *Urbem Sanctam Hierosolymam Novam paratam sicut* SPONSAM *ornatam* MARITO SUO," Apoc: XXI: 2; quod per Novam Hierosolymam intelligatur Nova Ecclesia Domini, videatur in APOCALYPSI REVELATA, n. 880. 881. *Angelus dixit ad Johannem, veni, & ostendam tibi* SPONSAM AGNI UXOREM, *& ostendit illi Urbem Sanctam Hierosolymam*, Apoc. XXI: 9. 10. *Venit tempus* NUPTIARUM AGNI, *&* UXOR IPSIUS *paravit se: beati qui ad Cœnam* NUPTIARUM AGNI *vocati sunt*, Apoc. XIX: 7. 9. Per SPONSUM, in cujus occursum venerunt quinque virgines paratæ, & cum Ipso intraverunt in NUPTIAS, Matth: XXV: 1 ad 10, intelligitur Dominus, quod patet a Versu 13, ubi dicitur. „ *Vigilate ergo, quia non novistis diem, neque horam, in qua* FILIUS HOMINIS *venturus.* Præter multis in locis apud Prophetas.

118. II: TUM QUOD DOMINUS DICATUR PATER, ET ECCLESIA MATER. Quod Dominus dicatur Pater, constat ex his locis; „ *Puer natus est nobis, Filius datus est nobis, & vocabitur nomen Ipsius Mirabilis, Consiliarius,* DEUS, PATER ÆTERNITATIS, *Princeps pacis,*" Esai: IX: 5. *Tu* JEHOVAH PATER NOSTER, REDEMPTOR *a sæculo nomen tuum*, Esai: LXIII: 16. *Jesus dixit, qui videt* ME, *videt* PATREM, *qui misit* ME, Joh: XII: 45. *Si cognovistis* ME, *etiam* PATREM *meum cognovistis; & abhinc cognovistis Illum & vidistis Illum*, Joh: XIV: 7. *Philippus dixit, monstra nobis* PATREM, *dixit illi Jesus, qui vidit* ME *vidit* PATREM, *quomodo ergo tu dicis, monstra nobis* PATREM, Joh: XIV: 8. 9. *Jesus dixit* PATER ET EGO *unum sumus*, Joh: X: 30. *Omnia quæcunque* PATER *habet*, MEA *sunt*, Joh: XVI: 15. Cap: XVII: 10. PATER IN ME *est, &* EGO IN PATRE, Joh: X: 38. Cap. XIV. 10. 11. 20. Quod Dominus & Ipsius Pater unum sint, sicut Anima & Corpus unum sunt, & quod Deus Pater descenderit e Cælo, & assumserit Humanum ad redimendum & salvandum homines, & quod Humanum Ipsius sit quod vocatur Filius, missus in Mundum, in APOCALYPSI REVELATA plene ostensum est.

119. Quod Ecclesia dicatur Mater, constat ex his locis „ *Jehovah dixit, contendite cum* MATRE VESTRA, *non illa* UXOR *mea, & Ego non* MARITUS *ejus*, Hosch: II: 2. 5. *Filia* MATRIS *tuæ, tu, fastidientis* MARITUM *suum*, „Ezech: XVI: 45. *Ubi est libellus repudii* MATRIS *vestræ, quam dimisistis*, Esai: L: I.

MATER *tua ſicut vitis juxta aquas plantata*, *frugifera*, Ezech: XIX: 10; hæc de Eccleſia Judaica. *Jeſus extendens manum ſuam ad Diſcipulos*, *dixit*, MATER MEA *& Fratres mei ſunt qui audiunt Verbum Dei*, *& faciunt illud*, Luc: VIII: 21. Matth: XII: 48: 49. Marc. III: 33. 34. 35; per diſcipulos Domini intelligitur Eccleſia. *Stabat apud crucem Jeſu*, *Mater Ipſius*, *& Jeſus videns Matrem & Diſcipulum adſtantem quem amabat*, *& dicit Matri ſuæ*, *Mulier ecce filius tuus*, *& dicit Diſcipulo*, *ecce Mater tua*; *quare ab illa hora accepit illam Diſcipulus in propria*, Joh: XIX: 25. 26. 27, per hæc intelligitur, quod Dominus non agnoverit Mariam pro Matre, ſed Eccleſiam, quare illam vocat Mulierem, & Matrem diſcipuli; quod hujus diſcipuli ſeu Johannis Matrem, erat quia ille repræſentabat Eccleſiam quoad Bona charitatis, hæc ſunt Eccleſia in ipſo effectu; ideo dicitur quod ille acceperit illam in propria. Quod Petrus repræſentaverit Veritatem & Fidem, Jacobus Charitatem, & Johannes Opera charitatis, videatur in APOCALYPSI REVELATA, n. 5. 6. 790. 798. 879; & quod duodecim Diſcipuli una repræſentaverint Eccleſiam quoad omnia ejus, n. 233. 790. 903. 915.

120. III. QUOD PROLES EX DOMINO UT MARITO ET PATRE, ET EX ECCLESIA UT UXORE ET MATRE, SINT OMNES SPIRITUALES, ET IN VERBI SENSU SPIRITUALI INTELLIGANTUR PER FILIOS ET FILIAS, FRATRES ET SORORES, GENEROS ET NURUS, ET PER ALIA NOMINA, QUÆ SUNT GENERATIONIS. Quod non aliæ proles naſcantur per Eccleſiam a Domino, non demonſtratione eget, quia ratio abſque illa hoc videt; eſt enim Dominus ex quo omne Bonum & Verum procedit, & Eccleſia quæ illa recipit & in effectum mittit; & omnia ſpiritualia Cæli & Eccleſiæ ſe referunt ad bonum & verum; inde eſt quod per Filios & Filias in Verbo in ſenſu ejus ſpirituali intelligantur vera & bona, per filios vera in Spirituali homine concepta, & in Naturali nata, ac per filias ſimiliter bona; quare illi qui a Domino regenerati ſunt, in Verbo vocantur filii Dei, filii Regni, nati ab Ipſo, & Dominus diſcipulos vocavit filios: per Fœtum maſculum, quem Mulier peperit, & qui raptus eſt ad Deum, Apoc. XII: 5, nec aliud ſignificatur, videatur APOCALYPSIS REVELATA, n. 543. Quoniam per Filias ſignificantur bona Eccleſiæ, ideo toties in Verbo nominatur Filia Zionis, Hieroſolymæ, Iſraelis, & Jehudæ, per quam non aliqua filia, ſed affectio boni, quæ eſt Eccleſiæ, ſignificatur, videatur etiam APOCALYPSIS REVELATA, n. 612. Dominus etiam nominat Fratres & Sorores, illos qui ab Eccleſia Ipſius ſunt, Matth: XII: 49. Cap: XXV: 40. Cap. XXVIII: 10. Marc. III: 35. Luc: VIII: 21.

121. IV. QUOD PROLES SPIRITUALES, QUÆ NASCUNTUR EX CONJUGIO DOMINI CUM ECCLESIA, SINT VERA, EX QUIBUS INTELLECTUS, PERCEPTIO, ET OMNIS COGITATIO, ET QUOD SINT BONA, EX QUIBUS AMOR, CHARITAS, ET OMNIS AFFECTIO. Quod Vera & Bona ſint proles ſpirituales, quæ naſcuntur a Domino per Eccleſiam, eſt quia Dominus eſt Ipſum Bonum & Ipſum Verum, & hæc in Ipſo non ſunt duo ſed unum, tum quia non aliud a Domino poteſt procedere, quam id quod in Ipſo eſt & Ipſe eſt. Quod Conjugium boni & veri procedat a Domino, & influat apud homines, ac recipiatur ſecundum ſtatum

tum mentis & vitæ illorum, qui ab Ecclesia sunt, in præcedente Transactione de Conjugio boni et veri, ostensum est. Quod per Vera homini sit intellectus, perceptio, & omnis cogitatio, & per Bona amor, charitas & omnis affectio, est quia omnia hominis se referunt ad Verum & Bonum; & duo sunt in homine, quæ faciunt illum, Voluntas & Intellectus, ac Voluntas est receptaculum boni, & Intellectus est receptaculum veri: quod Voluntatis propria sint amor, charitas & affectio, & Intellectus propria sint perceptio & cogitatio, non opus habet luce ex demonstratione, quia lux huic effato inest ab ipso intellectu.

122. V. Quod ex Conjugio boni et veri, quod procedit a Domino, et influit, homo recipiat verum, et Dominus huic conjugat bonum; et quod sic Ecclesia formetur a Domino apud hominem. Quod homo ex bono & vero, quæ ut unum procedunt a Domino, recipiat verum, est quia hoc recipit ut suum, ac appropriat sibi ut suum, nam cogitat illud sicut a se, & similiter loquitur ex illo; & hoc fit quia verum est in luce intellectus, & inde videt illud, & quodcunque videt in se, seu in sua mente, non scit unde est, non enim videt influxum, sicut illa quæ in visum oculi incidunt, inde opinatur quod sit in se. Quod ita appareat, datum est homini a Domino, ut sit homo, utque sit ei reciprocum conjunctionis: accedit, quod homo natus sit Facultas sciendi, intelligendi, & sapiendi, & hæc Facultas recipit vera, per quæ ei scientia, intelligentia, & sapientia: & quia fœmina creata est per Verum masculi, & formatur in amorem ejus plus & plus post conjugium, sequitur quod hæc etiam recipiat verum mariti in se, & conjungat illud cum suo bono.

123. Quod Dominus veris, quæ homo recipit, adjungat & conjungat bonum, est quia homo non potest sumere bonum sicut a se, est enim coram illo inconspicuum, causa est, quia non est lucis, sed caloris, & calor sentitur, & non videtur; quare cum homo videt verum in cogitatione, raro reflectit super bono, quod in illud ex amore voluntatis influit, & dat ei vitam. Uxor nec reflectit super bonum apud se, sed super inclinationem Mariti erga se, quæ est secundum ascensum intellectus ejus ad sapientiam; bonum, quod est apud illam a Domino, applicat, præter quod maritus de applicatione illa aliquid sciat. Ex his nunc constat veritas, quod homo ex Domino recipiat verum, & quod Dominus adjungat vero isti bonum, secundum applicationem veri ad usum, ita sicut homo vult sapienter cogitare, & inde sapienter vivere.

124. Quod sic Ecclesia apud hominem a Domino formetur, est quia tunc est in conjunctione cum Domino, in Bono ab Ipso, & in Vero sicut a se, ita homo est in Domino & Dominus in illo, secundum Ipsius verba apud Johannem Cap: XV: 4. 5. Simile est si pro Bono dicatur Charitas, & pro Vero Fides, quia Bonum est Charitatis, & Verum est Fidei.

125. VI. Quod Maritus non repræsentet Dominum, et Uxor Ecclesiam, quia ambo simul, Maritus et ejus Uxor, faciunt Ecclesiam. Communis sermo est intra Ecclesiam, quod sicut Dominus est Caput Ecclesiæ, ita Maritus est Uxoris; ex quo sequeretur, quod Maritus repræsentet Dominum,

 &

& Uxor Ecclesiam; sed Dominus est Caput Ecclesiæ, & Homo, vir & fæmina, sunt Ecclesia, & plus adhuc Maritus & Uxor simul; apud hos Ecclesia primum implantatur viro, & per virum uxori, quia vir intellectu recipit verum ejus, & uxor a viro; sed si vicissim, non est secundum ordinem: quandoque tamen hoc fit, sed apud viros, qui vel non amantes sapientiæ, & inde nec Ecclesiæ sunt, ut & apud illos qui ut mancipia pendent a nutibus suarum uxorum. De hac re videatur aliquid in PRÆLIMINARIBUS, n. 21.

126. VII: QUOD IDEO NON SIT CORRESPONDENTIA MARITI CUM DOMINO ET UXORIS CUM ECCLESIA IN CONJUGIIS ANGELORUM IN CÆLIS ET HOMINUM IN TERRIS. Hæc sequuntur ex nunc dictis: his tamen addendum est, quod appareat sicut Verum sit primarium Ecclesiæ, quia est ejus primum tempore; ex hac apparentia est quod Antistites Ecclesiæ dederint palmam fidei quæ est veri, præ charitate quæ est boni; similiter Eruditi cogitationi quæ est intellectus, præ affectione quæ est voluntatis; quapropter sicut in tumulo jacet absconditum, quid bonum charitatis, & quid affectio voluntatis sunt, & quoque his a quibusdam injecta est humus sicut mortuis, ne resurgant; quod tamen bonum charitatis sit primarium Ecclesiæ, apertis oculis videri potest ab illis, qui non occluserunt viam e Cælo in intellectum suum per confirmationes pro fide quod sola faciat Ecclesiam, & pro cogitatione quod sola faciat hominem. Nunc quia Bonum charitatis est a Domino, & Verum fidei est apud hominem sicut ab illo, & hæc duo faciunt talem conjunctionem Domini cum homine, & hominis cum Domino, qualis intelligitur per Domini verba, quod Ipse sit in illis, & illi in Ipso, Joh. XV: 4. 5, patet, quod hæc conjunctio sit Ecclesia.

127. VIII. SED QUOD SIT CORRESPONDENTIA CUM AMORE CONJUGIALI, SEMINATIONE, PROLIFICATIONE, AMORE INFANTUM, ET CUM SIMILIBUS QUÆ IN CONJUGIIS, ET EX ILLIS SUNT. Sed hæc arcaniora sunt, quam ut possint intellectum cum aliqua luce intrare, nisi præcesserit cognitio de Correspondentia; quæ nisi detecta inest intellectui, frustra illa, quæ hujus Articuli sunt, utcunque explicata, comprehenduntur: quid autem est Correspondentia, & quod sit Naturalium cum Spiritualibus, multis ostensum est in APOCALYPSI REVELATA; & quoque in ARCANIS CÆLESTIBUS; & in specie in DOCTRINA NOVÆ HIEROSOLYMÆ DE SCRIPTURA SACRA; & singulariter in MEMORABILI de illa in sequentibus: antequam cognitio de illa hausta est, solum coram intellectu in umbra, hæc pauca dicentur; quod Amor conjugialis correspondeat Affectioni genuini veri, ejus castitati, puritati & sanctitati: Quod Seminatio correspondeat potentiæ veri: Quod Prolificatio correspondeat propagationi veri; & quod Amor infantum correspondeat tutationi veri & boni. Nunc quia Verum apud hominem apparet sicut ejus, ac Bonum illi adjungitur a Domino, patet quod Correspondentiæ illæ sint Naturalis seu Externi hominis cum Spirituali seu Interno homine: sed hæc in MEMORABILIBUS, quæ sequuntur, aliquam lucem fænerabuntur.

128. IX. QUOD VERBUM SIT MEDIUM CONJUNCTIONIS, QUIA ILLUD EST A DOMINO, ET SIC DOMINUS. Quod Verbum sit Medium conjunctionis Domini

cum

cum homine, & hominis cum Domino, est quia illud in sua essentia est Divinum Verum unitum Divino Bono, ac Divinum Bonum unitum Divino Vero; quod hæc unitio sit in omnibus & singulis Verbi in Sensu cælesti & spirituali ejus, videatur APOCALYPSIS REVELATA, n. 373. 483. 689. 881; ex quo sequitur, quod Verbum sit perfectum Conjugium boni & veri; & quia illud est a Domino, & quod est ab Ipso, etiam est Ipse, consequitur, quod dum homo legit Verbum, & desumit ex illo vera, Dominus adjungat bonum; homo enim non videt bona afficientia, quia ex intellectu legit illud, ac intellectus non haurit inde nisi sua, quæ sunt vera; quod his adjungatur bonum a Domino, sentit intellectus ex jucundo, quod influit, dum illustratur; sed hoc non fit aliis interius, quam qui legunt illud fine sapiendi, & finis sapiendi est illis, qui addiscere volunt genuina vera ibi, & per hæc formare Ecclesiam apud se: illi autem qui id legunt solum propter gloriam eruditionis; tum qui ex opinione quod solum lectio, vel auditus ejus, inspirent fidem, & conducant saluti, non recipiunt aliquod bonum a Domino, quia his est finis se salvandi ex solis vocibus ibi, quibus non aliquid ex vero inest; & illis est finis eminendi ex eruditione, cum quo non conjungitur aliquod bonum spirituale, sed jucundum naturale, quod est ex gloria Mundi. Quoniam Verbum est Medium conjunctionis, ideo vocatur illud Fædus, Vetus & Novum, & Fædus significat conjunctionem.

129. X: QUOD ECCLESIA SIT A DOMINO, ET APUD ILLOS QUI ADEUNT IPSUM, ET VIVUNT SECUNDUM PRÆCEPTA IPSIUS. Hodie non negatur, quin Ecclesia sit Domini, & quia est Domini, quod sit a Domino: quod sit apud illos, qui adeunt Ipsum, est quia Ecclesia Ipsius in Christiano Orbe, est ex Verbo, ac Verbum est ab Ipso, ac ita ab Ipso ut sit Ipse, est ibi Divinum Verum unitum Divino Bono, & hoc etiam est Dominus; non aliud intelligitur per Verbum, *quod fuit apud Deum, & quod fuit Deus, ex quo est Vita & Lux hominibus, & quod Caro factum est*, Joh: I: 1. ad 14: & porro, quod sit apud illos, qui adeunt Ipsum, est quia est apud illos qui credunt in Ipsum, & credere quod sit Deus Salvator & Redemptor, Jehovah Justitia, Ostium per quod ingrediendum est in Ovile, hoc est, in Ecclesiam, Via, Veritas & Vita, quod nemo veniat ad Patrem nisi per Ipsum, quod Pater & Ipse unum sint, præter plura, quæ Ipse docet; hæc, inquam credere, nemo potest nisi ab Ipso; quod non possit nisi adeatur, est quia est Deus Cæli & Terræ, ut quoque docet; quis alius adeundus est, & quis alius potest adiri. Quod sit apud illos, qui vivunt secundum præcepta Ipsius, est quia cum aliis non est conjunctio, dicit enim, *qui habet præcepta mea, & facit illa, ille est qui amat Me, & Ego amabo, illum, & mansionem apud illum faciam; qui vero non amat Me, præcepta mea non servat*, Joh: XIV: 21. ad 24; amor est conjunctio, & conjunctio cum Domino est Ecclesia.

130. XI. QUOD AMOR CONJUGIALIS SIT SECUNDUM STATUM ECCLESIÆ, QUIA EST SECUNDUM STATUM SAPIENTIÆ, APUD HOMINEM. Quod Amor conjugialis sit secundum statum sapientiæ apud hominem, sæpius antea dictum est, & sæpius postea dicetur; hic itaque illustrabitur, quid Sapientia, & quod

unum faciat cum Ecclesia: „ Apud hominem sunt Scientia, Intelligentia, &
„ Sapientia; Scientia est cognitionum, Intelligentia est rationis, & Sapientia
„ est vitæ; Sapientia in suo pleno spectata, est simul cognitionum, rationis,
„ & vitæ; Cognitiones præcedunt, Ratio per illas formatur, & Sapientia per
„ utrasque, & tunc quando rationaliter vivitur secundum veritates quæ sunt
„ cognitiones: est itaque Sapientia & rationis & vitæ simul, & fit Sapientia
„ dum est rationis & inde vitæ, at est Sapientia dum facta est vitæ & inde
„ rationis. Antiquissimi in hoc Mundo, non agnoverunt aliam sapientiam
„ quam sapientiam vitæ, hæc fuit sapientia illorum, qui olim vocati sunt So-
„ PHI; at Antiqui post antiquissimos illos agnoverunt sapientiam rationis pro
„ sapientia, & hi vocati sunt PHILOSOPHI: hodie autem multi etiam Scien-
„ tiam vocant sapientiam; docti enim, eruditi, & modo scii, vocantur sa-
„ pientes; ita Sapientia a suo culmine ad vallem suam delapsa est. Sed quid
„ Sapientia in suo ortu, progressu, & inde in suo statu pleno, etiam aliquid
„ dicetur; illa quæ Ecclesiæ sunt, & vocantur Spiritualia, in intimis resident
„ apud hominem; illa quæ Reipublicæ sunt, & vocantur Civilia, infra illa tenent
„ locum; & illa quæ scientiæ, experientiæ, & artis sunt, & vocantur Naturalia,
„ faciunt subsellium illorum: quod illa quæ Ecclesiæ sunt, & vocantur Spiritualia,
„ in intimis resideant apud hominem, est causa quia conjungunt se cum Cælo,
„ & per Cælum cum Domino, non enim alia a Domino per Cælum intrant
„ apud hominem; quod illa, quæ Reipublicæ sunt, & vocantur Civilia, in-
„ fra spiritualia teneant locum, est causa quia conjungunt se cum Mundo, sunt
„ enim Mundi, nam sunt statuta, leges & normæ, quæ vinciunt homines, ut
„ ex illis fiat stata & farta Societas & Civitas; quod illa, quæ sunt scientiæ,
„ experientiæ & artis, & vocantur Naturalia, faciant subsellium, causa est
„ quia arcte se conjungunt cum quinque sensibus corporis, & hi sunt ultima,
„ super quibus interiora quæ sunt mentis, ac intima quæ sunt animæ, quasi se-
„ dent. Nunc quia illa quæ Ecclesiæ sunt, & vocantur Spiritualia, in inti-
„ mis resident, & quæ in intimis resident, faciunt caput, & sequentia sub illis,
„ quæ vocantur Civilia, faciunt corpus, ac ultima, quæ vocantur Naturalia,
„ faciunt pedes, constat, quod dum tria illa in suo ordine consequuntur, ho-
„ mo sit perfectus homo; nam influunt tunc similiter, sicut illa quæ Capitis
„ sunt, influunt in Corpus, & per corpus in Pedes; ita Spiritualia in Civilia,
„ & per civilia in Naturalia; nunc quia Spiritualia in luce Cæli sunt,
„ patet quod Luce sua illustrent sequentia in ordine, & Calore suo, qui est a-
„ mor, animent illa, & quod cum hoc fit, homini sit sapientia. Quoniam
„ Sapientia est vitæ & inde rationis, ut supra dictum est, quæritur quid sa-
„ pientia vitæ est; est hæc in summaria comprehensione, fugere mala, quia
„ sunt damna Animæ, & damna Reipublicæ, & damna Corporis; & facere
„ bona, quia hæc sunt emolumenta Animæ, Reipublicæ, & Corporis. Hæc
„ Sapientia est, quæ intelligitur per sapientiam, cum qua Amor conjugialis se
„ ligat; ligat enim se per id, quod fugiat malum adulterii ut pestem animæ,
„ reipublicæ, corporis; & quia illa Sapientia scaturit ex spiritualibus, quæ Eccle-
„ siæ sunt, sequitur quod Amor conjugialis sit secundum statum Ecclesiæ, quia

„ est

„ est secundum statum sapientiæ, apud hominem: per hæc etiam intelligitur „ id, quod in antecedentibus crebro dictum est, quod quantum homo fit spi„ ritualis, tantum in Amore vere conjugiali sit; homo enim fit spiritualis per „ spiritualia Ecclesiæ. Plura de Sapientia, cum qua se conjungit amor con„ jugialis, videantur infra n. 163. 164. 165.

131. XII: Et quia Ecclesia est a Domino, quod etiam Amor conjugialis sit ab Ipso. Hoc quia est consequens ex supradictis, supersedeo confirmare pluribus. Præterea, quod Amor vere conjugialis sit a Domino, testantur omnes Angeli Cæli; & quoque quod ille Amor sit secundum statum sapientiæ, & status sapientiæ secundum statum Ecclesiæ apud illos: quod Angeli Cæli testentur illa, patet ex Memorabilibus post Capita, quæ sunt visa & audita in Mundo spirituali.

✿ ✿ ✿ ✿ ✿ ✿ ✿

132. His adjiciam duo Memorabilia; Primum hoc. Quondam cum duobus Angelis loquutus sum, unus erat e Cælo Orientali, alter e Cælo Meridionali; qui cum perceperunt quod arcana sapientiæ de Amore Conjugiali meditarer, dicebant, nostine aliquid de Ludis Sapientiæ in nostro Mundo, respondi, quod nondum; & dixerunt, sunt plures, & quod illi, qui amant vera ex affectione spirituali, seu vera quia vera sunt, & quia per illa est sapientia, ad datum signum conveniant, ac ventilent & concludant illa quæ profundioris intellectus sunt: illi tunc prehenderunt me manu, inquientes, sequere nos & videbis & audies; datum est hodie signum conventus: ducebar per planitiem ad Collem; & ecce ad pedem Collis Porticus ex palmis, continuatus usque ad ejus caput, intravimus illum, & ascendimus; & in capite seu vertice Collis visus est Lucus, cujus arbores super elevatione humi formabant sicut Theatrum, intra quod erat planum lapillis varie coloratis stratum; circum illud in forma quadrata posita erant Solia, super quibus sedebant amatores sapientiæ; & in medio Theatri erat Mensa, super qua reposita fuit Charta sigillo obsignata: sedentes super soliis invitabant nos ad solia adhuc vacua, & respondi, hic ductus sum a duobus Angelis, ut videam & auscultem, & non ut sedeam: & tunc bini illi Angeli in Medium plani ad Mensam ibant, & sigillum Chartæ solvebant, & coram sedentibus legebant arcana sapientiæ Chartæ inscripta, quæ nunc ventilarent & evolverent; scripta fuerunt ab Angelis Tertii Cæli, & super mensam demissa; erant tria Arcana, Primum, Quid Imago Dei, & quid Similitudo Dei, in quas homo creatus est: Secundum, Cur homo non nascitur in scientiam ullius amoris, cum tamen Bestiæ & Aves tam nobiles quam ignobiles, nascuntur in scientias omnium suorum amorum. Tertium, Quid significat Arbor vitæ, & quid Arbor scientiæ boni & mali, & quid Esus ex illis: his subscriptum erat, conjungite illa tria in unam sententiam, & scribite hanc super Charta nova, & illam reponite super hac mensa, & videbimus; si sententia super lance æquilibris & justa apparet, dabitur cuique vestrum præmium sapientiæ. His lectis recesserunt bini Angeli, ac sublati sunt in suos Cælos. Et tunc Sedentes super soliis incipiebant ventilare & evolvere Arcana illis

Vera Rel. n. 48

pro-

proposita, & loquuti sunt in ordine, primum qui sedebant ad Septentrionem, dein illi qui ad Occidentem, postea qui ad Meridiem, & ultimo qui ad Orientem; & assumserunt Primum subjectum ventilationis, quod erat, QUID IMAGO DEI, ET QUID SIMILITUDO DEI, IN QUAS HOMO CREATUS EST: tunc primum ex Libro Creationis coram omnibus prælecta sunt hæc „ *Dixit Deus faciamus hominem in* IMAGINEM NOSTRAM *secundum* SIMILITUDINEM NOSTRAM; *& creavit Deus hominem in* IMAGINEM SUAM, *in* IMAGINEM DEI *creavit illum*, Genes. I: 26. 27. *Quo die Deus creavit hominem, in* SIMILITUDINEM DEI *fecit eum*" Genes. V: 1. Illi qui sedebant ad Septentrionem primum loquuti sunt, dicentes quod Imago Dei & Similitudo Dei sint binæ Vitæ homini a Deo inspiratæ, quæ sunt Vita voluntatis & Vita intellectus, nam legitur, *Jehovah Deus inspiravit in nares Adami Animam* VITARUM; *& factus est homo in Animam viventem* Gen. II: 7; in nares est in perceptionem, quod voluntas boni ac intellectus veri, & sic Anima vitarum illi inesset; & quia vita a Deo illi inspirata est, Imago & Similitudo Dei significant Integritatem ex Sapientia & Amore, exque Justitia & Judicio in illo. His illi qui sedebant ad Occidentem faverunt, adjiciendo tamen hoc, quod Status ille integritatis inspiratus a Deo, cuivis homini post illum continue inspiretur; sed quod in homine sit sicut in receptaculo, ac homo, sicut est receptaculum, est Imago & Similitudo Dei. Postea Tertii in ordine, qui erant qui sedebant ad Meridiem, dixerunt, Imago Dei & Similitudo Dei sunt duo distincta, sed in homine a creatione unita; & videmus sicut ex luce interiore, quod Imago Dei possit disperdi ab homine, non autem Similitudo Dei; hoc apparet sicut per transennam ex eo, quod Adamus retinuerit Similitudinem Dei, postquam amiserat Imaginem Dei, nam legitur post maledictionem „ *Ecce homo est sicut unus ex nobis, sciendo bonum & malum*, Genes. III: 22; & postea vocatur Similitudo Dei, & non Imago Dei, Gen. V: 1. Sed relinquamus consociis nostris, qui ad Orientem sedent, & inde in superiore luce sunt, dicere, quid proprie Imago Dei est, & quid proprie Similitudo Dei: & tunc post silentium factum, sedentes ad Orientem e soliis surrexerunt, & suspexerunt ad Dominum, & post remiserunt se super solia, & dixerunt; quod Imago Dei sit Receptaculum Dei, & quia Deus est Ipse Amor & Ipsa Sapientia, quod Imago Dei sit Receptaculum amoris & sapientiæ a Deo in illo; at quod Similitudo Dei sit perfecta similitudo & plena apparentia sicut amor & sapientia sint in homine, & inde prorsus sicut ejus; homo enim non sentit aliter, quam quod amet a se, & sapiat a se, seu quod bonum velit & verum intelligat a se, cum tamen ne hilum a se, sed a Deo; Solus Deus amat a se, & sapit a se, quia Deus est Ipse Amor & Ipsa Sapientia; similitudo seu apparentia, quod amor & sapientia, seu bonum & verum, sint in homine sicut ejus, facit ut homo sit homo, utque possit conjungi Deo, & sic vivere in æternum; ex quo fluit, quod homo sit homo ex eo, quod possit velle bonum, ac intelligere verum prorsus sicut a se, & usque scire & credere quod a Deo; nam sicut hoc scit & credit, ponit Deus imaginem suam in homine; aliter si crederet quod a se & non a Deo. His dictis, supervenit illos Zelus ex amore veritatis, ex quo loquuti sunt hæc; Quomodo potest homo recipere aliquid amoris & sapien-

tiæ,

tiæ, ac retinere illud, ac reproducere illud, nisi sentiat illud sicut suum; & quomodo potest conjunctio dari cum Deo per amorem & sapientiam, nisi datum sit homini aliquod reciprocum conjunctionis, nam absque reciproco nulla conjunctio dabilis est; & reciprocum conjunctionis est, quod homo amet Deum, & sapiat illa quæ Dei sunt sicut a se, & tamen credat quod a Deo: tum quomodo potest homo vivere in æternum, nisi conjunctus sit Deo æterno; consequenter quomodo homo potest esse homo absque illa similitudine Dei in illo. His auditis faverunt omnes, & dixerunt, fiat Conclusum ex his, hoc, „Homo est receptaculum Dei, & Receptaculum Dei est Imago Dei; & quia Deus est Ipse Amor & Ipsa Sapientia, est homo receptaculum illorum; ac Receptaculum fit Imago Dei sicut recipit: & quod homo sit Similitudo Dei ex eo, quod sentiat in se, quod illa quæ a Deo sunt, sint in illo sicut ejus, at usque quod tantum ex Similitudine illa fit Imago Dei, quantum agnoscit quod amor & sapientia, seu bonum & verum, non sint in illo ejus, & inde nec ab illo, sed solum in Deo, & inde a Deo."

133. Post hæc Alterum objectum ventilationis assumserunt „ CUR HOMO NON NASCITUR IN SCIENTIAM ULLIUS AMORIS, CUM TAMEN BESTIÆ ET AVES, TAM NOBILES QUAM IGNOBILES, NASCUNTUR IN SCIENTIAS OMNIUM SUORUM AMORUM". Primum veritatem propositionis confirmabant per varia; ut de homine, quod nascatur in nullam scientiam, ne quidem in scientiam amoris conjugialis; & inquisiverunt, & a rimatoribus audiverunt, quod infans ne quidem ex connata scientia queat ad uber matris semet admovere, sed quod a matre seu nutrice admovendus sit; & quod modo sciat sugere, & quod hoc hauserit ex continua suctione in utero; & quod postea non sciat gradiri; nec articulare sonum in aliquam vocem humanam; imo nec sonare affectionem sui amoris, sicut bestiæ: & porro, quod non sciat aliquam alimoniam sibi conducibilem, sicut omnes bestiæ, sed quod arripiat obvium, sive sit mundum sive immundum, & inferat in buccam: rimatores dixerunt, quod homo absque instructione, ne quidem sciat discernere sexum, & prorsus nihil de modis amandi illum; & quod hos ne quidem virgines & juvenes absque eruditione ab aliis, tametsi in varias scientias educati sunt: verbo homo nascitur corporeus sicut vermis; & manet corporeus, nisi discat scire, intelligere & sapere ex aliis. Post hæc confirmabant, quod Bestiæ tam nobiles quam ignobiles, ut animalia terræ, volucres cæli, reptilia, pisces, vermiculi qui vocantur insecta, nascantur in omnes scientias amorum vitæ suæ, ut in omnia quæ nutritionis sunt, in omnia quæ habitationis sunt, in omnia quæ amoris sexus, & prolificationis sunt, inque omnia quæ educationis fætuum suorum sunt: hæc confirmabant per mirabilia, quæ revocabant in memoriam ex visis, auditis, & lectis in Mundo naturali, ita vocabant Mundum nostrum, in quo prius vixerant, in quo non repræsentativæ sed reales bestiæ dantur. Postquam veritas propositionis ita comprobata est, intendebant mentem ad indagandum & inveniendum fines & causas, per quas hoc Arcanum evolverent & detegerent; & dixerunt omnes, quod illa non possint non ex Divina Sapientia existere, ut homo sit homo, & bestia sit bestia;

& sic quod imperfectio nativitatis hominis fiat ejus perfectio, & perfectio nativitatis bestiæ sit ejus imperfectio.

134. Cæperunt tunc SEPTENTRIONALES primum aperire suam mentem, & dixerunt, quod homo nascatur absque scientiis, ut recipere possit omnes; at si nasceretur in scientias, non posset recipere ullas, præter illas in quas natus est, & tunc nec posset sibi appropriare ullam; quod illustrabant per hanc comparationem; homo primum natus est sicut humus, cui nulla semina implantata sunt, sed quæ usque potest recipere omnia, ac proferre & fructificare illa; at bestia est sicut humus jamdum sata, ac impleta graminibus & herbis, quæ non recipit alia semina quam insita, si alia, suffocaret illa; inde est, quod homo adolescat per plures annos, intra quos potest sicut humus excoli, & proferre sicut omnis generis segetes, flores & arbores; bestia autem per paucos, per quos non potest in alia quam in connata excoli. Postea OCCIDENTALES loquuti sunt, & dixerunt; quod homo non nascatur Scientia, sicut bestia, sed quod nascatur Facultas & Inclinatio, facultas ad sciendum, & inclinatio ad amandum, & quod nascatur facultas non modo ad sciendum, sed etiam ad intelligendum & sapiendum; & quoque quod nascatur Inclinatio perfectissima, non modo ad amandum illa quæ sui & mundi sunt, sed etiam illa quæ Dei & Cæli sunt; consequenter quod homo a parentibus nascatur Organum, quod modo vivit sensibus externis, & primum nullis internis, propter causam ut successive fiat homo, primum naturalis, postea rationalis, & demum spiritualis; quod non fieret, si nasceretur in scientias & amores sicut bestiæ; scientiæ enim & affectiones connatæ finiunt illam progressionem, at facultas & inclinatio connatæ nihil finiunt; quare homo potest perfici scientia, intelligentia, & sapientia in æternum. MERIDIONALES exceperunt, & ediderunt suum effatum, dicentes, quod impossibile sit homini sumere aliquam scientiam a se, sed sumet illam ab aliis, quoniam nulla scientia ei connata est; & quia non potest ullam scientiam sumere a se, nec potest ullum amorem, quoniam ubi non scientia, ibi non amor, sunt scientia & amor individui comites, nec possunt separari plus quam voluntas & intellectus, aut affectio & cogitatio, imo non plus quam essentia & forma; quare sicut homo sumit scientiam ab aliis, ita se ei adjungit amor ut ejus comes: universalis amor, qui se adjungit, est amor sciendi, intelligendi & sapiendi; hic amor est soli homini & nulli bestiæ, ac influit a Deo. Nos convenimus cum sodalibus nostris ab Occidente, quod homo non nascatur in ullum amorem, & inde nec in ullam scientiam, sed quod solum nascatur in inclinationem ad amandum, & inde in facultatem ad recipiendum scientias, non a se sed ab aliis, hoc est, per alios; per alios dicitur, quia nec hi receperunt aliquid scientiæ a se, sed a Deo. Convenimus etiam cum sodalibus nostris ad Septentrionem, quod homo primum natus sit sicut humus, cui non aliqua semina implantata sunt, sed cui omnia tam nobilia quam ignobilia implantari possunt. His adjicimus, quod bestiæ nascantur in naturales amores, & inde in scientias illis correspondentes, & quod usque non aliquid ex scientiis sciant, cogitent, intelligant, & sapiant, sed quod per illas

ab

ab amoribus suis ferantur, pæne sicut cæci per plateas a canibus, quoad intellectum enim cæcæ sunt; aut potius sicut noctambulones, qui ex cæca scientia, sopito intellectu, faciunt quæ faciunt. Ultimo loquuti sunt ORIENTALES, & dixerunt, consentimus ad illa, quæ fratres nostri loquuti sunt, quod homo nihil sciat ex se, sed ex aliis & per alios, ut cognoscat & agnoscat, quod omnia quæ scit, intelligit, & sapit, sint a Deo; & quod homo non aliter possit concipi, nasci & generari a Domino, ac fieri Ipsius imago & similitudo; nam imago Domini fit, per quod agnoscat & credat, quod omne bonum amoris & charitatis, & omne verum sapientiæ & fidei, acceperit & accipiat ex Domino, & ne hilum ex se; & similitudo Domini fit, per quod sentiat illa in se, sicut a se; hoc sentit, quia non nascitur in scientias, sed accipit illas, & quod accipiat, apparet illi sicut a se; ita sentire etiam datur homini a Domino, ut sit homo & non bestia, quoniam per id quod velit, cogitet, amet, sciat, intelligat, & sapiat sicut ex se, recipit scientias, & exaltat illas in intelligentiam, & per illarum usus in sapientiam, ita Dominus conjungit hominem sibi, & homo se Domino: hæc non fieri potuissent, nisi a Domino provisum fuerit, ut homo in totali ignorantia nasceretur. Post hoc effatum, voluerunt omnes, ut ex ventilatis fieret conclusum, & factum est hoc; „ Quod homo nascatur in „ nullam scientiam, ut possit venire in omnem, & progredi in intelligentiam, „ & per hanc in sapientiam; & quod nascatur in nullum amorem, ut possit venire in omnem, per applicationes scientiarum ex intelligentia, & in amorem in Dominum per amorem erga proximum, & sic conjungi Domino, & „ per illud fieri homo, & vivere in æternum ".

135. Post hæc sumserunt chartam, & tertium objectum ventilationis legerunt, quod erat, QUID SIGNIFICAT ARBOR VITÆ, QUID ARBOR SCIENTIÆ BONI ET MALI, ET QUID ESUS EX ILLIS; & rogaverunt omnes, ut illi qui ex Oriente erant, evolverent hoc arcanum, quia profundioris intellectus est, & quia illi qui ex Oriente sunt, in flammea luce, hoc est, in amoris sapientia sunt; & hæc sapientia intelligitur per Hortum in Edene, in quo illæ duæ Arbores positæ fuerunt; & responderunt, dicemus, sed quia homo non sumit quicquam ex se, sed ex Domino, dicemus ex Ipso, at usque a nobis sicut a nobis; & tunc dixerunt: Arbor significat hominem, & fructus ejus bonum vitæ; inde per Arborem vitæ significatur homo vivens ex Deo, seu Deus vivens in homine; & quia amor & sapientia, ac charitas & fides, seu bonum & verum, faciunt vitam Dei in homine, per Arborem vitæ significantur hæc, & inde homini vita æterna: simile significatur per Arborem vitæ, e qua dabitur edere, Apoc. II: 7. Cap. XXII: 2. 14. Per Arborem scientiæ boni & mali, significatur homo credens quod vivat ex se, & non ex Deo; ita quod amor & sapientia, charitas & fides, hoc est, bonum & verum, sint in homine ejus & non Dei, hoc credens quia cogitat & vult, ac loquitur & facit, in omni similitudine & apparentia sicut ex se: & quia homo ex hac fide sibi persuadet, quod Deus indiderit se, seu infuderit suum Divinum in illum, ideo dixit serpens „ *Novit Deus, quo die comederitis de fructu illius Arboris, aperientur oculi vestri, & eritis sicut Deus, scientes bonum & malum*, Gen. III: 5. Per Esum ex illis Arboribus

significatur receptio & appropriatio, per esum ex Arbore vitæ receptio vitæ æternæ, & per esum ex arbore scientiæ boni & mali receptio damnationis; ideo etiam uterque, Adamus & ejus Uxor una cum serpente maledicti sunt; per serpentem intelligitur diabolus quoad amorem sui & fastum propriæ intelligentiæ, & hic amor est possessor illius arboris, & homines qui in fastu ex illo amore sunt, illæ arbores sunt. Sunt itaque illi in enormi errore, qui credunt Adamum sapuisse & bonum fecisse ex se, & hoc fuisse statum ejus integritatis; cum tamen ipse Adamus propter illam fidem maledictus est; hoc enim significatur per edere ex arbore scientiæ boni & mali; quare tunc excidit ex statu integritatis, qui illi fuit ex eo, quod crederet se sapere & bonum facere ex Deo, & nihil ex se, hoc enim intelligitur per edere ex arbore vitæ. Solus Dominus, cum fuit in Mundo, sapuit ex se, & bonum fecit ex se, quia Ipsum Divinum a nativitate fuit in Ipso & Ipsius, quare etiam ex propria potentia factus est Redemptor & Salvator: ex his & illis conclusum fecerunt hoc „ Quod per Arborem vitæ, & per Arborem scientiæ boni & mali, & per Esum ex illis, significetur quod vita homini sit Deus in illo, & quod tunc ei Cælum & Vita æterna; at quod mors homini sit persuasio & fides, quod vita homini non sit Deus sed ipse, unde ei Infernum & Mors æterna, quæ est damnatio.

136. Post hæc inspexerunt Chartam ab Angelis super mensa relictam, & viderunt subscriptum, Conjungite illa tria in unam sententiam; & tunc collegerunt illa, & viderunt, quod tria illa in una serie cohærerent, & quod series seu sententia illa sit hæc „ Quod homo creatus sit, ut recipiat amorem „ & sapientiam a Deo, & tamen in omni similitudine sicut a se, & hoc prop„ ter receptionem & conjunctionem; & quod ideo homo non nascatur in ali„ quem amorem, nec in aliquam scientiam, & quoque non in aliquam poten„ tiam amandi & sapiendi ex se; quare si addicit omne bonum amoris & ve„ rum sapientiæ Deo, fit homo vivus, at si addicit illa sibi, fit homo mor„ tuus ". Hæc inscripserunt Novæ Chartæ, & hanc posuerunt super Mensa: & ecce subito Angeli in candida luce aderant, & chartam in Cælum deportabant, & postquam ibi lecta est, sedentes super foliis audiverunt inde voces, bene, bene, bene: & actutum apparuit unus inde sicut volans, cui duæ alæ erant circa pedes & duæ circa tempora, habens in manu præmia; quæ erant, Togæ, Pilei, & Laureæ; ac demisit se, & illis qui sederunt ad Septentrionem dedit Togas coloris opalini; illis qui ad Occidentem Togas coloris coccinei; illis qui ad Meridiem Pileos, quorum limbos ornabant fasciæ ex auro & margaritis, & sinistri lateris elevationes adamantes secti floriformes; illis autem qui ad Orientem dedit Laureas, in quibus rubini & sapphiri. Omnes his præmiis decorati e Ludo sapientiæ abiverunt domum, & cum ostentarent se uxoribus suis, venerunt illæ in occursum illorum, etiam decoribus e Cælo donatis insignitæ, quod mirati sunt.

137. Alterum Memorabile. Cum eram in meditatione de Amore conjugiali, ecce e longinquo apparuerunt duo Infantes nudi cum canistris in manibus, & circum illos volantes turtures; & dum propius visi sunt, sicut erant nudi, sertis decenter ornati; corollæ ex floribus decorabant capita illorum, &

fasciæ

fasciæ ex liliis & rosis hyacinthini coloris a scapulis ad lumbos oblique pendentes ornabant pectora illorum; & circum circa binos illos erat sicut vinculum commune ex foliolis cum interjectis olivis contextum. At cum propius accedebant, non apparebant sicut infantes, nec nudi, sed sicut bini homines in primo flore ætatis, amicti togis & tunicis ex fulgente serico, quibus intexti erant flores aspectu pulcherrimi; & cum juxta me erant, ex Cælo per illos afflabat calor vernalis cum suaviolente odore, sicut ex primitivis in hortis & agris: erant duo Conjuges e Cælo; & tunc alloquobantur me; & quia in cogitatione erant recentia quæ videram, quærebant, quid vidisti; & cum narrabam, quod illi mihi primum visi sint sicut infantes nudi, postea sicut infantes decorati sertis, & demum proceriores amicti florificatis vestibus; & quod tunc illico me afflaverit vernum cum ejus delitiis; ad quæ ridebant amæne, & dixerunt, quod ipsi in via non visi sint sibi ut infantes, nec nudi, nec cum sertis, sed jugiter in simili apparentia ut nunc; & quod ita e longinquo repræsentatus sit amor conjugialis eorum, ejus status innocentiæ per quod visi sint sicut infantes nudi, ejus dilitiæ per serta, & eædem nunc per flores togis & tunicis illorum intextos; & quia dixisti, quod sicut appropinquavimus, te afflaverit calor vernalis cum ejus amænis spiraculis sicut ex horto, dicemus cur hoc, & dixerunt; fuimus Conjuges nunc per sæcula, & jugiter in flore ætatis, in quo tu nos vides; & Primus noster status fuit sicut est status primus virginis & juvenis cum consociant se conjugio; & credidimus tunc, quod ille status esset ipsa beatitudo vitæ nostræ; sed audivimus ab aliis in Cælo nostro, & postea nos ipsi percepimus, quod ille status esset caloris cum luce non temperati, & quod successive temperetur, sicut maritus perficitur sapientia, & uxor amat illam in Marito, & quod hoc fiat per usus & secundum illos, quos uterque mutuo auxilio præstat in Societate; tum quod delitiæ secundum temperiem caloris & lucis, seu sapientiæ & ejus amoris, succedant: quod cum appropinquavimus, afflaverit te sicut Calor vernalis, est quia Amor conjugialis & ille calor in Cælo nostro unum agunt, est enim Calor apud nos Amor, & Lux cum qua unitur calor, est Sapientia, ac Usus est sicut athmosphæra, quæ in sinu suo continet utrumque; quid Calor & Lux absque suo continente, ita quid amor & sapientia absque suo usu; non est conjugiale in illis, quia subjectum, in quo sint, non est. In Cælo, ubi Calor vernalis est, ibi est Amor vere conjugialis; quod ibi sit, est causa, quia non alibi est vernale, quam ubi calor ex æquo unitus est luci, seu ubi tantum caloris est, quantum lucis, ac vicissim; & autumamus, quod sicut calor delitiatur cum luce, & lux vicissim cum calore, ita amor cum sapientia, & vicissim sapientia cum amore. Porro dixit, quod apud nos in Cælo perpetua lux sit, & nusquam umbra vesperæ, minus tenebræ, quia Sol noster non occidit & oritur sicut vester sol, sed stat jugiter in medio inter zenith & horizontem, quod est secundum vestrum sermonem in gradu Cæli 45, inde est quod calor & lux procedentes ex Sole nostro faciant perpetuum Ver, & quod perpetuum vernale inspiret illis apud quos amor ex æquo unitur cum sapientia; & Dominus noster per caloris & lucis unionem æternam non aliud spirat quam usus; inde etiam sunt germinationes telluris

vestræ, & connubia volatilium & animalium vestrorum, temporibus veris; calor enim vernalis aperit interiora illorum usque ad intima, quæ vocantur animæ illorum, & has afficit, & eis indit Conjugiale suum, & facit ut prolificum illorum in suas delitias veniat ex continuo conatu ad faciendum usus fructus, qui est propagatio sui generis. At apud homines est perpetuus influxus caloris vernalis a Domino, quare illi omni tempore, etiam in media hyeme, delitiari conjugio possunt; viri enim creati sunt receptiones lucis, hoc est, sapientiæ a Domino, & fæminæ creatæ sunt receptiones caloris, hoc est amoris sapientiæ viri a Domino: inde nunc est, quod sicut appropinquavimus, afflaverit te calor vernalis cum suaviolente odore, sicut ex primitivis in hortis & agris. His dictis dedit mihi vir dextram, & deduxit me ad domos, ubi erant conjuges in simili flore ætatis, in quo illi; & dixit, quod uxores illæ nunc visæ sicut virgines, fuerint in Mundo vetulæ anus, & mariti nunc visi sicut adolescentes, fuerint ibi senes decrepiti; & quod omnes illi a Domino in ætatem hanc florescentem reducti sint, quia amaverunt se mutuo, & ex religione fugerunt adulteria ut peccata enormia; & dixit, quod nemo sciat beata jucunda Amoris conjugialis, nisi qui rejicit horrenda jucunda adulterii, & quod nemo hæc rejicere possit nisi qui sapit ex Domino, & quod nemo sapiat ex Domino, nisi ex amore usuum faciat usus. Vidi etiam tunc utensilia domuum illorum, quæ omnia erant in formis cælestibus, & fulgebant ex auro sicut flammante ex rubinis intertextis.

DE CASTO ET NON CASTO.

138. Quoniam adhuc in ingressu ad transigendum de Amore Conjugiali in specie sum, & Amor conjugialis in specie non potest nisi indistincte & sic obscure cognosci, nisi etiam quodammodo appareat ejus oppositum, quod est Incastum, & hoc quodammodo seu in umbra apparet, cum Castum describitur una cum non Casto, non Castitas est modo remotio Incasti a Casto. De Incasto autem, quod prorsus est oppositum Casto, agitur in Parte posteriore hujus Operis, ubi hoc sub intitulatione, VOLUPTATES INSANIÆ DE AMORE SCORTATORIO, in sua amplitudine, & cum suis varietatibus, describetur. Quid autem est Castum & non Castum, & apud quos, illustrabitur in hoc ordine. I: *Quod Castum & non Castum solum prædicentur de Conjugiis, & de talibus quæ Conjugii sunt.* II: *Quod Castum solum prædicetur de Conjugiis monogamicis, seu unius Viri cum una Uxore.* III: *Quod Conjugiale Christianum solummodo detur castum.* IV: *Quod Amor vere conjugialis sit ipsa Castitas.* V: *Quod omnes Delitiæ amoris vere conjugialis, etiam ultimæ, sint Castæ.* VI: *Quod Amor conjugialis apud illos, qui a Domino fiunt spirituales, plus & plus purificetur, & fiat Castus.* VII: *Quod Castitas conjugii existat per totalem abdicationem scortationum ex Religione.* VIII: *Quod Castitas non prædicari possit de Infantibus, nec de Pueris & Puellis, neque de Adolescentibus & Virginibus, antequam apud se sentiunt amorem sexus.* IX: *Quod*

Quod Castitas non prædicari possit de Eunuchis natis, nec de Eunuchis factis. X: *Quod Castitas non prædicari possit de illis, qui non credunt adulteria esse mala religionis, & adhuc minus de illis, qui non credunt adulteria esse damna societatis.* XI: *Quod Castitas non prædicari possit de illis, qui solum propter varias causas externas ab adulteriis abstinent.* XII: *Quod Castitas non prædicari possit de illis, qui credunt Conjugia esse incasta.* XIII: *Quod Castitas non prædicari possit de illis, qui abdicaverunt Conjugia vovendo perpetuum cælibatum, nisi in illis sit & permaneat amor vitæ vere conjugialis.* XIV: *Quod status conjugii præferendus sit statui cælibatus.* Sequitur nunc horum Explicatio.

139. I: QUOD CASTUM ET NON CASTUM PRÆDICENTUR DE CONJUGIIS, ET DE TALIBUS QUÆ CONJUGII SUNT; est quia Amor vere conjugialis est ipsa Castitas, ut sequitur; & Amor ei oppositus, qui vocatur scortatorius, est ipsa Incastitas; quantum itaque ab hoc ille purificatur, tantum ille est castus, tantum enim oppositum destructivum ejus aufertur; ex quo patet, quod Puritas amoris conjugialis sit, quæ vocatur Castitas. Datur usque Amor conjugialis non castus, qui tamen non est incastitas, ut inter Conjuges, qui propter varias causas externas abstinent ab effectibus lasciviæ usque ut non cogitent de illis; attamen si ille amor in spiritibus illorum non purificatus est, non tamen est castus, forma ejus est casta, sed essentia casta non ei inest.

140. Quod Castum & non Castum prædicentur de talibus quæ Conjugii sunt, est quia Conjugiale inscriptum est utrique Sexui ab intimis ad ultima, & secundum id est homo quoad cogitationes & affectiones, & inde interius quoad facta & gestus corporis; quod ita sit, evidentius apparet ab Incastis; incastum insidens mentibus illorum, auditur ex sono illorum loquelæ, & ex applicatione omnium sermonis, etiam casti, ad libidinosa; sonus loquelæ est ex affectione voluntatis, & loquela ex cogitatione intellectus; quod signum est, quod voluntas cum omnibus ejus, & intellectus cum omnibus ejus, ita tota mens, & inde omnia corporis, ab intimis ad ultima, incastis scateant: audivi ab angelis, quod incastum apud summe hypocritas ex auditu, utcunque caste loquuntur, percipiatur, & quoque ex sphæra ab illis exundante sentiatur; quod etiam signum est, quod incastitas resideat in intimis mentis illorum, & inde in intimis corporis illorum, & quod hæc obvelentur exterius sicut crusta picta speciebus ex variis coloribus. Quod sphæra lasciviæ exundet ex incastis, patet ex statutis apud filios Israelis, quod immunda essent omnia & singula, quæ inquinati a talibus manu modo tangerent. Ex his concludi potest, quod simile sit cum castis, videlicet, quod apud hos casta sint omnia & singula ab intimis ad ultima; & quod Castitas amoris conjugialis hoc faciat: inde est, quod in Mundo dicatur, quod Mundis omnia munda sint, & quod Immundis omnia immunda.

141. II: QUOD CASTUM MODO PRÆDICETUR DE CONJUGIIS MONOGAMICIS, SEU UNIUS VIRI CUM UNA UXORE. Quod Castum prædicetur de illis solis, est quia Amor conjugialis apud illos non residet in Naturali homine, sed intrat in Spiritualem, & successive aperit sibi viam ad ipsum Conjugium spirituale, quod est boni & veri, quod est origo ejus, & se cum illo conjungit; intrat enim

enim ille Amor secundum incrementa sapientiæ, & hæc secundum implantationem Ecclesiæ a Domino, ut prius multis ostensum est. Hoc non potest fieri apud Polygamos, quoniam hi dividunt Amorem conjugialem, & hic Amor divisus non absimilis est Amori sexus, qui in se est naturalis; sed de hoc aliqua digna videbuntur in Transactione de POLYGAMIA.

142. III: QUOD CONJUGIALE CHRISTIANUM SOLUMMODO DETUR CASTUM, est quia Amor vere conjugialis simili passu vadit apud hominem, in quo status Ecclesiæ apud illum, & quia ille est a Domino, ut in Transactione præcedente n. 130. 131, & alibi, ostensum est; tum quia Ecclesia in genuinis suis veris est in Verbo, & Dominus ibi in illis præsens est; ex his sequitur, quod non detur Conjugiale castum, quam in Christiano Orbe, & quod si non datur, usque sit dabile: per Conjugiale Christianum intelligitur Conjugium unius Viri cum una Uxore. Quod hoc Conjugiale possit fieri insitum Christianis, & hæreditario sequi in proles a Parentibus, qui in Amore vere conjugiali sunt, & quod ex illo connascatur & facultas & inclinatio ad sapiendum illa quæ Ecclesiæ & Cæli sunt, in suo loco videbitur. Quod Christiani, si plures uxores ducunt, non modo adulterium naturale, sed etiam adulterium spirituale, committant, in Transactione de Polygamia demonstrabitur.

143. IV: QUOD AMOR VERE CONJUGIALIS SIT IPSA CASTITAS, sunt hæ causæ. 1. Quia ille est a Domino, & correspondet Conjugio Domini & Ecclesiæ. 2. Quia ex Conjugio boni & veri descendit. 3. Quia est spiritualis, sicut est Ecclesia apud hominem. 4 Quia est Amor fundamentalis & Caput omnium amorum cælestium & spiritualium. 5. Quia est justum Seminarium Generis Humani, & ex hoc Cæli Angelici. 6. Quia ideo etiam est apud Angelos Cæli, & ex eo apud illos nascuntur proles spirituales, quæ sunt amor & sapientia. 7. Et quia sic usus ejus est præstantior reliquis usibus creationis. Ex his sequitur, quod Amor vere conjugialis ex sua origine, & in sua essentia spectatus, sit purus & sanctus, adeo ut vocari possit puritas & sanctitas, proinde ipsa castitas; at quod usque non sit apud homines, nec apud Angelos omnimode purus, in Articulo VI nunc sequente, n. 146, videatur.

144. V: QUOD OMNES DELITIÆ AMORIS VERE CONJUGIALIS, ETIAM ULTIMÆ, SINT CASTÆ. Hoc sequitur a supra explicatis, quod Amor vere conjugialis sit ipsa castitas, ac delitiæ vitam illius faciunt: quod Delitiæ illius amoris ascendant ac intrent Cælum, & in via pertranseant jucunda amorum cælestium, in quibus sunt Angeli Cæli; tum quod se cum Delitiis amoris conjugialis illorum conjungant, supra memoratum est. Insuper ab Angelis auditum est, quod percipiant delitias illas apud se exaltari & impleri, dum ascendunt ex conjugibus castis in terris; & propter adstantes, qui incasti erant, ad quæstionem num etiam delitiæ ultimæ, annuebant, & dicebant tacite, quid aliter, suntne hæ illæ in sua plenitudine. Unde illius amoris delitiæ sunt, & quales, videatur supra n. 69; & in MEMORABILIBUS, imprimis in sequentibus.

145. VI: QUOD AMOR CONJUGIALIS APUD ILLOS, QUI A DOMINO FIUNT SPIRITUALES, PLUS ET PLUS PURIFICETUR, ET FIAT CASTUS, causæ sunt, 1. Quia

Quia primus amor, per quem intelligitur amor ante nuptias, & recens post nuptias, trahit aliquid ex amore sexus, ita ex ardore proprio corporis nondum per amorem spiritus mitigato. 2. Quia homo successive a naturali fit spiritualis; fit enim spiritualis, sicut Rationale, quod est medium inter Cælum & Mundum, incipit trahere animam ex influxu e Cælo, quod fit sicut afficitur & lætificatur ex sapientia, de qua supra n, 130; & quantum hoc fit, tantum elevatur Mens ejus in auram superiorem, quæ est continens lucis & caloris cælestis, seu quod idem est, sapientiæ & amoris, in quibus sunt Angeli; Lux enim cælestis unum agit cum sapientia, & Calor cælestis cum amore; & sicut sapientia & ejus amor crescunt apud conjuges, ita purificatur Amor conjugialis apud illos; quod quia fit successive, sequitur quod ille plus & plus fiat castus. Purificatio illa spiritualis comparari potest cum purificatione naturalium spirituum, quæ fiunt a Chymicis, & vocantur Defæcatio, Rectificatio, Castigatio, Cohobatio, Acutio, Decantatio, Sublimatio; & Sapientia purificata cum Alcohole, quod est spiritus summe rectificatus. 3. Nunc quia Sapientia spiritualis in se talis est, ut calescat plus & plus amore sapiendi, & ex hoc crescat in æternum, quod fit ut perficitur sicut per defæcationes, castigationes, rectificationes, acutiones, decantationes, & sublimationes, & hæ per elimationes & abstractiones Intellectus a fallaciis sensuum, & Voluntatis ab illecebris corporis, patet quod similiter Amor conjugialis, cujus parens est sapientia, successive plus & plus fiat purus, ita castus. Quod Primus status amoris inter conjuges sit status caloris per lucem nondum temperati, sed quod successive temperetur, sicut Maritus perficitur sapientia, & Uxor amat illam in marito, videatur in MEMORABILI n. 137.

146. At sciendum est, quod Amor conjugialis prorsus castus seu purus non detur apud homines, nec apud angelos; est usque aliquid non castum seu non purum, quod illi se adjungit & subjungit; sed hoc ex alia natura est, quam ex qua est incastum; est enim apud illos castum supra, & non castum infra, & a Domino interposita est tanquam janua cum cardine, quæ aperitur per determinationem, & prospicitur ne illa stet aperta, ut transeat unum in alterum, & se commisceant; Naturale enim hominis a nativitate est contaminatum & refertum malis; at Spirituale ejus non ita, quia hujus nativitas est a Domino, est enim regeneratio; & hæc est successiva separatio a malis, quæ inclinationibus adnata sunt. Quod nullus Amor apud homines & apud Angelos sit prorsus purus, nec quod fieri possit, sed quod finis, propositum seu intentio voluntatis primario spectetur a Domino, & quod ideo quantum homo in illis est, & in illis perseverat, tantum initietur in puritatem, & tantum ad illam progrediendo accedat, videatur supra n: 71.

147. VII. QUOD CASTITAS CONJUGII EXISTAT PER TOTALEM ABDICATIONEM SCORTATIONUM EX RELIGIONE; causa est quia castitas est remotio incastitatis; norma universalis est, quod quantum quis removet malum, tantum detur copia bono ut succedat; & porro, quantum odio habetur malum, tantum ametur bonum; & quoque vice versa; consequenter quod quantum abdicatur scortatio, tantum castitas conjugii intret. Quod Amor conjugialis se-

 cun-

cundum abdicationem fcortationum purificetur & rectificetur, quifque ex communi perceptione, dummodo dicitur & auditur, videt, ita ante confirmationes; fed quia non omnibus eft perceptio communis, intereft ut id etiam per confirmationes illuftretur; confirmationes funt, quod Amor conjugialis frigeat, ut primum dividitur, ac frigefcentia hæc facit ut pereat, calor enim amoris incafti exftinguit illum; non enim dari poffunt duo calores oppofiti fimul, quin unus rejiciat alterum, & illum fua potentia orbet. Quando itaque calor amoris conjugialis removet & rejicit calorem amoris fcortatorii, incipit amor conjugialis amœne calefcere, & ex fenfu delitiarum fuarum germinare & efflorefcere, ficut pomarium & rofetum tempore veris, hæc ex vernali temperie lucis & caloris e fole Mundi naturalis, illa autem ex vernali temperie lucis & caloris ex Sole Mundi fpiritualis.

148. Cuivis homini ex creatione & inde a nativitate eft infitum Conjugiale Internum & Conjugiale Externum; Internum eft fpirituale, & Externum eft naturale; homo in hoc venit primum, & ficut fit fpiritualis, venit in illud: fi itaque in Conjugiali externo feu naturali manet, tunc obvelatur Conjugiale internum feu fpirituale, ufque dum non fcit aliquid de eo, imo ufque dum vocat id inanitatem ideæ; at vero fi homo fit fpiritualis, tunc incipit aliquid fcire de eo, poftea aliquid percipere de quali ejus, & fucceffive fentire amœna, jucunda, & delitiofa ejus; & ficut hæc fiunt, ita obvelatio inter Externum & Internum, de qua fupra, incipit attenuari, dein quafi liquefcere, ac ultimo refolvi & diffipari. Quum hoc factum eft, manet quidem Conjugiale Externum, fed jugi caftigatur & purificatur e fuis fecibus ab Interno; & hoc eo ufque, dum Externum fit ficut facies Interni, ac trahit fuum jucundum ex beato, quod eft in Interno, & fimul ejus vitam, & hujus potentiæ delitias. Talis eft abdicatio fcortationum, per quam Caftitas conjugii exiftit. Credi poteft, quod Conjugiale Externum remanens, poftquam Internum fe ab illo, feu illud a fe, feparavit, fimile fit cum Externo non feparato; fed audivi ab Angelis, quod plane diffimilia fint; ut quod Externum ab Interno, quod vocaverunt Externum Interni, effet expers omnis lafciviæ, quia Internum non poteft lafcivire, fed folum cafte delitiari, & quod fimile inferat Externo fuo, in quo delitias fuas fentit; prorfus aliter Externum feparatum ab Interno, hoc dicebant effe lafciviofum in communi & in omni parte. Comparaverunt Conjugiale Externum ab Interno fructui nobili, cujus amœnus fapor & odor infinuant fe in fuperficiem illius, & hanc formant in correfpondentiam fecum. Comparaverunt etiam Conjugiale Externum ab Interno cum Horreo, cujus penu nufquam diminuitur, fed conftanter id quod exfumitur, e novo reficitur; at Externum feparatum ab Interno comparaverunt cum Tritico in ventilabro, quod fi projicitur circum circa, remanet folum palea, quæ a vento aeris diffipatur: ita fit cum Amore conjugiali, nifi fcortatorium abdicetur.

149. Quod Caftitas conjugii non exiftat per abdicationem fcortationum, nifi hæc fiat ex Religione, eft quia homo abfque religione non fit fpiritualis, fed manet naturalis, & fi naturalis homo abdicat fcortationes, ufque fpiritus ejus non abdicat illas; & fic tametfi videtur fibi, quod per abdicationem fit

caftus,

caftus, ufque tamen incaftitas latet intus ficut fanies in vulnere folum extrinfecus fanato. Quod Amor conjugialis fit fecundum ftatum Ecclefiæ apud hominem, videatur fupra n. 130. Plura de hac re videantur in Expofitione Articuli XI. fequentis.

150. VIII: QUOD CASTITAS NON PRÆDICARI POSSIT DE INFANTIBUS, NEC DE PUERIS ET PUELLIS, NEQUE DE ADOLESCENTIBUS ET VIRGINIBUS, ANTEQUAM APUD SE SENTIUNT AMOREM SEXUS. Caufa eft, quia caftum & incaftum unice prædicantur de Conjugiis & de talibus quæ conjugii funt, videatur fupra n. 139, & apud illos, qui non fciunt aliquid de Conjugialibus, non eft aliqua prædicatio caftitatis, eft enim ficut nihil apud illos, & nihili non datur affectio, nec de illo cogitatio: at poft nihilum illud exfurgit aliquid, cum fentitur primum conjugii, quod eft amoris fexus. Quod Virgines & Adolefcentes, antequam fentiunt amorem fexus apud fe, a vulgo dicantur Cafti, eft ex ignorantia quid Caftitas.

151. IX: QUOD CASTITAS NON PRÆDICARI POSSIT DE EUNUCHIS NATIS; NEC DE EUNUCHIS FACTIS. Per Eunuchos natos intelliguntur imprimis illi, apud quos a nativitate ultimum amoris deficit, & quia tunc primum & medium carent fundo, fuper quo fubfiftant, nec exiftunt; & fi exiftunt, non illorum curæ eft difcernere inter caftum & incaftum, eft enim utrumque illis indifferens: fed funt horum plura difcrimina. Cum Eunuchis factis pæne fimile eft, ut cum quibusdam Eunuchis natis; at Eunuchi facti, quia funt & viri & fæminæ, ideo non poffunt aliter quam amorem conjugialem fpectare ficut phantafiam, & delitias ejus ficut logos: fi aliquid ex inclinatione illis ineft, fit hoc mutum, quod non eft caftum nec incaftum; & quod eft neutrum, non eft alicujus denominationis ab uno aut ab altero.

152. X: QUOD CASTITAS NON PRÆDICARI POSSIT DE ILLIS, QUI NON CREDUNT ADULTERIA ESSE MALA RELIGIONIS; ET ADHUC MINUS DE ILLIS, QUI NON CREDUNT ADULTERIA ESSE DAMNA SOCIETATIS. Quod Caftitas non prædicari poffit de illis, eft quia non fciunt quid Caftitas, nec quod fit, caftitas enim eft Conjugii, ut in Primo Articulo hic oftenfum eft; & illi, qui non credunt adulteria effe mala religionis, faciunt etiam Conjugia incafta, cum tamen Religio apud conjuges facit caftitatem illorum; fic illis nihil caftum eft, quare coram illis fruftra nominatur caftitas; hi funt ex confirmato adulteri: qui autem non credunt adulteria effe damna Societatis, illi adhuc minus quam priores fciunt quid caftitas, nec quod fit; funt enim ex propofito adulteri. Si dicunt, quod Conjugia minus incafta fint quam adulteria, dicunt hoc ore, fed non corde, quia Conjugia apud illos frigent, & illi qui ex hoc frigore loquuntur de Calore cafto, non poffunt ideam caloris cafti habere de Amore conjugiali: quales illi funt, & quales ideæ cogitationis illorum, & inde qualia interiora loquelæ illorum, in Parte Secunda de Infaniis adulterorum videbitur.

153. XI: QUOD CASTITAS NON PRÆDICARI POSSIT DE ILLIS, QUI SOLUM PROPTER VARIAS CAUSAS EXTERNAS AB ADULTERIIS ABSTINENT. Multi credunt, quod modo abftinentia ab adulteriis corpore fit caftitas, cum tamen illa non

est castitas, nisi illa etiam simul sit spiritu; spiritus hominis, per quem hic intelligitur Mens ejus quoad affectiones & cogitationes, facit castum & incastum, inde enim est in corpore; hoc enim prorsus tale est, qualis est mens seu spiritus: inde sequitur, quod qui abstinent ab adulteriis corpore & non ex spiritu, nec qui abstinent ab illis spiritu ex corpore, non sint casti: dantur multæ causæ, quæ faciunt ut homo desistat ab illis corpore, & quoque spiritu ex corpore, at usque qui non desistit ab illis corpore ex spiritu, incastus est; nam dicit Dominus, *quod si quis aspexerit mulierem alienam, ita ut concupiscat eam, jam adulterium cum illa commiserit in corde suo*, Matth: V: 28. Omnes causæ abstinentiæ ab adulteriis solum corpore non recenseri possunt, nam sunt variæ secundum status Conjugii, & quoque secundum status corporis; sunt enim qui ab illis abstinent, ex timore legis civilis & ejus pœnarum; ex timore jacturæ famæ & inde honoris; ex timore morborum ex illis; ex timore jurgiorum domi ab uxore, & inde intranquillitatis vitæ; ex timore vindictæ a marito aut affine; exque timore verberum a famulis; tum qui abstinent ex egestate, aut ex avaritia, aut ex imbecillitate oriunda vel ex morbo, vel ex abusu, vel ex ætate, vel ex impotentia: inter hos etiam sunt, qui quia non possunt aut non audent corpore, ideo etiam damnant adulteria spiritu; & sic moraliter contra illa & pro conjugiis loquuntur; at hi si non spiritu, & spiritus ex religione, devovet adulteria, usque adulteri sunt, nam tametsi non corpore, usque spiritu committunt illa; quare post mortem, cum fiunt spiritus, aperte loquuntur pro illis. Ex his patet, quod etiam impius possit fugere adulteria ut damna, sed quod fugere illa ut peccata, non possit nisi Christianus. Ex his nunc constat veritas propositionis, quod Castitas non prædicari possit de illis, qui solum propter varias causas externas abstinent ab adulteriis.

154. XII: Quod Castitas non possit prædicari de illis, qui credunt Conjugia esse incasta. Hi nec sciunt quid Castitas, nec quod sit, sicut illi, de quibus supra, n. 152; & sicut illi, qui castitatem modo ponunt in Cælibatu, de quibus sequitur.

155. XIII: Quod Castitas non prædicari possit de illis, qui abdicaverunt Conjugia, vovendo perpetuum Cælibatum, nisi in illis sit et permaneat amor vitæ vere Conjugialis. Quod de his non sit prædicatio castitatis, est quia Amor conjugialis post votum perpetui Cælibatus, projectus est, de quo tamen unice est prædicatio castitatis; & quia usque inclinatio ad sexum a creatione & inde a nativitate inest, & cum hæc coercetur & domatur, non potest aliter, quam ut inclinatio illa abeat in calorem, & apud quosdam in æstum, qui dum e corpore exsurgit in spiritum, infestat illum, & apud quosdam inquinat illum; & dari potest, quod spiritus inde inquinatus etiam inquinet Religiosa, & hæc ab interna sua sede, ubi sunt in sanctitate, dejiciat in externa, ubi fiunt solum oris & gestus; quare provisum est a Domino, quod Cælibatus ille sit modo apud illos, qui in externo cultu sunt, in quo sunt, quia non adeunt Dominum, nec legunt Verbum; apud hos per indictos Cælibatus simul cum sponsione castitatis, non periclitatur vita æterna, sicut apud illos qui in interno cultu sunt; accedit, quod multi illum statum vitæ non

ineant ex libero voluntatis, sed quidam antequam in libero sunt ex ratione, & quidam propter causas allectrices e Mundo. Ex illis, qui propter abalienationem mentis e Mundo, ut vacent Divino Cultui, adoptant illum statum, sunt duntaxat casti illi, apud quos amor vitæ vere conjugialis vel ante illum statum fuerat, vel post illum fit, & permanet, quia hujus vitæ amor, est de quo prædicatur castitas. Quapropter etiam omnes Monasteriales post mortem tandem exsolvuntur votis suis, & emittuntur in libertatem, ut secundum interiora vota & desideria amoris sui ferantur ad eligendum vitam vel conjugialem vel extraconjugialem; si tunc vitam conjugialem ineunt, illi qui spiritualia cultus etiam amaverunt, dantur nuptui in Cælo; at qui vitam extra conjugialem, mittuntur ad similes, qui in lateribus cæli habitant. Quæsivi Angelos, numne illi qui studuerunt pietati, emancipaverunt se cultui Divino, & sic subtraxerunt se a præstigiis Mundi, & a concupiscentiis carnis, & propterea perpetuam Virginitatem voverant, recipiantur in Cælum, & ibi inter felices secundum illarum fidem primariæ fiant; at Angeli responderunt, quod quidem recipiantur, sed cum sentiunt sphæram amoris conjugialis ibi, fiunt tristes & anxiæ, & quod tunc quædam sponte sua, quædam ex venia petita, & quædam ex jussu, abeant & emittantur; & quod cum extra illud Cælum sunt, aperiatur illis via ad consocias, quæ in simili statu vitæ in Mundo fuerant; & quod tunc ab anxiis fiant hilares, ac lætificentur inter se.

156. XIV. Quod status Conjugii præferendus sit statui Cælibatus, constat ex illis quæ de Conjugio & de Cælibatu hactenus dicta sunt. Quod Status conjugii præferendus sit, est quia ille a creatione est: quia origo ejus est Conjugium boni & veri: quia ejus correspondentia est cum Conjugio Domini & Ecclesiæ: quia Ecclesia & Amor conjugialis sunt assidui comites: quia Usus ejus est præstantior usibus omnium creationis, est enim inde secundum ordinem propagatio Generis Humani, & quoque Cæli Angelici, hoc enim ex Genere humano est: accedit his, quod Conjugium sit plenitudo hominis, per illud enim homo fit plenus homo, quod in sequente Capite demonstrandum venit: omnia illa in Cælibatu non sunt. At si datur Propositio, quod status cælibatus præstet statu conjugii, & hæc relinquitur inquisitioni ut assentiatur & stabiliatur per confirmationes, tunc per has prodeunt hæc, quod Conjugia non sint sancta, nec dentur casta; imo quod castitas in Sexu fæminino non sit aliis, quam quæ abstinent a conjugiis, & vovent perpetuam virginitatem: & insuper quod illi qui perpetuum Cælibatum voverant, intelligantur per Eunuchos, qui se propter Regnum Dei faciunt Eunuchos, Matth. XIX: 12; præter plura, quæ ex Propositione non vera, etiam non vera sunt: per Eunuchos, qui se propter Regnum Dei faciunt Eunuchos, intelliguntur spirituales Eunuchi, qui sunt qui in Conjugiis abstinent a malis scortationum; quod Itali Eunuchi non intelligantur, patet.

❀ ❀ ❀ ❀ ❀ ❀ ❀

Vera Rel n. 692

151. His adjiciam DUO MEMORABILIA; PRIMUM. Dum ex hoc Ludo sapientiæ, de quo supra n. 132, abirem domum, in via vidi Angelum in veste hyacinthina; hic adjunxit se lateri meo, & dixit, video quod e Ludo sapientiæ exiveris, & quod ex auditis ibi lætificatus sis; & quia percipio, quod non plenus sis in hoc Mundo, quia simul in Mundo naturali es, & ideo nescis nostra Gymnasia Olympiaca, ubi veteres Sophi conveniunt, & ex advenis e tuo Mundo hauriunt, quas status mutationes & successiones subiverat & adhuc subit Sapientia: si vis deducam te ad locum, ubi plures ex vetustis Sophis, & illorum filiis, hoc est, discipulis habitant; & deduxit me in confinium inter Septentrionem & Orientem, & dum e loco edito illuc prospexi, ecce visa est Urbs, & ad unum ejus latus duo Clivi, & propior urbi humilior altero; & dixit mihi, Urbs illa vocatur Athenæum, Clivus humilior Parnassium, & altior Heliconeum; ita vocantur, quia in Urbe & circum illam commorantur Veteres sapientes in Græcia, ut Pythagoras, Socrates, Aristippus, Xenophon, cum discipulis & tyronibus; & quæsivi de Platone & Aristotele, dixit, quod illi & illorum asseclæ in alia regione habitent, quia hi docuerunt rationalia quæ intellectus sunt, illi autem moralia quæ vitæ sunt. Dixit, quod ex Urbe Athenæo frequenter ablegentur studiosi ad literatos ex Christianis, ut narrent quid hodie cogitant de Deo, de Creatione Universi, de Immortalitate animæ, de statu hominis relativo ad statum bestiarum, ac de rebus aliis quæ interioris sapientiæ sunt; & dixit, quod præco hodie annuntiaverit conventum, indicium, quod emissarii novos Advenas e terris offenderint, a quibus audiverunt curiosa; & vidimus multos exeuntes ex urbe & a viciniis, quosdam habentes laureas super capitibus, quosdam tenentes palmas in manibus, quosdam cum libris sub ulnis, & quosdam cum calamis sub sinistri temporis crinibus. Nos inseruimus nos illis, & una ascendimus, & ecce super Clivo Palatium octogonum, quod vocaverunt Palladium, ac intravimus; & ecce ibi octo insinuationes sexangulares, in quarum unaquavis erat Librarium, & quoque Mensa, ad quas consederunt laureati, & in ipso Palladio visa sunt Sedilia ex saxo exsculpta, super quæ reliqui se demiserunt; & tunc aperta est janua ad sinistrum, per quam duo Advenæ e terra introducti sunt, & postquam salutati, unus ex laureatis quæsivit illos, QUID NOVI E TERRA; & dixerunt, novum est, quod in sylvis invenerint homines sicut bestias, aut bestias sicut homines, at quod ex facie & corpore cognoverint natos esse homines, ac secundo aut tertio ætatis anno amissos aut omissos in Sylvis; dixerunt quod non possint sonare aliquid cogitationis, nec discere articulare sonum in aliquam vocem; quod nec scirent cibum sibi convenientem sicut bestiæ, sed quod sylvestria tam munda quam immunda injicerent in buccam; præter similia plura; ex quibus aliqui Eruditi apud nos divinarunt, & aliqui concluserunt plura de Statu hominum relativo ad statum bestiarum; his auditis, quæsiverunt aliqui ex vetustis Sophis, quid ex illis divinant & concludunt; & duo Advenæ responderunt, quod plura, quæ tamen ad hæc possunt referri. 1. Quod homo ex

sua

ſua natura, & quoque ex nativitate, omni beſtia ſtupidior & inde vilior ſit; & quod ſimiliter fiat ſi non inſtruitur. 2. Quod inſtrui poſſit quia didicit articulate ſonare, & inde loqui, & quod per id inceperit expromere cogitationes, & hoc ſucceſſive plus & plus, uſque ut poſſet exprimere leges Societatis, quarum plures tamen beſtiis a nativitate impreſſæ ſunt. 3. Quod rationalitas ſit beſtiis æque ac hominibus. 4. Quare ſi beſtiæ potuiſſent loqui, tam ſolerter ratiocinarentur de omni re ſicut homines; cujus rei indicium eſt, quod cogitent ex ratione & prudentia æque ac homines. 5. Quod Intellectus ſit ſolum modificatio lucis e Sole, cooperante calore, medio æthere, ita ut modo ſit activitas interioris naturæ, & quod hæc poſſit exaltari, uſque ut appareat ſicut ſapientia. 6. Quod ideo vanum ſit credere, quod homo poſt mortem plus vivat quam beſtia, niſi quod forte poſſit per aliquot dies poſt obitum ex exhalatione vitæ corporis apparere ſicut nimbus ſub ſpecie larvæ, antequam diſſipatur in naturam; vix aliter quam ſicut virgultum ex cinere exſuſcitatum apparet in ſimilitudine ſuæ formæ. 7. Conſequenter quod Religio, quæ docet vitam poſt mortem, ſit inventum, ut ſimplices teneantur intrinſecus in vinculo per ejus leges, ſicut tenentur extrinſecus per civitatis leges. His addiderunt, quod mere ingenioſi ita ratiocinentur, non autem Intelligentes; & quæſiverunt quid Intelligentes, dixerunt quod non audiverint, ſed quod ſic opinentur.

152. His auditis dixerunt omnes qui ad Menſas ſedebant, oh qualia nunc in Terris tempora; heu Sapientia quas vices ſubiit, verſane eſt in ingenioſitatem fatuam, ſol occidit, & ſub terra eſt e diametro oppoſitus ſuæ meridiei; quis non ex documento ex relictis & inventis in ſylvis ſcire poteſt, quod homo non inſtructus talis ſit, eſtne ſicut inſtruitur, naſciturne in ignorantia præ beſtiis, diſcetne gradiri & loqui, ſi non diſceret gradiri, num ſe ſuper pedes erigeret, & ſi non diſceret loqui, num mutiret aliquid cogitationis; eſtne omnis homo ſicut inſtruitur, inſaniens ex falſis, ac ſapiens ex veris, & inſaniens ex falſis in omni phantaſia quod ſit ſapientior ſapiente ex veris; danturne homines fatui & veſani, qui non plus homines ſunt, quam inventi in ſylvis; nonne caſſi memoria his ſimiles ſunt. Nos ex his & illis concluſimus, quod homo abſque inſtructione non ſit homo, nec beſtia, ſed quod ſit forma, quæ recipere poteſt in ſe id quod facit hominem, & ſic quod non naſcatur homo, ſed quod fiat homo; & quod homo talis forma naſcatur, ut ſit organum recipiens vitæ a Deo, propter finem ut ſit ſubjectum, in quod Deus omne bonum poſſet inferre, & per unionem ſecum beatificare in æternum. Percipimus ex ſermone veſtro, quod ſapientia hodie in tantum exſtincta aut infatuata ſit, ut de ſtatu vitæ hominum relativo ad ſtatum vitæ beſtiarum, prorſus nihil ſciant; inde eſt, quod nec ſciant ſtatum vitæ hominis poſt mortem; at illi qui hunc ſcire poſſunt, ſed non volunt ſcire, & inde illum negant, ut faciunt multi ex veſtris Chriſtianis, aſſimilare poſſumus inventis in ſylvis; non quod ex privatione inſtructionis ita ſtupidi facti ſint, ſed quod per fallacias ſenſuum, quæ ſunt tenebræ veritatum, ſemetipſos ita ſtupidos fecerint.

153. Sed tunc quidam in medio Palladii ſtans, in manu tenens palmam, dixit,

dixit, evolvite quæso hoc arcanum, quomodo homo forma Dei creatus, mutari potuit in formam diaboli; scio quod Angeli Cæli sint formæ Dei, & quod angeli inferni sint formæ diaboli, & duæ formæ sunt sibi oppositæ, hæ Insaniæ, illæ Sapientiæ; dicite itaque, quomodo homo forma Dei creatus a die in talem noctem potuit transire, ut potuerit negare Deum, & vitam æternam: ad hæc responderunt Didascali in ordine, primum Pythagorei, dein Socratici, & postea reliqui; sed inter illos erat quidam Platonicus, hic ultimo loquutus est, & hujus sententia prævaluit, quæ erat; quod homines Ævi Saturnini seu Sæculi aurei, sciverint & agnoverint quod essent Formæ recipientes vitæ a Deo, & quod ideo sapientia animabus & cordibus illorum inscripta fuerit, & inde, quod ex luce veri viderint verum, & per vera perceperint bonum ex jucundo amoris ejus: at sicut Humanum Genus in sequentibus Sæculis recesserat ab agnitione, quod omne verum sapientiæ & inde bonum amoris apud illos, continue influeret a Deo, cessaverunt esse habitacula Dei, & quoque tunc cessavit loquela cum Deo, & consociatio cum Angelis; interiora enim mentis illorum a directione sua, quæ fuerat sursum elevata ad Deum a Deo, inflexa est in directionem obliquam plus & plus, extrorsum in Mundum, & sic ad Deum a Deo per Mundum, & tandem inversa in directionem oppositam, quæ est deorsum ad Semet; & quia Deus non potest spectari ab homine interius inverso & sic averso, homines separaverunt se a Deo, & facti sunt formæ inferni seu diaboli. Ex his sequitur, quod Primis Ævis agnoverint corde & anima, quod omne bonum amoris, & inde verum sapientiæ illis essent a Deo, & quoque quod illa essent Dei in illis, & sic quod illi essent mera receptacula vitæ a Deo, & inde vocati Imagines Dei, Filii Dei, & Nati a Deo: sed quod in succedentibus ævis illud non corde & anima, sed quadam fide persuasiva, & dein fide historica, & demum solum ore, agnoverint; & agnoscere tale solum ore, est non agnoscere, imo id negare corde. Ex his videri potest, qualis hodie est sapientia in terra apud Christianos, tametsi illi ex revelatione scripta inspirari possunt a Deo, dum non sciunt discrimen inter hominem & bestiam; & inde multi credunt, quod si homo vivit post mortem, etiam bestia victura sit, aut quia bestia non vivit post mortem, nec homo victurus sit; annon lux nostra spiritualis, quæ illuminat visum mentis, apud illos facta est caligo; & lux illorum naturalis, quæ solum illuminat visum corporis, facta est illis splendor.

154. Post hæc converterunt se omnes ad duos Advenas, & illis gratias propter adventum & narrationem agebant, & orabant, ut hæc, quæ audiverant, suis fratribus renuntiarent: & responderunt Advenæ, quod confirmaturi sint suos in hac veritate, quod quantum attribuunt omne bonum charitatis & verum fidei Domino, & non sibi, tantum sint homines, ac tantum fiant Angeli Cæli.

155. Alterum Momorabile: Quodam mane suavissimus Cantus e quadam altitudine supra me auditus me expergefecit, & inde in prima vigilia, quæ interna, pacifica & dulcis est præ sequentibus diei, potui aliquamdiu teneri in spiritu sicut extra corpus, & exquisite attendere ad affectionem quæ canebatur; Cantus Cæli non aliud est quam affectio mentis, quæ ut modulamen per os emittitur, est enim sonus separatus a sermone loquentis ex affectione amoris, quæ

quæ dat loquelæ vitam; in statu illo percepi, quod esset affectio delitiarum amoris conjugialis, quæ ab uxoribus in Cælo canora facta est; quod ita esset, animadverti ex sono cantus, in quo illæ delitiæ mirabilibus modis variebantur. Post hæc surrexi, & prospexi in Mundum Spiritualem; & ecce in Oriente sub Sole ibi apparuit sicut PLUVIA AUREA, erat ros matutinus, in tali copia descendens, qui strictus a radiis Solis speciem Pluviæ aureæ coram visu meo exhibebat; ex hac adhuc plenius evigilatus exivi in spiritu, & Angelum mihi forte tunc obvium interrogavi, num viderit Pluviam auream descendentem e Sole; & respondit, quod videat illam quoties in meditatione est de Amore conjugiali, & tunc illuc vertit oculos; & dixit, cadit illa Pluvia super Aulam, in qua sunt tres Mariti cum suis Uxoribus, qui habitant in medio Paradisi Orientalis. Quod videatur talis Pluvia super Aulam illam a Sole cadentis, est quia residet apud illos Sapientia de Amore conjugiali & ejus delitiis, apud maritos de amore conjugiali, & apud uxores de delitiis ejus: sed percipio, quod sis in meditatione de Delitiis amoris conjugialis, quare ducam te ad Aulam illam, & introducam; & duxit me per Paradisiaca ad Domos, quæ structæ erant a Lignis oleæ, & duæ Columnæ ex cedris ante portam, & introduxit me ad Maritos; & petiit ut liceret mihi in præsentia illorum loqui cum uxoribus; & annuerunt, & vocaverunt illas: hæ argute inspectabant oculos meos; & quæsivi, cur ita, dixerunt, possumus exquisite videre, quæ tibi inclinatio & inde affectio, & ex hac cogitatio est de amore sexus, & videmus quod de illo intense, sed usque caste mediteris; & dixerunt, quid vis ut de illo tibi dicamus; & respondi, dicite, quæso, aliquid de delitiis amoris conjugialis; & Mariti annuerunt, dicentes, aperite si placet aliquid de illis, sunt illorum aures castæ: & quæsiverunt, quis te docuit de delitiis illius amoris interrogare nos, cur non Maritos; & respondi, hic Angelus qui mecum est, dixit mihi in aurem, quod Uxores sint illarum receptacula & sensoria, quia sunt natæ Amores, & omnes delitiæ sunt amoris; ad hæc subridente ore respondebant, esto prudens, & non dic tale quid nisi in sensu ambiguo, quia est sapientia alte reservata in cordibus nostri sexus, & non alicui Marito aperitur, nisi qui in Amore vere conjugiali est; causæ sunt plures, quas apud nos penitus recondimus: & tunc dixerunt Mariti, sciunt uxores omnes status nostræ mentis, nec absconditum illis est quicquam; vident, percipiunt, & sentiunt quicquid ex voluntate nostra procedit; & nos vicissim nihil apud uxores; hoc datum est uxoribus, quia sunt Amores tenerrimi, & tanquam Zeli ardentes pro conservatione amicitiæ & confidentiæ conjugialis, & sic utriusque felicitatis vitæ, quam prospiciunt maritis & sibi ex insita amori illarum sapientia, quæ tam plena est prudentia, ut non velint, & inde non possint dicere, quod ament, sed quod amentur; & quæsivi, cur non volunt, & inde non possunt; responderunt, quod si minimum tale elaberetur ex ore illarum, frigus invaderet maritos, & separaret a toro, cubiculo, & aspectu; sed hoc fit illis, qui non sancta habent conjugia, & ideo non ex spirituali amore amant suas uxores; aliter fit illis qui amant; in horum mentibus amor ille est spiritualis, & ex hoc in corpore est naturalis; nos in hac Aula sumus in hoc amore ex illo, quare concredimus Maritis arcana de delitiis amoris conjugialis nostris. Tunc officiose rogavi, ut

etiam mihi aliquid de Arcanis illis aperirent: & illico spectabant ad fenestram plagæ meridiei, & ecce visa est columba candida, cujus alæ nitebant sicut ex argento, & caput insignitum erat corona sicut ex auro, stans super ramo, e quo exibat oliva; quæ cum in conatu expandendi alas erat, dicebant uxores, aperiemus aliquid, columba illa dum apparet, est nobis signum quod liceat: & dixerunt, sunt unicuique Viro quinque Sensus, Visus, Auditus, Olfactus, Gustus & Tactus; at nobis est quoque Sextus, qui est Sensus delitiarum omnium amoris conjugialis Mariti; & hic Sensus est nobis in palmis, dum tangimus Maritorum nostrorum pectora, ulnas, manus aut genas, imprimis dum pectora, & quoque dum ab illis tangimur; omnes lætitiæ & amænitates cogitationum mentis illorum, & omnia gaudia & jucunda animi illorum, ac festiva & hilaria pectoris illorum, ab illis transeunt in nos, & formant se, & fiunt perceptibilia, sensibilia, tactilia, & discernimus illa tam exquisite & distincte, sicut auris discernit modulos cantus, & sicut lingua sapores lautitiarum; verbo, spirituales maritorum jucunditates induunt naturalem quasi corporaturam apud nos, quare a Maritis nostris vocamur Organa sensoria amoris casti conjugialis, & inde Delitiæ suæ: at hic sensus nostri Sexus existit, subsistit, persistit, & exaltatur in eo gradu, in quo Mariti nos ex sapientia & judicio amant, & nos vicissim illos ex iisdem in illis amamus: ille Sensus nostri Sexus vocatur in Cælis Ludus sapientiæ cum suo amore, & amoris cum sua sapientia. Ex his excitatus sum desiderio sciscitandi plura, ut de Varietate delitiarum, & dixerunt, est illa infinita: sed plura dicere non volumus, & ideo nec possumus, quia Columba fenestræ nostræ cum ramo olivæ sub pedibus avolavit; & expectavi reditum, sed incassum. Interea quæsivi Maritos, estne vobis similis amoris conjugialis sensus; & responderunt, est ille nobis in communi, & non in particulari; est nobis commune beatum, commune jucundum, & commune amænum, ex particularibus uxorum nostrarum; & hoc Commune, quod nobis est ex illis, est sicut Serenum pacis. His dictis, ecce trans fenestram apparebat Olor stans super ramo ficus, & expansit alas, & evolavit; hoc viso, dicebant Mariti, hoc nobis est signum silentii de Amore conjugiali; redi per vices, & forte plura detegentur, ac recesserunt; & abivimus.

DE CONJUNCTIONE ANIMARUM ET MENTIUM PER CONJUGIUM, QUÆ INTELLIGITUR PER DOMINI VERBA, QUOD NON AMPLIUS SINT DUO, SED UNA CARO.

156. Quod Viro & Fœminæ a Creatione indita sit Inclinatio & quoque Facultas conjunctionis sicut in unum, & quod utraque illa Viro & Fœminæ insit adhuc, constat ex Libro creationis, & simul ex Domini verbis: in Libro creationis, qui vocatur GENESIS, legitur "*Jehovah Deus ædificavit Costam, quam*

quam sumserat de homine, in Mulierem; & adduxit eam ad hominem: & dixit homo; hæc vice hac, Os de ossibus meis & Caro de carne mea; huic vocabitur nomen Ischah, quia de Isch, Viro, sumta est hæc: propterea derelinquet vir patrem suum & matrem suam, & adhærebit uxori suæ, & erunt in Carnem unam" Cap. II: 22. 23. 24. Similia etiam dixit Dominus apud Matthæum; "*Annon legistis, quod Ille qui fecit ab initio Masculum & Fæminam, dixit, propterea deseret homo patrem & matrem, & adhærebit uxori suæ, &* ERUNT DUO IN CARNEM UNAM; QUARE NON AMPLIUS DUO SUNT, SED UNA CARO" Cap. XIX: 4. 5. Ex his patet, quod Fæmina creata sit ex Viro, & quod sit utrique & Inclinatio & Facultas reuniendi se in unum; quod in Unum Hominem, patet etiam ex Libro creationis, ubi uterque simul dicitur Homo; legitur enim, *Quo die creavit Deus Hominem, masculum & fæminam creavit illos, & vocavit nomen illorum Homo*, Cap. V: 2, legitur ibi, vocavit nomen illorum Adam, sed Adam & Homo sunt una vox in lingua Hebræa: insuper uterque simul vocatur Homo, ibi Cap. I: 27. Cap. III: 22. 23. 24: per unam Carnem etiam significatur unus Homo, quod patet ex locis in Verbo, ubi dicitur Omnis Caro, per quod intelligitur Omnis Homo, ut Genes. VI: 12. 13. 17. 19. Esaj. XL: 5. 6. Cap. XLIX: 26. Cap. LXVI: 16. 23. 24. Jerem. XXV: 31. Cap. XXXII: 27. Cap. XLV: 5. Ezech. XX: 48. Cap. XXI. 4. 5; & alibi. Quid autem intelligitur per Costam viri, quæ in mulierem ædificata est, quid per Carnem quæ loco ejus inclusa est, & sic quid per Os ex ossibus meis & Caro ex carne mea, & quid per Patrem & Matrem, quos vir post conjugium relinquet, & quid per Adhærere uxori, ostensum est in ARCANIS CÆLESTIBUS, ubi duo Libri, Genesis & Exodus, quoad sensum spiritualem explicati sunt. Quod non Costa per costam, nec Caro per carnem, nec Os per os, neque Adhærere per adhærere, intellecta sint, sed Spiritualia, quæ illis correspondent, & inde per illa significantur, ibi demonstratum est; quod intellecta sint Spiritualia, quæ a duobus faciunt unum Hominem, patet ex eo, quod Amor conjugialis conjungat illos, & Amor ille est spiritualis. Quod Amor sapientiæ Viri transcriptus sit in Uxorem, supra aliquoties dictum est, & in Transactionibus, quæ hanc sequuntur, plenius confirmabitur; nunc non licet a materia hic proposita abire, & sic digredi, quæ est de Conjunctione duorum Conjugum in unam carnem per unionem animarum & mentium. Sed hæc Unio elucidabitur in hoc ordine. I. *Quod a creatione insita sit utrique Sexui facultas & inclinatio, ut possint & velint conjungi sicut in unum.* II. *Quod Amor conjugialis conjungat duas animas & inde mentes in unum.* III. *Quod Voluntas uxoris se conjungat cum Intellectu viri, & inde Intellectus viri cum Voluntate uxoris.* IV. *Quod Inclinatio ad uniendum sibi Virum sit constans & perpetua apud Uxorem, sed inconstans & alterna apud Virum.* V. *Quod conjunctio inspiretur Viro ab Uxore secundum ejus amorem, & recipiatur a Viro secundum ejus sapientiam.* VI. *Quod Conjunctio illa fiat successive a primis diebus conjugii, & apud illos, qui in Amore vere conjugiali sunt, penitius & penitius in æternum.* VII. *Quod conjunctio Uxoris cum Sapientia rationali Mariti fiat ab intra, sed cum Sapientia morali ejus ab extra.* VIII. *Quod*

propter conjunctionem illam ut finem, Uxori sit data perceptio affectionum Mariti, & quoque summa prudentia moderandi illas. IX. *Quod Uxores hanc perceptionem apud se recondant, & a maritis abscondant, propter causas quæ sunt necessitates, ut Conjugialis amor, amicitia, & confidentia, & sic beatitudo cohabitationis & felicitas vitæ, constabiliantur.* X. *Quod pſſceptio hæc sit Sapientia uxoris; quod hæc non dabilis sit apud Virum, nec quod Sapientia rationalis viri dabilis sit apud Uxorem.* XI. *Quod Uxor jugiter ex amore cogitet de Inclinatione viri ad se, animo conjungendi sibi illum; aliter Vir.* XII. *Quod Uxor conjungat se Viro per applicationes ad ejus voluntatis desideria.* XIII. *Quod Uxor conjungatur Viro suo per sphæram vitæ suæ exeuntem ex amore ejus.* XIV. *Quod Uxor conjungatur Marito per appropriationem virium virtutis ejus; sed quod hoc fiat secundum amorem mutuum spiritualem illorum.* XV. *Quod sic Uxor imaginem sui Mariti recipiat in se, & inde percipiat, videat & sentiat ejus affectiones.* XVI. *Quod sint Officia propria Viri, & Officia propria Uxoris; & quod Uxor non possit intrare in officia propria viri, nec Vir in officia propria uxoris, & illis rite fungi.* XVII. *Quod Officia illa secundum mutuum auxilium etiam conjungant duos in unum; & simul faciant unam Domum.* XVIII. *Quod Conjuges secundum conjunctiones supra dictas fiant unus Homo plus & plus.* XIX. *Quod illi, qui in Amore vere conjugiali sunt, sentiant se unitum hominem, & sicut unam carnem.* XX. *Quod Amor vere conjugialis in se spectatus, sit unio animarum, conjunctio mentium, nisus ad conjunctionem in pectoribus, & inde in corpore.* XXI. *Quod status hujus Amoris sint Innocentia, Pax, Tranquillitas, Amicitia intima, Confidentia plena, ac Desiderium animi & cordis mutuum faciendi alteri omne bonum; & ex omnibus illis Beatitudo, Faustitas, Jucunditas, Voluptas, & ex harum fruitione æterna, cælestis Felicitas.* XXII. *Quod hæc nullatenus possint dari, nisi in Conjugio unius Viri cum una Uxore.* Sequitur nunc horum Explicatio.

157. I. QUOD A CREATIONE INSITA SIT UTRIQUE SEXUI FACULTAS ET INCLINATIO, UT POSSINT ET VELINT CONJUNGI SICUT IN UNUM. Quod fæmina a viro desumpta sit, mox supra ex Libro Creationis ostensum est: quod inde sit utrique sexui facultas & inclinatio ad conjungendum se in unum, inde sequitur; id enim quod ab aliquo desumptum est, trahit & retinet ex proprio ejus, quod facit suum; quod quia homogeneum est, spirat reunitionem, & cum reunitum est, est sicut in se cum in illo, & vicissim. Quod facultas conjunctionis unius sexus cum altero sit, seu quod possint uniri, hoc nullum movet scrupulum; nec quin sit inclinatio ad conjungendum se; utrumque enim autopsica experientia docet.

158. II. QUOD AMOR CONJUGIALIS CONJUNGAT DUAS ANIMAS ET INDE MENTES IN UNUM. Unusquisque homo consistit ex Anima, Mente & Corpore; Anima est intimum ejus, Mens est medium ejus, & Corpus est ultimum; Anima quia est intimum hominis, est illa ex origine cælestis, & Mens quia est medium ejus, est ea ex origine spiritualis, & Corpus quia est ultimum, est id ex origine naturale; illa quæ ex origine cælestia sunt, & illa quæ ex origine spiritualia sunt, non sunt in spatio, sed sunt in apparentiis spatii; hoc quoque notum est in Mundo, quare dicitur, quod de Spiritualibus non prædicari

dicari possit extensum nec locus: cum itaque spatia sunt apparentiæ, etiam distantiæ & præsentiæ sunt apparentiæ; quod apparentiæ distantiarum & præsentiarum in Mundo spirituali sint secundum proximitates, propinquitates & affinitates amoris, in Opusculis de illo Mundo sæpius indigitatum & confirmatum est. Hæc dicta sunt, ut sciatur, quod Animæ & Mentes hominum non sint in spatio, sicut corpora illorum, quia illæ, ut supra dictum est, ex origine cælestes & spirituales sunt; & quia non in spatio sunt, possint conjungi sicut in unum, tametsi non simul corpora. Hoc fit imprimis inter Conjuges, qui se mutuo intime amant: sed quia fæmina est ex viro, & conjunctio illa est species reunitionis, ex ratione videri potest, quod non sit conjunctio in unum, sed adjunctio, vicina & propinqua secundum amorem, & ad contactum apud illos qui in amore vere conjugiali sunt; adjunctio hæc vocari potest cohabitatio spiritualis, quæ datur apud conjuges, qui se tenere amant, utcunque distant corpore; dantur plura documenta experientiæ etiam in Mundo naturali, quæ hæc confirmant. Ex his patet, quod Amor conjugialis conjungat duas animas & mentes in unam.

159. III. Quod Voluntas uxoris se conjungat cum Intellectu viri, et inde Intellectus viri cum Voluntate uxoris; causa est, quia Masculus nascitur ut fiat Intellectus, ac Fæmina ut fiat Voluntas amans intellectum masculi; ex quo sequitur, quod Conjunctio conjugialis sit Voluntatis uxoris cum Intellectu viri, & reciproca Intellectus viri cum Voluntate uxoris: quisque videt, quod propinquissima conjunctio sit Intellectus & Voluntatis; & quod sit talis, ut una facultas possit intrare in alteram, ac delectari ex conjunctione, & in illa.

160. IV. Quod inclinatio ad uniendum sibi virum sit constans et perpetua apud Uxorem, sed inconstans et alterna apud Virum, causa est, quia Amor non potest aliter quam amare, & se unire, ut redametur, essentia & vita ejus non aliud est; ac Fæminæ natæ sunt Amores, at Viri, cum quibus se uniant ut redamentur, sunt Receptiones. Præterea, est amor continue efficiens, est sicut calor, flamma & ignis, quæ si coercentur ne efficiant, pereunt; inde est, quod inclinatio ad uniendum sibi virum, sit constans & perpetua apud uxorem: quod autem non similis inclinatio ad uxorem sit apud virum, est quia Vir non est amor, sed modo recipiens amoris; & quia status receptionis abest & adest secundum curas quæ interpolant, secundum caloris & non caloris mutationes in mente ex variis causis, & secundum incrementa & decrementa virium in corpore, quæ quia non constanter & statis momentis redeunt, sequitur quod inclinatio ad conjunctionem illam sit apud viros inconstans & alterna.

161. V. Quod conjunctio inspiretur viro ab Uxore secundum ejus amorem, et recipiatur a Viro secundum ejus sapientiam. Quod Amor & inde conjunctio inspiretur viro ab uxore, hodie absconditum est viris, imo universaliter negatur ab illis; causa est, quod uxores persuadeant, quod solum viri ament, & ipsæ recipiant, seu quod viri sint amores, & ipsæ obedi-

obedientiæ; gaudent etiam corde, dum viri ita credunt: quod hoc illis persuadeant, sunt plures causæ, quæ omnes sunt prudentiæ & circumspectionis uxorum, de quibus aliquid in sequentibus dicetur, & in specie in Capite de Causis frigorum, separationum & divortiorum inter conjuges. Quod inspiratio seu insinuatio amoris sit viris ab uxoribus, est quia nihil amoris conjugialis, & ne quidem amoris sexus est apud viros, sed solum apud uxores & fæminas; quod ita sit, ad vivum mihi in Mundo spirituali ostensum est: „ Quondam erat sermo de hac re ibi, ac viri ex persuasione ab uxoribus instabant, quod illi ament, & non uxores, sed quod uxores amorem recipiant ab illis; ut lis hujus arcani dirimeretur, ablatæ sunt a viris omnes fæminæ una cum uxoribus, & simul cum illis ipsa sphæra amoris sexus remota est; qua remota viri in statum prorsus peregrinum, & prius nusquam perceptum, venerunt, ex quo multum conquesti sunt; tunc cum in illo erant, adductæ sunt ad illos fæminæ, & ad maritos uxores, ac hæ & illæ blande alloquebantur illos; sed ad blanditias illarum frigidi facti sunt, & averterunt se, & dixerunt inter se, quid hoc, quid fæmina; & cum quædam dicerent, quod uxores illorum essent, respondebant, quid uxor, non cognoscimus vos: at cum uxores de hac prorsus frigida indifferentia virorum inciperent indolere, & quædam lachrymare, sphæra amoris sexus fæminini, & conjugialis, quæ hactenus viris ablata fuit, restituta est; & tunc viri illico in statum priorem suum redierunt; amatores conjugii in suum, & amatores sexus in suum: sic convicti sunt Viri, quod nihil amoris conjugialis, ne quidem amoris sexus, apud illos resideat, sed solum apud uxores & fœminas: sed usque postea uxores ex prudentia sua adduxerunt viros ad credendum, quod Amor resideat apud viros, & quod aliqua scintilla ejus possit ab illis transire in se. Experientia hæc hic adducta est, ut sciatur quod uxores sint amores, & viri receptiones. Quod viri sint receptiones secundum sapientiam apud se, imprimis secundum hanc ex religione, quod sola uxor amanda sit, patet ex eo, quod dum sola uxor amatur, amor concentretur; & quia etiam nobilitatur, maneat in suo robore, consistat & persistat; & quod alioquin foret, sicut dum triticum ex horreo projicitur ad canes, unde fit domi egestas.

162. VI: Quod Conjunctio illa fiat a primis diebus conjugii successive; et quod apud illos, qui in Amore vere conjugiali sunt, penitius et penitius in æternum. Primus calor conjugii non conjungit, trahit enim ex amore sexus, qui est corporis & inde spiritus; & quod ex corpore in spiritu est, hoc non moratur diu; sed amor qui est ex spiritu in corpore, moratur: amor spiritus, & e spiritu corporis, insinuatur animabus & mentibus conjugum una cum amicitia & confidentia; cum hæ duæ cum amore primo conjugii se conjungunt, fit Amor conjugialis, qui aperit pectora, & inspirat illis amoris dulcedines; & hoc penitius & penitius, sicut illæ duæ primitivo amori se adjungunt, & ille intrat in has, & vicissim.

163. VII: Quod conjunctio uxoris cum Sapientia rationali mariti fiat ab intra, sed cum Sapientia morali ejus ab extra. Quod Sapientia apud viros sit duplex, Rationalis & Moralis; & quod Sapientia rationalis illorum

illorum sit solius intellectus, & quod Sapientia moralis illorum sit intellectus & simul vitæ, concludi & videri potest ex sola intuitione & exploratione: sed ut sciatur, quid intelligitur per Sapientiam rationalem virorum, & quid per Sapientiam moralem illorum, enumerabuntur aliqua in specie. Illa quæ Sapientiæ rationalis illorum sunt, insigniuntur variis nominibus; in genere vocantur Scientia, Intelligentia, & Sapientia; in specie autem, Rationalitas, Judicium, Ingenium, Eruditio, Sagacitas; sed quia Scientiæ sunt cuivis peculiares in suo officio, ideo sunt multifariæ; sunt enim peculiares Clericis, peculiares Personis magistratus, peculiares variis illorum Officiariis, peculiares Judicibus, peculiares Medicis & Chymicis, peculiares Militibus & Nautis, peculiares Artificibus & Operariis, peculiares Agricolis, & sic porro: ad Rationalem Sapientiam pertinent etiam omnes Scientiæ, in quas adolescentes initiantur in Scholis, & per illas postea in intelligentiam, & vocantur etiam vario nomine, ut Philosophica, Physica, Geometrica, Mechanica, Chymica, Astronomica, Juridica, Politica, Ethica, Historica, & plures, per quas, sicut per ostia, intratur in rationalia, ex quibus fit Sapientia rationalis.

164. Sapientiæ autem moralis apud viros sunt omes Virtutes morales, quæ spectant vitam, ac intrant illam; & quoque sunt Virtutes spirituales, quæ ex Amore in Deum & ex Amore erga proximum effluunt, & in illos confluunt. Virtutes, quæ ad Sapientiam moralem virorum pertinent, sunt etiam varii nominis, & vocantur Temperantia, Sobrietas, Probitas, Benevolentia, Amicitia, Modestia, Sinceritas, Officiositas, Civilitas, tum Sedulitas, Industria, Solertia, Alacritas; Munificentia, Liberalitas, Generositas, Strenuitas, Intrepiditas, Prudentia; præter plures. Virtutes spirituales apud viros, sunt Amor religionis, Charitas, Veritas, Fides, Conscientia, Innocentia, præter plures. Hæ Virtutes & illæ in genere referri possunt ad amorem & zelum pro Religione, pro Bono publico, pro Patria, pro Civibus, pro Parentibus, pro Conjuge, & pro Liberis. In his omnibus dominantur Justitia & Judicium, Justitia est Sapientiæ moralis, & Judicium est Sapientiæ rationalis.

165. Quod Conjunctio uxoris cum Sapientia rationali viri fit ab intra, est quia hæc Sapientia est propria Intellectus virorum, & scandit in lucem, in qua fœminæ non sunt; quæ causa est quod fœminæ non loquantur ex illa, sed in consortiis virorum, in quibus similia ventilantur, taceant, & modo auscultent: quod tamen usque sint apud uxores ab intra, patet ex auscultatione, quod intus recognoscant illa, & faveant illis, quæ audiunt & audiverant ex maritis. Quod autem conjunctio uxoris cum Sapientia virorum morali fit ab extra, est quia Virtutes illius sapientiæ quoad plurimam partem sunt affines similibus apud fæminas, & trahunt ex Voluntate intellectuali viri, cum qua Voluntas uxoris se unit, & facit conjugium; & quia uxor cognoscit illas apud virum, plus quam vir illas apud se, dicitur quod conjunctio uxoris cum illis fit ab extra.

166. VIII: QUOD PROPTER CONJUNCTIONEM ILLAM UT FINEM, UXORI SIT DATA PERCEPTIO AFFECTIONUM MARITI, ET QUOQUE SUMMA PRUDENTIA MODERANDI

RANDI ILLAS. Quod Uxores cognoſcant affectiones maritorum ſuorum, & quod prudenter moderentur illas, eſt quoque inter arcana amoris conjugialis apud uxores recondita; cognoſcunt illas tribus ſenſibus, viſu, auditu, & tactu, & moderantur illas in omni ignorantia maritorum ſuorum. Nunc quia illa inter arcana uxorum ſunt, non decet me aperire illa quoad circumſtantias, ſed quia decet ipſas uxores, ideo ſequuntur poſt capita quatuor MEMORABILIA, in quibus ab ipſis aperiuntur; duo ex Tribus uxoribus habitantibus in Aula, ſuper qua viſa eſt ſicut Pluvia aurea cadens; & duo a Septem uxoribus ſedentibus in Roſeto; quæ ſi leguntur, apparet hoc arcanum detectum.

167. IX: QUOD UXORES HANC PERCEPTIONEM APUD SE RECONDANT, ET A MARITIS ABSCONDANT, PROPTER CAUSAS, QUÆ SUNT NECESSITATES, UT CONJUGIALIS AMOR, AMICITIA ET CONFIDENTIA, ET SIC BEATITUDO COHABITATIONIS, ET FELICITAS VITÆ, CONSTABILIANTUR. Reconditio & abſconditio perceptionis affectionum mariti ab uxoribus vocantur Neceſſitates, quia ſi revelarentur, abalienarent maritos a toro, a cubiculo, & a domo; ratio eſt, quia plerisque viris alte inſidet frigus conjugiale ex pluribus cauſis, quæ in Capite de Cauſis frigorum, ſeparationum, & divortiorum inter conjuges, aperientur; hoc frigus, ſi uxores detegerent affectiones & inclinationes maritorum, e latibulis ſuis erumperet, ac infrigeraret primum interiora mentis, dein pectus, & inde ultima amoris, quæ generationi dicata ſunt; quibus infrigeratis amor conjugialis exularet in tantum, ut non aliqua ſpes amicitiæ, confidentiæ, & beatitudinis cohabitationis, & inde felicitatis vitæ, ſupereſſet; uxores tamen illa ſpe continue lactantur: aperire, quod ſciant affectiones & inclinationes amoris apud maritos, ſecum fert declarationem & evulgationem amoris illarum; & notum eſt, quod quantum uxores aperiunt os de illo, tantum viri frigeſcant, & cupiant ſeparationem. Ex his patet veritas hujus Articuli, quod cauſæ, propter quas uxores perceptionem ſuam apud ſe recondunt, & a maritis abſcondunt, ſint neceſſitates.

168. X: QUOD PERCEPTIO HÆC SIT SAPIENTIA UXORIS; ET QUOD HÆC NON DABILIS SIT APUD VIRUM, NEC QUOD SAPIENTIA RATIONALIS VIRI DABILIS SIT APUD UXOREM. Hoc ſequitur ex diſcrimine, quod eſt inter Maſculinum & Fœmininum; Maſculinum eſt ex intellectu percipere, & Fœmininum eſt ex amore; ac Intellectus etiam percipit illa quæ ſupra corpus, & extra mundum ſunt, viſus enim rationalis & ſpiritualis illuc vadit; at Amor non ultra id quod ſentit; dum ultra, hoc trahit ex conjunctione cum intellectu viri conſtabilita a creatione; intellectus enim eſt lucis, & amor eſt caloris, & illa quæ lucis ſunt, perſpiciuntur, & illa quæ caloris ſunt, ſentiuntur. Ex his patet, quod propter univerſale diſcrimen, quod eſt inter maſculinum & fœmininum, ſapientia uxoris non dabilis ſit apud virum, nec ſapientia viri apud uxorem: ſapientia moralis viri nec dabilis eſt apud fœminas, quantum illa trahit ex ſapientia rationali ejus.

169. XI. QUOD UXOR JUGITER COGITET DE INCLINATIONE VIRI AD SE, ANIMO CONJUNGENDI SIBI ILLUM. Hæc cohærent cum ſupra explicatis, his, quod Inclinatio ad uniendum ſibi virum ſit conſtans & perpetua apud uxorem, ſed

ſed inconſtans & alterna apud virum, quæ videantur; ex illis ſequitur, quod cogitatio uxoris continua ſit de inclinatione mariti ad ſe, animo conjungendi ſibi illum: diſcontinuatur quidem uxoris cogitatio de marito per domeſtica quæ curæ ejus ſunt, ſed uſque manet in affectione amoris ejus, & hæc ſe a cogitationibus apud fæminas non ſeparat, ſicut apud viros; ſed hæc ut relata refero; videantur duo MEMORABILIA a ſeptem Uxoribus in Roſeto ſedentibus, quæ poſt aliqua Capita ſequuntur.

170. XII: QUOD UXOR CONJUNGAT SE VIRO PER APPLICATIONES AD EJUS VOLUNTATIS DESIDERIA. Hæc inter nota familiaria ſunt, quare Explicatio horum ſuperſedetur.

171. XIII: QUOD UXOR CONJUNGATUR VIRO SUO PER SPHÆRAM VITÆ SUÆ EXEUNTEM EX AMORE EJUS. Ex unoquovis homine exit, imo exundat, Sphæra ſpiritualis ex affectionibus amoris ejus, & circumdat illum, & hæc ſe indit Sphæræ naturali, quæ eſt e corpore, & ſe conjungunt; quod Sphæra naturalis e corpore continue effluat, non modo ex homine, ſed etiam ex beſtiis, imo ex arboribus, fructibus, floribus, & quoque ex metallis, in vulgo notum eſt; in Mundo ſpirituali ſimiliter; ſed Sphæræ ex ſubjectis effluentes ibi ſunt ſpirituales, & illæ quæ ex Spiritibus & Angelis emanant, ſunt penitus ſpirituales, quia illis ſunt affectiones amoris, & inde perceptiones & cogitationes interiores; omne ſympathicum & antipathicum inde trahit ſuum ortum, & quoque omnis conjunctio & disjunctio, & ſecundum illas præſentia & abſentia ibi, homogeneum enim ſeu concors facit conjunctionem & præſentiam, ac heterogeneum & diſcors disjunctionem & abſentiam, quare illæ ſphæræ faciunt diſtantias ibi: quid ſphæræ illæ ſpirituales operantur in Mundo naturali, quibuſdam etiam notum eſt: Inclinationes conjugum inter ſe nec ex alia origine ſunt; hos Sphæræ unanimes & concordes uniunt, ac adverſæ & diſcordes diſuniunt; ſunt enim Sphæræ concordes jucundæ & gratæ, ac diſcordes injucundæ & ingratæ. Audivi ab Angelis, qui in perceptione illarum clara ſunt, quod non ſit ulla pars intus in homine, nec ulla extus, quæ ſe non renovat, quod fit per ſolutiones & reparationes, & quod inde ſit ſphæra, quæ jugi exundat: & dixerunt, quod ſphæra illa circumſtipet hominem a tergo & a pectore, ſed tenuiter a tergo, denſe autem a pectore; & quod hæc, quæ a pectore eſt, ſe conjungat cum reſpiratione; & quod exinde ſit, quod duo Conjuges, qui diſcrepant animis & diſcordant affectionibus, in toro jaceant obverſi, tergo ad tergum; & viciſſim qui animis & affectionibus concordant, converſi ad ſe mutuo. Dixerunt etiam, quod Sphæræ, quia exeunt ab omni parte hominis, & continuantur ample circum illum, non modo conjungant & disjungant duos conjuges ab extra, ſed etiam ab intra; & quod inde ſint omnes differentiæ & varietates Amoris conjugialis. Ultimo dixerunt, quod ſphæra amoris exiens ab uxore, quæ tenere amatur, in Cælo percipiatur ſicut dulciter fragrans, inſigniter amænius, quam percipitur illa in Mundo a recenti marito primis diebus poſt nuptias. Ex his patet veritas aſſerta, quod uxor conjungatur viro per Sphæram vitæ ſuæ exeuntem ex amore ejus.

172. XIV: Quod Uxor conjungatur Marito per appropriationem virium virtutis ejus; sed quod hoc fiat secundum Amorem mutuum spiritualem illorum. Quod ita sit, etiam ex ore Angelorum captavi; dixerunt, quod prolifica impensa a maritis recipiantur universim ab uxoribus, ac addant se vitæ illarum; & quod sic uxores vitam unanimam, & successive unanimiorem cum maritis ducant; & quod inde fiat effective unio animarum & conjunctio mentium: causam dixerunt hanc, quia in prolifico mariti est anima ejus, & quoque mens quad interiora ejus quæ conjuncta sunt animæ: adjecerunt, quod hoc a creatione provisum sit, ut sapientia viri, quæ facit animam ejus, appropríetur uxori, ac ut sic fiant, secundum Domini verba, una caro: tum etiam, quod hoc provisum sit, ne homo vir, post conceptionem ex quadam phantasia relinquat uxorem. Sed addiderunt, quod applicationes & appropriationes vitæ maritorum apud uxores, fiant secundum amorem conjugialem, quia amor, qui est unio spiritualis, conjungit; & quod hoc etiam provisum sit propter plures causas.

173. XV: Quod sic Uxor imaginem sui Mariti recipiat in se, et inde percipiat, videat, et sentiat ejus affectiones. Ex causis supra allatis sequitur ut testatum, quod Uxores recipiant in se illa, quæ sunt sapientiæ maritorum, ita quæ sunt propria animarum & mentium illorum, & sic faciant se ex virginibus uxores: causæ ex quibus hoc sequitur, sunt. 1. Quod fœmina creata sit ex viro. 2. Quod inde inclinatio se uniendi & sicut reuniendi cum viro insit. 3. Quod ex illa unione, & propter illam cum suo compari, fœmina nascatur amor viri, & fiat plus & plus amor ejus per conjugium, quia tunc amor impendit jugiter cogitationes suas ad conjungendum sibi virum. 4. Quod conjungatur Unico suo per applicationes ad vitæ ejus desideria. 5. Quod conjungantur per sphæras circumstipantes, ac unientes se universaliter & singulariter secundum quale amoris conjugialis apud uxores, & simul secundum quale sapientiæ recipientis illum apud maritos. 6. Quod etiam conjungantur per appropriationes virium maritorum ab uxoribus. 7. Ex quibus patet, quod jugiter aliquid mariti transcribatur in uxorem, & ei inscribatur sicut ejus. Ex his & illis consequitur, quod imago mariti formetur in uxore, ex qua imagine uxor percipit, videt & sentit illa quæ in marito sunt, in se, & inde sicut se in illo; percipit ex communicatione, videt ex aspectu, & sentit ex tactu; quod sentiat receptionem sui amoris a marito ex tactu in palmis super genis, ulnis, manibus, & pectoribus, aperuerunt mihi tres uxores in Aula, & septem in Roseto, de quibus in Memorabilibus.

174. XVI: Quod sint officia propria Viri, et officia propria Uxoris; et quod Uxor non possit intrare in officia propria viri, nec Vir in officia propria uxoris, et illis rite fungi. Quod sint Officia propria viri, & propria uxoris, non opus est illustrare per recensionem illorum, sunt enim plura & varia; & quisque scit dispescere illa in numeros secundum genera & species, modo intendat animum ad dispiciendam illa. Officia per quæ Uxores præprimis se cum Maritis conjungunt, sunt educatio-

nes

nes infantum utriusque sexus, ac puellarum usque ad ætatem, qua dantur nuptui.

175. Quod Uxor non possit intrare in Officia propria viri, & vicissim nec Vir in Officia propria uxoris, est quia differunt sicut sapientia & ejus amor, seu sicut cogitatio & ejus affectio, seu sicut intellectus & ejus voluntas; in Officiis propriis virorum primas agit intellectus, cogitatio & sapientia, in Officiis autem propriis uxorum primas agit voluntas, affectio & amor; & Uxor ex his facit sua officia, & Vir ex illis facit sua; quare Officia illorum ex sua natura sunt diversa; sed usque conjunctiva in serie successiva. Creditur a multis, quod Mulieres possint fungi officiis virorum, modo a prima ætate initientur in illa, quemadmodum pueri; sed possunt in exercitium illorum, non autem in judicium, a quo officiorum rectitudo interius dependet; quapropter illæ Mulieres, quæ in virorum officia initiatæ sunt, tenentur in rebus judicii consulere viros, & tunc ex illorum consiliis, si sui arbitrii sunt, eligunt quod favet amori suo. Autumatur etiam a quibusdam, quod Mulieres æque possint elevare aciem intellectus sui in sphæram lucis, in quam Viri, ac perspicere res in eadem ultitudine; quæ opinio inducta est illis per Scripta a quibusdam eruditis Camænis; sed hæc in Mundo spirituali in præsentia illarum explorata, inventa sunt non judicii & sapientiæ, sed ingenii & facundiæ; & illa, quæ ex his duobus procedunt, ex elegantia & concinnitate compositionis vocum apparent tanquam sublimia & erudita; sed modo coram illis, qui omnem ingeniositatem vocant sapientiam. Quod nec Viri possint intrare in officia propria mulierum, & illis rite fungi, est causa, quia non in affectiones illarum, quæ prorsus distinctæ sunt ab affectionibus virorum. Quoniam Masculini sexus affectiones & perceptiones a creatione & inde a natura ita discriminatæ sunt, ideo inter statuta apud Filios Israelis etiam fuit hoc "*Non erit vestis viri super muliere, nec vestis mulieris super viro; quia hoc abominatio.*" Deutr. XXII: 5; causa erat, quia omnes in Spirituali Mundo vestiuntur secundum suas affectiones, & binæ affectiones, mulieris & viri, non possunt uniri nisi inter duos, & nusquam in uno.

176. XVII. Quod Officia illa secundum mutuum auxilium etiam conjungant duos in unum; et simul faciant unam domum. Quod Mariti officia aliqua ratione se conjungant cum officiis uxoris, & quod officia Uxoris se adjungant officiis mariti, & quod conjunctiones & adjunctiones illæ sint mutuum auxilium, & secundum illud, inter nota in Mundo sunt; at Primaria quæ confæderant, consociant, & in unum congregant animas & vitas duorum conjugum, est communis cura educandi liberos; circa quam Officia mariti & Officia uxoris se distingvunt & simul conjungunt; se distingvunt, quia cura lactationis & educationis infantum utriusque sexus, & quoque instructionis puellarum usque ad ætatem illarum dum addicantur & associantur viris, est proprii officii uxoris; at cura instructionis puerorum, post pueritiam ad ephebatum, & post illum usque dum suæ potestatis fiunt, est proprii officii mariti; conjungunt autem se per consilia, & sustentationes, & per plura alia auxilia mutua. Quod Officia illa tam conjuncta quam distincta, seu

tam communia quam propria, colligent animos conjugum in unum, & quod Amor ſtorge vocatus id efficiat, notum eſt: quod Officia illa in ſua diſtinctione & conjunctione ſpectata, faciant unam Domum, etiam notum eſt.

177. XVIII. QUOD CONJUGES SECUNDUM CONJUNCTIONES SUPRADICTAS FIANT UNUS HOMO PLUS ET PLUS. Hæc coincidunt cum contentis Articuli VIti, ubi explicatum eſt, quod Conjunctio fiat a primis diebus Conjugii ſucceſſive; & quod apud illos, qui in Amore vere conjugiali ſunt, penitius & penitius in æternum, quæ videantur: fiunt unus homo ſecundum incrementum Amoris conjugialis: & quia ille Amor in Cælis eſt genuinus ex cæleſti & ſpirituali Angelorum vita, ideo duo Conjuges ibi vocantur duo, cum nominantur Maritus & Uxor, ſed unus cum nominantur Angeli.

178 XIX. QUOD ILLI, QUI IN AMORE VERE CONJUGIALI SUNT, SENTIANT SE UNITUM HOMINEM, ET SICUT UNAM CARNEM. Quod ita ſit, non ex ore alicujus terricolæ, ſed ex oribus cælicolarum, confirmandum eſt, quoniam apud homines in terris hodie non datur Amor vere conjugialis; & inſuper circumvelati ſunt craſſo corpore, quod hebetat & abſorbet ſenſationem, quod duo conjuges ſint unitus homo, & ſicut una caro; & præterea illi in Mundo, qui modo exterius & non interius amant conjuges, non volunt hoc audire; cogitant etiam de hoc ex carne laſcive: aliter apud Angelos Cæli, hi quia in ſpirituali & cæleſti amore conjugiali ſunt, & non circumvelati tam craſſo corpore ſicut homines telluris: ex illis, qui per ſæcula cum conjugibus ſuis in Cælo vixerant, teſtatum audivi, quod ſentiant ſe ita unitos, maritus ſe cum uxore & uxor ſe cum marito, & ſe in altero ſeu in altera mutuo & viciſſim, ſicut etiam in carne, tametſi ſeparati. Cauſam hujus rari phænomeni in terris dixerunt hanc, quod unitio animarum & mentium illorum ſentiatur in carne illorum, quia Anima non ſolum facit intima capitis, ſed etiam intima corporis; ſimiliter Mens, quæ eſt media inter animam & corpus; quæ tametſi apparet in capite, uſque eſt etiam actualiter in toto corpore; & dixerunt, quod inde ſit, quod actus fluant in inſtanti e corpore, quos anima & mens intendunt; tum quod inde ſit, quod ipſi poſt rejectionem corporis in priori Mundo, ſint perfecti homines: nunc quia Anima & Mens ſe arcte adjungunt Carni corporis, ut operentur & efficiant effectus ſuos, ſequitur quod unitio animæ & mentis cum conjuge ſentiatur etiam in corpore ſicut una caro. Cum hæc dicta ſunt ab Angelis, audivi ex ſpiritibus qui adſtabant, quod illa ſint ſapientiæ angelicæ, quæ tranſcendunt; ſed ſpiritus illi rationales naturales, & non rationales ſpirituales, erant.

179. XX: QUOD AMOR VERE CONJUGIALIS IN SE SPECTATUS, SIT UNIO ANIMARUM, CONJUNCTIO MENTIUM, NISUS AD CONJUNCTIONEN IN PECTORIBUS, ET INDE IN CORPORE. Quod ſit unio animarum, & conjunctio mentium, videatur ſupra n. 158. Quod ſit niſus ad conjunctionem in pectoribus, eſt quia Pectus eſt Forum conventus, & ſicut Curia regia, & Corpus ſicut urbs populoſa circum illud: quod Pectus ſit ſicut Forum conventus, eſt quia omnia quæ ab anima & mente determinantur in corpus, primum in Pectus influunt: quod ſit ſicut Curia regia, eſt quia ibi eſt dominium ſuper omnia corporis,

ſunt

sunt enim ibi Cor & Pulmo, & Cor regnat per sanguinem, & Pulmo per respirationem ubivis; quod Corpus sit sicut Urbs populosa circum illa, patet. Cum itaque Animæ & Mentes conjugum unitæ sunt, & amor vere conjugialis unit illas, sequitur quod amabilis illa unio influat in illorum pectora, & per hæc in illorum corpora, & causetur nisum ad conjunctionem; & eo plus quia amor conjugialis determinat nisum ad ultima sua, ad complendum faustas amœnitates suas; & quia pectus est in bivio, patet unde est, quod amor conjugialis sedem sensus delicati sui ibi nactus sit.

180. XXI: QUOD STATUS HUJUS AMORIS SINT INNOCENTIA, PAX, TRANQUILLITAS, AMICITIA INTIMA, CONFIDENTIA PLENA, DESIDERIUM ANIMI ET CORDIS MUTUUM FACIENDI ALTERI OMNE BONUM; ET EX OMNIBUS ILLIS BEATITUDO, FAUSTITAS, JUCUNDITAS, VOLUPTAS, ET EX HARUM FRUITIONE ÆTERNA CÆLESTIS FELICITAS. Causa, quod hæc & illa sint in Amore conjugiali, & inde ex illo, est quia origo ejus est ex Conjugio boni & veri, & hoc conjugium est a Domino; & quia Amor talis est, ut velit cum altero, quem ex corde amat, communicare, imo in illum conferre gaudia, & exinde ipse captare sua; infinite itaque plus Divinus Amor, qui in Domino est, in hominem; quem creavit Receptaculum & Amoris & Sapientiæ a Se procedentium; & quia creavit in illorum receptionem, Virum in receptionem sapientiæ, Fæminam in receptionem amoris sapientiæ viri, ideo ab intimis infudit hominibus Amorem conjugialem, in quem conferre posset omnia beata, fausta, jucunda, & volupia, quæ unice ex Divino Amore per Divinam Sapientiam Ipsius una cum vita procedunt, & influunt; consequenter in illos, qui in Amore vere conjugiali sunt, quia hi soli sunt recipientes. Nominantur Innocentia, Pax, Tranquillitas, Amicitia intima, Confidentia plena, & Desiderium animi & cordis mutuum faciendi alteri omne bonum, quoniam Innocentia & Pax sunt animæ, Tranquillitas est mentis, Amicitia intima est pectoris, Confidentia plena est cordis, & Desiderium animi & cordis mutuum faciendi alteri omne bonum est corporis ex illis.

181. XXII: QUOD HÆC NULLATENUS POSSINT DARI, NISI IN CONJUGIO UNIUS VIRI CUM UNA UXORE. Est Conclusum ex omnibus illis, quæ hactenus dicta sunt; & quoque fit Conclusum ex omnibus illis, quæ posthac dicenda sunt; quare ad illud confirmandum peculiari commentatione non opus est.

182. His adjicientur DUO MEMORABILIA; PRIMUM hoc. Post aliquot Septimanas audivi vocem e Cælo dicentem, en iterum Conventus in Parnassio, accede, monstrabimus viam; accessi, & cum prope eram, vidi quendam super Heliconeo cum tuba, qua annuntiavit & indixit Conventum. Et vidi ex Urbe Athenæo & confiniis ejus ascendentes ut prius, & in medio illorum tres Novitios e Mundo; erant illi tres ex Christianis, unus Sacerdos, alter Politicus, & tertius Philosophus; hos in via vario sermone oblectabant, imprimis V. R. n. 493.

 de

de Sapientibus Antiquis, quos nominabant; quæsiverunt num illos visuri sint, dixerunt quod visuri, & si vellent, salutaturi, quoniam sunt affabiles; quæsiverunt de Demosthene, Diogene & Epicuro, dixerunt, Demosthenes non hic est, sed apud Platonem, Diogenes cum suis scholaribus sub Heliconeo commoratur, ex causa quia mundana sicut nihili reputat, & modo cælestia animo volvit; Epicurus ad occidentem in termino habitat, nec intrat ad nos, quia nos distinguimus inter affectiones bonas & affectiones malas, & dicimus affectiones bonas una esse cum sapientia, & affectiones malas esse contra sapientiam. Quando ascenderunt collem Parnassium, aliqui custodes ibi apportabant aquam ex fonte ibi in schyphis chrystallinis, & dicebant, est aqua ex fonte, de quo vetusti confabulati sunt, quod perruptus sit ab ungula Equi Pegasi, & postea consecratus novem Virginibus; at per Equum alatum Pegasum, intellexerunt Intellectum veri per quem sapientia; per ungulas pedis ejus, intellexerunt experientias per quas intelligentia naturalis, & per novem Virgines, intellexerunt cognitiones & scientias omnis generis; hæc vocantur hodie Fabulæ, sed fuerunt Correspondentiæ, ex quibus Primævi loquuti sunt: comites dixerunt ad tres Advenas, ne miremini, custodes ita loqui instructi sunt, & nos per bibere aquam ex fonte intelligimus instrui de veris, & per vera de bonis, & sic sapere. Post hæc intraverunt Palladium, & cum illis tres Novitii e Mundo, Sacerdos, Politicus, & Philosophus; & tunc Laureati, qui sedebant ad mensas, quæsiverunt, QUID NOVI E TERRA; & responderunt, hoc novum est, quod quidam perhibeat se loqui cum Angelis, ac visum habere apertum in Mundum spiritualem, æque sicut apertum habet in Mundum naturalem, & ille nova inde affert plura, inter quæ sunt hæc; quod homo vivat homo post mortem, sicut vixit prius in Mundo; quod videat, audiat, loquatur sicut prius in Mundo; quod vestiatur & ornetur sicut prius in Mundo; quod esuriat & sitiat, edat & bibat, sicut prius in Mundo; quod delitio conjugiali fruatur sicut prius in Mundo; quod dormiat & evigilet sicut prius in Mundo; quod ibi sint terræ & lacus, montes & colles, planities & valles, fontes & fluvii, paradisi & luci; tum quod ibi sint palatia & domus, ac urbes & villæ, sicut in Mundo naturali; ut & quod sint scripturæ & libri, & quod sint functiones & negotiationes, tum lapides pretiosi, aurum & argentum; verbo quod ibi sint omnia & singula quæ in terris, & illa in Cælis infinite perfectiora, cum sola differentia, quod omnia quæ in Mundo spirituali sunt, ex origine spirituali sint, & inde spiritualia, quia sunt ex Sole ibi qui est purus amor; & quod omnia quæ in Mundo naturali sunt, ex origine naturali sint, & inde naturalia & materialia, quia sunt ex Sole ibi qui est purus ignis; verbo, quod homo post mortem sit perfecte homo, imo perfectius homo quam prius in Mundo; prius enim in Mundo fuit in corpore materiali, in hoc autem est in corpore spirituali. His dictis, quæsiverunt Sapientes antiqui, quid de illis cogitant in terra; dixerunt illi tres, nos scimus quod vera sint, quia hic sumus, ac lustravimus & exploravimus omnia, quare dicemus quid de illis loquuti & ratiocinati sunt in terra: & tunc SACERDOS dixit, quod illi qui ex nostro ordine sunt, primum dum audiverunt illa, vocave-

caverint visiones, dein commenta, postea quod viderit larvas, & demum hæserint, & dixerint, crede si vis: nos hactenus docuimus, quod homo non futurus sit in corpore post mortem, prius quam die ultimi judicii: & quæsiverunt, annon aliqui Intelligentes inter illos sint, qui possunt demonstrare & convincere illos de veritate, quod homo vivat homo post mortem; dixit Sacerdos, quod sint qui demonstrant, sed non convincunt; illi qui demonstrant, dicunt, quod contra sanam rationem sit credere, quod homo non vivat homo nisi quam die ultimi Judicii, & quod interea sit Anima absque corpore; quid Anima, & ubi illa interea, num halitus, aut aliquid venti volitans in aere, vel ens reconditum in medio terræ, ubi est Pu ejus: num animæ Adami & Evæ, & omnium post illos, nunc per sex millia annorum seu sexaginta sæcula adhuc volitent in universo, aut teneantur inclusæ in meditullio terræ, & exspectent ultimum judicium; quid anxius & miserabilius tali exspectatione, nonne sors illorum potest comparari sorti vinctorum catenis & pedicis in carceribus; annon si talis sors homini post mortem foret, satius foret nasci asinus quam homo; numne etiam contra rationem est credere, quod anima possit reindui suo corpore, estne corpus exesum a vermibus, muribus, & piscibus; ac isti novo corpori induci sceleton osseum exustum sole, vel dilapsum in pulverem; quomodo cadaverosa & putida illa colligentur, & animabus unientur. Sed ad talia, cum audiunt, non quicquam ex ratione respondent, sed inhærent fidei suæ, inquientes, captamus rationem sub obedientia fidei; ad collectionem omnium ex sepulchris die ultimi Judicii, dicunt, hoc Omnipotentiæ opus est, & cum nominant Omnipotentiam & Fidem, exulat ratio, & possum dicere, quod tunc sana ratio sit sicut nihil, & quibusdam sicut spectrum; imo possunt dicere ad sanam rationem, insanis. His auditis dixerunt Sapientes Græciæ, nonne illa paradoxa sicut contradictoria dissipantur a seipsis, & tamen hodie in Mundo non dissipari possunt a sana ratione; quid paradoxius credi potest quam id quod narratur de Ultimo Judicio, quod tunc Universum periturum sit, & quod tunc Stellæ cæli delapsuræ sint super terram, quæ minor stellis est; & quod corpora hominum tunc vel cadavera, vel mumia ab hominibus exesa, vel flocci, coalitura sint cum suis animabus; nos dum fuimus in Mundo, credidimus immortalitatem animarum hominum, ex inductionibus quas ratio nobis subministravit, & quoque designavimus pro beatis loca, quæ vocavimus Campos Elysios, & credidimus illas esse effigies seu species humanas, sed tenues quia spirituales. Postquam hæc dicta sunt, converterunt se ad alterum Advenam, qui in Mundo fuerat Politicus; hic confessus est, quod non crediderit vitam post mortem; & quod cogitaverit de novis quæ audiverat de illa, quod essent figmenta & inventa; meditans de illa dixi, quomodo possunt animæ corpora esse, annon omne hominis jacet mortuum in sepulchro, estne oculus ibi, quomodo potest videre, estne auris ibi quomodo potest audire, unde illi os quo loquatur; si aliquid hominis viveret post mortem, num foret id aliud quam simile larvæ, quomodo potest larva edere & bibere, & quomodo potest delitio conjugiali frui, unde ei vestes, domus, cibi, & sic porro; & larvæ, quæ sunt effigies aereæ, apparent sicut

cut sint, & tamen non sunt: hæc & similia de vita hominum post mortem cogitavi in Mundo; at nunc cum vidi omnia, ac tetigi manibus meis omnia, convictus sum per ipsos sensus, quod sim homo sicut in Mundo, adeo ut non sciam aliud, quam quod vivam sicut vixi, cum differentia, quod ratio nunc mihi sanior sit; aliquoties puduit me cogitationum priorum. Similia de se narravit PHILOSOPHUS; attamen cum hac differentia, quod retulerit nova illa, quæ audiverat de vita post mortem, inter opiniones & hypotheses, quas ex Antiquis & Hodiernis collegerat. His auditis obstupuerunt Sophi; & illi qui e Schola Socratica erant, dixerunt, quod ex Novis his e terris percipiant, quod interiora mentium humanarum successive occlusa sint, & quod nunc in Mundo fides falsi luceat sicut veritas, ac ingeniositas fatua sicut sapientia, & quod lux sapientiæ a nostris temporibus se demiserit ab interioribus Cerebri in os sub nasum, ubi illa coram oculis apparet sicut splendor labri, ac loquela oris inde sicut sapientia. His auditis quidam ex tyronibus ibi dixit, & quam stupidæ mentes terricolarum hodie; utinam adessent discipuli Heracliti & Democriti, qui rident ad omnia, & qui flent ad omnia, & audiremus magnum risum & magnum fletum. Postquam peractus est hic conventus, dederunt tribus Novitiis e terra suæ ditionis insignia, quæ erant lamellæ cupreæ, super quibus aliqua Hieroglyphica exarata sunt, cum quibus abiverunt,

183. Alterum MEMORABILE. Apparuit mihi in plaga orientali Lucus ex palmis & lauribus in helicum gyros positis, accessi & intravi, & ambulavi vias circumductas in aliquos gyros, & in fine viarum vidi Hortum, qui faciebat meditullium Luci; erat ponticulus qui distinxit, & ibi porta a parte Luci, & porta a parte Horti; accessi, & portæ aperiebantur a custode; quæsivi illum, quid nomen Horti, & dixit, ADRAMANDONI, quod est delitium amoris conjugialis: intravi, & ecce oleæ, ac inter oleam & oleam currentes & pensiles vites, & sub illis & inter illas arbusta in floribus; in medio ejus erat Circus gramineus, super quo sedebant Mariti & Uxores, ac Juvenes & Virgines, paria & paria, & in medio Circi humus elevata, ubi fonticulus ex fortitudine venæ saliens in altum. Cum prope Circum eram, vidi duos Angelos in purpura & coccino, qui cum sedentibus super gramine loquebantur, & loquebantur de Origine Amoris conjugialis, & de ejus delitiis; & quia loquela de amore illo fuit, erat attentio avida, & receptio plena, & inde exaltatio sicut ex igne amoris in sermone Angelorum. Collegi in summam hæc e loquela illorum; præfati sunt de difficili investigatione, & de difficili perceptione originis amoris conjugialis, quia Origo ejus est Divina cælestis, est enim Divinus Amor, Divina Sapientia, & Divinus Usus, quæ Tria ut unum a Domino procedunt, & inde ut unum influunt in animas hominum, & per animas in mentes illorum, & ibi in interiores affectiones & cogitationis, per has in desideria propinqua corpori, & ex his per Pectus in Regionem genitalem, ubi omnia derivata a prima origine, simul sunt, & una cum successivis faciunt amorem conjugialem. Post hæc Angeli dixerunt, sit commercium sermonis per interrogationes & responsa, quoniam perceptio rei hausta ex sola auditione quidem influit, sed non manet, nisi audiens etiam cogitet de

illa

illa ex se, ac interroget. Tunc quidam ex Conjugiali illo Cætu dixerunt ad Angelos, audivimus, quod Origo amoris conjugialis sit Divina cælestis, quia est ex influxu in animas hominum a Domino; & quia a Domino, quod sint Amor, Sapientia, & Usus, quæ sunt tria Essentialia, quæ simul faciunt unam Essentiam Divinam, & quod non aliud possit quam id quod est Essentiæ Divinæ ab Ipso procedere, ac in intimum hominis, quod vocatur ejus Anima, influere; & quod illa tria vertantur in analoga & correspondentia in descensu in corpus; interrogamus itaque nunc primum, quid intelligitur per tertium Essentiale procedens Divinum, quod dictum est Usus; responderunt Angeli, quod Amor & Sapientia absque Usu sint modo ideæ cogitationis abstractæ, quæ etiam post aliquam moram in mente transeunt sicut venti; at illa duo colliguntur in Usu, & ibi fiunt unum, quod vocatur reale; non potest amor quiescere nisi faciat, est enim Amor ipsum vitæ activum, nec potest sapientia existere & subsistere, nisi ex amore & cum illo quando facit, ac facere est usus; quare definimus usum, quod sit facere bonum ex amore per sapientiam, Usus est ipsum Bonum. Quoniam illa tria, Amor, Sapientia, & Usus influunt in animas hominum, constare potest, unde est quod dicatur, quod omne bonum sit a Deo, omne enim factum ex amore per sapientiam vocatur bonum, & usus est quoque factum: quid amor absque sapientia, nisi quoddam fatuum, & quid amor cum sapientia absque usu, nisi flatus mentis; at vero amor & sapientia cum usu non modo faciunt hominem, sed etiam sunt homo; imo, quod forte mirabimini, propagant hominem, nam in semine viri est ejus anima in perfecta forma humana, obvelata substantiis ex purissimis naturæ, ex quibus formatur corpus in utero matris; hic Usus est Usus supremus ac ultimus Divini Amoris per Divinam Sapientiam. Tandem dixerunt Angeli, hoc erit Conclusum, quod omnis fructificatio, omnis propagatio, & omnis prolificatio sit originitus ex influxu amoris, sapientiæ & usus a Domino, ex influxu immediato a Domino in Animas hominum, ex influxu mediato in animas animalium, & ex influxu adhuc mediato in intima vegetabilium; & omnia hæc fiunt in ultimis a primis. Quod fructificationes, propagationes, & prolificationes sint continuationes creationis, patet; creatio enim non potest aliunde esse, quam ex Divino Amore per Divinam Sapientiam in Divino Usu, quare omnia in universo ex usu, in usu, & ad usum, procreantur & formantur. Postea sedentes super toris gramineis interrogaverunt Angelos, unde sunt Delitiæ amoris conjugialis, quæ sunt innumerabiles & ineffabiles; responderunt Angeli, quod sint ex Usibus amoris & sapientiæ; & quod hoc videri possit ex eo, quod quantum quis amat sapere propter genuinum usum, tantum in amoris conjugialis vena & potentia sit, & quantum in his duabus est, tantum in delitiis sit; usus hoc facit, quia amor per sapientiam inter se delitiantur, & quasi ludunt sicut infantes; & prout adolescunt, genialiter conjungunt se; quod fit quasi per desponsationes, nuptias, conjugia, & propagationes; & hæc continue cum varietate in æternum: hæc fiunt inter amorem & sapientiam intus in usu; at delitiæ illæ in principiis suis sunt imperceptibiles, sed fiunt perceptibiles plus & plus, sicut inde per gradus descendunt

& intrant corpus; intrant per gradus ab anima in interiora mentis hominis, & ab his in exteriora ejus, & ex his in ſinum pectoralem, & ex hoc in regionem genitalem; ac cæleſtes illi ludi nuptiales in Anima ne hilum ab homine percipiuntur, at inde in interiora mentis ſub ſpecie pacis & innocentiæ ſe inſinuant, & in exteriora mentis ſub ſpecie beatitudinis, fauſtitatis & jucunditatis, in ſinu autem pectorali ſub ſpecie delitiarum amicitiæ intimæ, & in regione genitali ex influxu continuo uſque ab anima cum ipſo ſenſu amoris conjugialis, ut delitium delitiarum; illi ludi nuptiales amoris & ſapientiæ in uſu in Anima in procedendo verſus ſinum perctoralem permanent, & ſe in ſinu illo ſub infinita varietate delitiarum ſe ſenſibiles ſiſtunt, & propter ſinus pectoralis mirabilem communicationem cum regione genitali, fiunt delitiæ ibi delitiæ amoris conjugialis, quæ ſuper omnes delitias, quæ in Cælo & in Mundo dantur, exaltatæ ſunt, ex cauſa, quia Uſus amoris conjugialis eſt omnium uſuum præſtantiſſimus, eſt enim inde procreatio Generis humani, & ex Genere humano Cælum angelicum. His addiderunt Angeli, quod illi qui non in amore ſapiendi propter Uſum a Domino ſunt, non ſciant aliquid de varietate delitiarum innumerabilium, quæ ſunt amoris vere conjugialis; apud illos enim, qui non amant ſapere ex genuinis veris, ſed amant inſanire ex falſis, & per hanc inſaniam ex aliquo amore faciunt uſus malos, via ad animam clauſa eſt; inde eſt, quod cæleſtes nuptiales ludi amoris & ſapientiæ in anima plus & plus intercepti ceſſent; & una cum illis amor conjugialis cum ejus vena, potentia, & delitiis. Ad hæc dixerunt audientes, quod percipiant, quod Amor conjugialis ſit ſecundum amorem ſapiendi propter uſus a Domino; reſponderunt Angeli quod ita: & tunc ſuper quorundam capitibus apparebant corollæ ex floribus; & quæſiverunt, cur hoc, dixerunt Angeli, quia profundius intellexerunt; & tunc ex horto abiverunt, & hi in medio illorum.

DE MUTATIONE STATUS VITÆ APUD VIROS ET APUD FÆMINAS PER CONJUGIUM.

184. Quid per ſtatus vitæ, & per mutationes illorum intelligitur, notiſſimum eſt Eruditis & Sapientibus, at ignotum ineruditis & ſimplicibus, quare aliquid de eo præfandum eſt. Status vitæ hominis eſt Qualitas ejus; & quia duæ facultates, quæ faciunt vitam, cuivis homini inſunt, quæ vocantur Intellectus & Voluntas, eſt ſtatus vitæ hominis qualitas ejus quoad Intellectum & Voluntatem; inde patet, quod per Mutationes ſtatus vitæ intelligantur mutationes qualitatis quoad illa quæ Intellectus ſunt & quoad illa quæ Voluntatis. Quod omnis homo quoad illa duo mutetur continue, ſed cum diſcrimine varietatum ante conjugium, & poſt conjugium, in hac Tranſactione demonſtrare ſuſcipitur; quod fiet in hoc ordine: I. *Quod Status vitæ hominis ab infantia uſque ad finem vitæ, & poſtea in æternum, continue mutetur.* II. *Quod ſimiliter Forma interna, quæ eſt Spiritus ejus.* III. *Quod hæ Mutationes aliæ ſint apud Viros, & aliæ apud Fæminas, quoniam Viri a creatione ſunt Formæ ſcientiæ, intelligentiæ & ſapientiæ, Fæminæ Formæ amoris illarum apud viros.*

viros. IV. *Quod apud Viros sit elevatio mentis in superiorem lucem, & quod apud Fœminas sit elevatio mentis in superiorem calorem; & quod Fœmina sentiat delitias sui caloris in luce Viri.* V. *Quod Status vitæ alii sint viris & fœminis ante Conjugium, & alii post Conjugium.* VI. *Quod Status vitæ post conjugium apud conjuges mutentur & succedant secundum conjunctiones mentium illorum per amorem conjugialem.* VII. *Quod Conjugia etiam inducant animabus & mentibus Conjugum alias formas.* VIII. *Quod Fœmina actualiter formetur in Uxorem viri secundum descriptionem in Libro creationis.* IX. *Quod Formatio illa fiat ab Uxore modis arcanis, & quod hoc intelligatur per quod fœmina creata sit dormiente viro.* X. *Quod Formatio illa ab Uxore fiat per conjunctionem suæ voluntatis cum interna viri.* XI. *Propter finem, ut utriusque Voluntas fiat una, & sic ambo unus Homo.* XII. *Quod Formatio illa ab Uxore fiat per appropriationem affectionum Mariti.* XIII. *Quod Formatio illa ab Uxore fiat per receptionem propagationum animæ Mariti cum delitio oriundo ex eo, quod velit esse sapientiæ sui mariti Amor.* XIV. *Quod sic formetur Virgo in Uxorem, & Juvenis in Maritum.* XV. *Quod in Conjugio unius viri cum una uxore, inter quos est Amor vere conjugialis, Uxor fiat plus & plus uxor, & Maritus plus & plus maritus.* XVI. *Quod etiam ita successive ab interiori perficiantur & nobilitentur illorum formæ.* XVII. *Quod Proles natæ a duobus, qui in Amore vere conjugiali sunt, trahant a parentibus Conjugiale boni & veri, ex quo illis est Inclinatio & Facultas, si filius, ad percipiendum illa quæ sapientiæ sunt, si filia, ad amandum illa quæ sapientia docet.* XVIII. *Quod ita fiat, quia anima prolis est a Patre, & induitio ejus a Matre.* Sequitur nunc horum Explicatio.

185. I. Quod Status vitæ hominis ab Infantia usque ad finem vitæ, et postea in æternum, continue mutetur. Communes Status vitæ hominis vocantur Infantia, Pueritia, Adolescentia, Juventus, & Senectus; quod unusquisque homo, cujus vita continuatur in Mundo, successive transeat ab una in alteram, ita a prima ad ultimam, notum est; transitiones in illas ætatates non apparent, nisi per interjecta spatia temporis; quod tamen progressivæ sint a momentis in momenta, ita continue, ratio videt; simile enim est cum homine, sicut cum arbore, quæ omni spatiolo temporis, etiam minutissimo, a semine jacto in terram, crescit & succrescit: momentaneæ hæ progressiones sunt etiam mutationes status, addit enim sequens antecedenti aliquid, quod statum perficit. Mutationes quæ fiunt in Internis hominis, sunt perfectius continuæ, quam illæ quæ fiunt in Externis ejus; causa est, quia Interna hominis, per quæ intelliguntur illa quæ Mentis seu Spiritus ejus sunt, in gradu superiori elevata super Externa sunt, & in illis, quæ in gradu superiori sunt, fiunt millia eodem minuto, quo in Externis fit unicum. Mutationes, quæ fiunt in Internis, sunt Mutationes status voluntatis quoad affectiones, & mutationes status intellectus quoad cogitationes; harum & illarum status mutationes successivæ in specie in Propositione intelliguntur. Quod Mutationes status duarum illarum vitarum seu facultatum perpetuæ sint ab Infantia apud hominem usque ad finem vitæ ejus, & postea in æternum, est causa, quia non datur finis scientiæ, minus intelligentiæ, & adhuc minus sapientiæ;

 entiæ;

entiæ; eſt enim infinitas ac æternitas in amplitudine illarum ex Infinito ac Æterno, a Quo ſunt: inde eſt hoc philoſophicum Veterum, quod omne ſit diviſibile in infinitum, cui adjiciendum eſt, quod ſimiliter ſit multiplicabile: Angeli aſſerunt, quod a Domino perficiantur ſapientia in æternum, quod etiam eſt in infinitum, quia æternum eſt infinitum temporis.

186. II. Quod similiter Forma interna hominis, quæ est spiritus ejus. Quod hæc continue mutetur ſicut ſtatus vitæ hominis mutatur, eſt quia non datur quicquam niſi in forma, & ſtatus inducit illam; quare idem eſt, ſive dicatur, quod ſtatus vitæ hominis mutetur, ſive dicatur quod forma ejus: omnes affectiones & cogitationes hominis ſunt in formis, & inde ex formis, nam formæ ſunt ſubjecta illarum; affectiones & cogitationes ſi non forent in ſubjectis, quæ formata ſunt, darentur etiam in craniis a cerebro vacuis; quod ſimile foret ſicut cum viſu abſque oculo, cum auditu abſque aure, & cum guſtu abſque lingua; quod ſubjecta horum ſenſuum ſint, & hæc formæ, notum eſt. Quod continue mutetur ſtatus vitæ, & inde forma apud hominem, eſt, quia veritas eſt, quam ſapientes docuerunt & adhuc docent, quod non detur Idem, ſeu abſoluta identitas duorum, minus plurium; ſicut non duæ facies, minus plures hominum; ſimile eſt in ſucceſſivis, quod non detur idem ſtatus vitæ ſequens cum præterito; ex quo fluit, quod perpetua ſit mutatio ſtatus vitæ apud hominem, proinde etiam perpetua mutatio formæ, imprimis Internorum ejus. At quia hæc non docent aliquid de Conjugiis, ſed modo parant viam ad cognitiones de illis, tum quia ſunt modo ſcrutinia ex intellectu philoſophica, quæ quibuſdam arduæ perceptionis ſunt, ideo poſt hæc pauca tranſeuntur.

187. III. Quod hæ mutationes aliæ sint aput Viros, aliæ apud Fæminas, quoniam Viri a creatione sunt Formæ scientiæ, intelligentiæ et sapientiæ, Fæminæ, formæ amoris illarum apud viros. Quod Viri creati ſint Formæ intellectus, & quod Fæminæ creatæ ſint Formæ amoris intellectus virorum, explanatum ſupra n. 90. videatur. Quod mutationes ſtatus, quæ ſuccedunt apud illum & illam ab ætate infantili ad maturam, ſint ad integrandum formas, intellectualem apud viros, & voluntariam apud fæminas, ſequitur; inde cluit, quod aliæ mutationes ſint apud viros, & aliæ apud fæminas; apud utroſque tamen integratur forma externa quæ eſt corporis ſecundum integrationem formæ internæ, quæ eſt mentis; agit enim mens in corpus, & non viciſſim; quæ cauſa eſt, quod Infantes in Cælo fiant homines ſtaturæ & decoris ſecundum incrementa intelligentiæ apud illos, aliter quam Infantes in terris, quia hi corpore materiali, ſicut animalia, ſunt circuminduti; conveniunt tamen in eo, quod primum creſcant inclinatione ad talia, quæ adblandiuntur ſenſibus corporis illorum, & poſtea pedetentim ad talia quæ afficiunt ſenſum internum cogitativum, & a gradu in gradum ad talia quæ voluntatem imbuunt affectione; & cum ætas in bivio eſt inter maturam & immaturam, accedit inclinatio conjugialis; quæ eſt virginis ad juvenem, & juvenis ad virginem; & quia virgines in Cælis æque ut in terris, ex innata prudentia inclinationes ſuas ad conjugia celant, juvenes ibi nec ſciunt aliter,

quam

quam quod illi afficiant virgines amore, & hoc quoque apparet illis ex incitatione masculina; sed hæc illis etiam est ex influxu amoris e Sexu pulchro, de quo influxu alibi ex professo dicetur. Ex his constat veritas Propositionis, quod mutationes status aliæ sint apud viros, & aliæ apud fæminas, quoniam viri a creatione sunt formæ scientiæ, intelligentiæ & sapientiæ, & fæminæ formæ amoris illarum apud viros.

188. IV. Quod apud Viros sit elevatio mentis in superiorem lucem, et quod apud Fæminas sit elevatio mentis in superiorem calorem; et quod Fæmina sentiat delitias sui caloris in luce viri. Per lucem, in quam elevantur viri, intelligitur intelligentia & sapientia, quia Lux spiritualis, quæ procedit e Sole Mundi spiritualis, qui in sua essentia est Amor, æquum seu unum agit cum duabus illis; & per calorem, in quem fæminæ elevantur, intelligitur amor conjugialis, quia Calor spiritualis, qui procedit ab illius Mundi Sole, in sua essentia est amor, & apud fæminas amor conjungens se cum intelligentia & sapientia apud viros, qui in suo complexu vocatur Amor conjugialis, & per determinationem fit ille amor. Dicitur elevatio in superiorem lucem & calorem, quia est elevatio in lucem & calorem, in quibus sunt angeli cælorum superiorum; est quoque actualis elevatio sicut a nimbo in aerem, & ex hujus regione inferiore in superiorem, & ab hac in ætherem; quare elevatio in lucem superiorem apud viros, est elevatio in intelligentiam superiorem, & ab hac in sapientiam; in quam etiam datur elevatio superior & superior; at elevatio in calorem superiorem apud fæminas, est in Amorem conjugialem castiorem & puriorem, ac jugi ad conjugiale, quod a creatione in intimis latet. Elevationes illæ in se spectatæ, sunt aperitiones mentis; est enim Mens humana in Regiones distincta, sicut Mundus est in Regiones quoad Athmosphæras, quarum infima est aquea, superior est aerea, adhuc superior est ætherea, supra quam etiam datur suprema; in similes regiones elevatur Mens hominis, sicut hæc aperitur, apud viros per sapientiam, & apud fæminas per amorem vere conjugialem.

189. Dicitur, quod Fæmina sentiat delitias sui caloris in luce viri, sed hoc ita intelligitur, quod fæmina delitias sui amoris in sapientia viri, quia hæc est receptaculum, & amor ubi hoc invenit sibi correspondens, in jucunditatibus & delitiis suis est; sed non intelligitur, quod calor cum luce sua delitietur extra formas, sed intra illas; ac calor spiritualis cum luce spirituali inibi eo plus, quia formæ illæ ex sapientia & amore sunt vitales, & sic susceptibiles. Hoc aliquatenus potest illustrari ex ludis ita dictis caloris cum luce in Vegetabilibus; extra illa est modo simplex conjunctio caloris & lucis, at intra illa est sicut ludus inter se, quia sunt ibi in formis seu receptaculis, transeunt enim illa per mirabiles mæandros, ac in intimis ibi spirant usus fructus, & quoque amænitates suas exspirant late in aerem, quem implent fragrantia: & plus adhuc ad vivum delitiatio caloris spiritualis cum luce spirituali fit in formis humanis, in quibus calor ille est amor conjugialis, & lux illa est sapientia.

190. V. Quod Status vitæ alii sint viris et fæminis ante conjugium, et alii post conjugium. Ante conjugium apud utrumque sunt duo

Status, unus ante inclinationem ad conjugium, alter post illam; hujus & illius status mutationes, & inde formationes mentium, ordine succedaneo procedunt secundum continua incrementa illorum; sed mutationes illas hic describere non vacat, sunt enim variæ & diversæ in subjectis; ipsæ inclinationes ad conjugium ante illud sunt modo imaginativæ in mente, & fiunt plus & plus sensitivæ in corpore; at status illarum post conjugium, sunt status conjunctionis & quoque prolificationis; quæ quod a prioribus differant, sicut effectuationes ab intentionibus, patet.

191. VI. QUOD STATUS VITÆ POST CONJUGIUM APUD CONJUGES MUTENTUR ET SUCCEDANT SECUNDUM CONJUNCTIONES MENTIUM ILLORUM PER AMOREM CONJUGIALEM. Quod status mutationes & ejus successiones post conjugium apud utrumque, virum & uxorem, sint secundum Amorem conjugialem apud illos, ita vel conjunctivæ vel disjunctivæ mentium, est quia Amor conjugialis non modo est varius, sed etiam diversus apud conjuges; varius, apud illos qui se interius amant; apud hos enim ille per vices intermittitur, attamen intus in suo calore constanter permanet; at ille amor diversus est apud illos conjuges qui se modo exterius amant, apud hos ille non ex similibus causis per vices intermittitur, sed ex alterno frigore & calore; harum differentiarum ratio est, quia apud hos corpus primas agit, & hujus ardor se circumfundit & in communionem secum rapit inferiora mentis; at apud illos qui interius se amant, mens primas agit, & in communionem secum fert corpus. Apparet sicut amor ascendat e corpore in animam, quia ut primum corpus illecebras capit, intrat per oculos sicut fores in mentem, & sic per visum ut atrium in cogitationes, & illico in amorem; sed usque ille e mente descendit, ac agit in inferiora secundum illorum dispositionem; quare Mens lasciva lascive agit, & Mens casta caste, & hæc disponit corpus, at illa disponitur a corpore.

192. VI. QUOD CONJUGIA ETIAM INDUCANT ANIMABUS ET MENTIBUS ALIAS FORMAS. Quod Conjugia inducant animabus & mentibus alias formas, non potest animadverti in Mundo naturali, quia animæ & mentes ibi circumcinctæ sunt corpore materiali, & per hoc raro mens translucet; & quoque hujus Sæculi homines, plus quam Antiqui, ab infantia discunt inducere faciebus vultus, per quos affectiones mentis profunde abscondunt; quæ causa est, quod formæ mentium, quales ante conjugium & quales post conjugium sunt, non internoscantur: quod tamen animarum & mentium formæ, aliæ sint post conjugium, quam fuerant ante illud, manifeste apparet ex iisdem in Mundo spirituali; sunt enim tunc Spiritus & Angeli, qui non aliud sunt quam Mentes & Animæ in forma humana, nudatæ ab exuviis, quæ fuerunt compositæ ex elementis in aquis & terris, & ex halitibus inde circumsparsis in aere; quibus ejectis formæ mentium, quales fuerant intus in corporibus suis, conspiciuntur, & tunc clare, quod aliæ sint illis qui in conjugio vivunt, & aliæ illis qui non: in genere est conjugibus interior decor faciei, trahit enim vir ab uxore venustum ruborem amoris ejus, & uxor a viro splendentem nitorem sapientiæ ejus; nam duo conjuges ibi quoad animas uniti sunt; & insuper in utroque apparet pleni-

plenitudo humana: hoc in Cælo, quia non alibi Conjugia sunt, infra Cælum autem sunt modo Connubia, quæ nectuntur & dirimuntur.

193. VIII. Quod Fæmina actualiter formetur in uxorem secundum descriptionem in Libro Creationis; in hoc Libro dicitur, quod Fæmina creata sit ex costa viri, & quod Vir, cum adducta est, dixerit, hæc os de ossibus meis & caro de carne mea, & vocabitur Ischah, quia ab Isch, Viro, desumpta est, Cap. II: 22. 23. 24. per Costam pectoris in Verbo non aliud in sensu spirituali significatur, quam Verum naturale; hoc significatur per Costas, quas Ursus inter dentes ferebat, Dan. VII: 5; nam per Ursos significantur illi qui Verbum in sensu naturali legunt, ac Vera ibi absque intellectu vident; per Pectus viri significatur id essentiale ac proprium, quod distinguitur a pectore fæminæ, quod id sit sapientia, videatur supra n. 197; nam verum sustinet sapientiam, sicut costa sustinet pectus; hæc significantur, quia Pectus est in quo omnia hominis ut in suo centro sunt. Ex his constat, quod Fæmina creata sit ex Viro per transcriptionem ejus propriæ sapientiæ, quod est ex vero naturali, & quod hujus amor a viro translatus sit in fæminam, ut fiat Amor conjugialis; & quod hoc factum sit, ne in vero sit amor sui sed amor uxoris; quæ ex indole sibi innata non potest aliter quam amorem sui apud virum convertere in amorem ejus ad se, & audivi quod hoc fiat ex ipso amore uxoris, non conscio viro, nec conscia uxore; inde est quod nusquam aliquis possit vere conjugialiter amare conjugem, qui in fastu propriæ intelligentiæ ex amore sui est. Postquam intellectum est hoc arcanum creationis fæminæ a viro, videri potest, quod fæmina similiter quasi creetur seu formetur a viro in conjugio, & quod hoc fiat ab uxore, aut potius per uxorem a Domino, qui infudit inclinationes in fæminas ad ita faciendum; Uxor enim in se recipit imaginem viri per quod appropriet sibi ejus affectiones, videatur supra n. 183; & per quod conjungat internam viri voluntatem cum sua, de quo sequitur; & quoque per quod addicet sibi propagines animæ ejus, de quo etiam sequitur. Ex his patet, quod fæmina secundum descriptionem interius intellectam in Libro creationis, formetur in uxorem, per talia quæ desumit ex marito & ejus pectore, & inscribit sibi.

194. IX. Quod formatio illa fiat ab Uxore modis arcanis, et quod hoc intelligatur per quod fæmina creata sit dormiente viro. Legitur in Libro Creationis, quod Jehovah Deus cadere fecerit somnum gravem super Adamum, ut obdormiret, & tunc sumserit unam de costis ejus, & ædificaverit illam in mulierem, Cap II: 21. 22. quod per somnum & obdormitionem viri, significetur plenaria ignorantia ejus, quod uxor formetur & sicut creetur ab illo, patet ex ostensis in præcedente Capite, & quoque in hoc, de insita prudentia & circumspectione uxorum, ne quicquam evulgent de Amore suo, nec de assumptione affectionum vitæ viri, & sic transcriptione ejus sapientiæ in se; quod hoc fiat ab uxore, nesciente & quasi dormiente marito, ita modis arcanis, patet ab explicatis supra n. 166. 167. 168. *seqq.*; ubi etiam illustratur, quod prudentia id peragendi mulieribus a creatione, & inde a nativitate, insita sit, propter causas, quæ sunt necessitates, ut conjugialis amor,

amor, amicitia, & confidentia, & sic beatitudo cohabitationis, & felicitas vitæ, constabiliantur; quare ut hoc rite fiat, injunctum est viro, ut relinquat patrem & matrem, & adhæreat uxori, Genes. II: 24. Matth. XIX: 4. 5; per patrem & matrem, quos vir relinquet, in sensu spirituali intelligitur ejus proprium voluntatis & proprium intellectus, & proprium voluntatis hominis est amare se, & proprium intellectus ejus est amare suam sapientiam; & per adhærere significatur addicare se amori uxoris; quod duo Propria illa sint mala internecina viro, si permanent apud illum, & quod amor duorum illorum vertatur in amorem conjugialem, sicut vir adhæret uxori, hoc est, recipit amorem ejus, videatur mox supra n. 193, & alibi. Quod per dormire significetur in ignorantia & incuria esse; quod per patrem & matrem significentur duo propria hominis, unum voluntatis & alterum intellectus, & quod per adhærere significetur addicare se amori alicujus, ex locis in Verbo alibi potest satis confirmari; sed hoc hujus loci non est.

195. X: Quod formatio illa ab uxore fiat per conjunctionem suæ voluntatis cum interna viri. Quod apud Virum sit sapientia rationalis & sapientia moralis, & quod uxor se conjungat se cum illis quæ sunt sapientiæ moralis apud virum, videatur supra n. 163. 164. 165; illa quæ sunt sapientiæ rationalis, faciunt intellectum viri, & illa quæ sunt sapientiæ moralis, faciunt voluntatem ejus; cum his quæ faciunt voluntatem viri, uxor se conjungit: idem est, sive dicatur quod uxor conjungat se, sive dicatur quod conjungat suam voluntatem voluntati viri, quia uxor nata est voluntaria, & inde ex voluntate agit quod agit. Quod dicatur cum voluntate interna viri, est quia voluntas viri in intellectu illius sedem habet, ac intellectuale viri est intimum fœminæ, secundum illa quæ de formatione fœminæ a viro, supra n. 32, & pluries posthac, tradita sunt: est quoque viris voluntas externa, sed hæc sæpius trahit ex simulatione & dissimulatione; hanc perspicit uxor, at cum hac non conjungit se nisi simulatorie aut lusorie.

196. XI. Propter finem, ut utriusque voluntas fiat una, et sic ambo unus homo; nam qui conjungit sibi voluntatem alicujus, conjungit etiam sibi intellectum ejus; intellectus enim in se spectatus, non est nisi quam ministerium & famulitium voluntatis; quod ita sit, apparet evidenter ex affectione amoris, quod agat intellectum ad cogitandum ad nutum; omnis affectio amoris est proprietas voluntatis, nam quod homo amat, hoc etiam vult; ex his sequitur, quod qui conjungit sibi voluntatem hominis, conjungat sibi totum; inde est, quod amori uxoris insitum sit unire voluntatem mariti suæ voluntati, sic enim uxor fit mariti, ac maritus uxoris; ita ambo unus homo.

197. XII: Quod formatio illa fiat per appropriationem affectionum mariti. Hæc unum sunt cum binis Articulis, qui præcedunt, quia affectiones sunt voluntatis; nam affectiones, quæ non aliud sunt quam derivationes amoris, formant voluntatem, ac faciunt & componunt illam; sed hæ sunt apud viros in intellectu, apud fœminas autem in voluntate.

198. XIII: Quod formatio illa fiat per receptionem propagationum animæ mariti, cum delitio oriundo ex eo, quod velit esse sapientiæ sui

SUI MARITI AMOR: hæc coincidunt cum explicatis supra, n. 172. 173, quare ulterior explicatio pertransitur. Delitiæ conjugiales apud uxores non aliunde ducunt ortum, quam quod velint unum esse cum maritis, sicut Bonum est unum cum Vero in Conjugio spirituali; quod Amor conjugialis ex hoc Conjugio descendat, singulariter in suo Capite demonstratum est; exinde, ut in effigie videri potest, quod uxor conjungat sibi virum, sicut bonum conjungit sibi verum; & quod vir reciproce conjungat se uxori, secundum receptionem ejus amoris in se, sicut verum reciproce conjungit se bono secundum receptionem boni in se; & quod sic amor uxoris formet se per sapientiam viri, sicut bonum format se per verum; est enim verum forma boni. Ex his etiam patet, quod delitiæ conjugiales apud uxorem sint principaliter ex eo, quod velit unum esse cum marito, consequenter quod velit esse sapientiæ sui mariti amor; sentit enim tunc delitias sui caloris in luce viri, secundum explicata in Articulo IV, n. 188.

199. XIV: QUOD SIC FORMETUR VIRGO IN UXOREM, ET JUVENIS IN MARITUM. Hoc fluit ut consequens ex antecedentibus in hoc Capite, & in Capite priori de Conjunctione Conjugum in unam carnem. Quod Virgo fiat aut facta sit uxor, est quia in uxore sunt desumpta e marito, & sic adscititia, quæ non prius in illa ut virgine fuerunt; quod juvenis fiat aut factus sit maritus, est quia in marito sunt desumpta ex uxore, quæ receptibilitatem amoris & sapientiæ apud illum exaltant, quæ non prius in illo ut juvene fuerunt; sed hæc apud illos, qui in amore vere conjugiali sunt; quod sint inter hos, qui se sentiunt unitum hominem, & sicut unam carnem, videatur in Capite præcedente, n. 178; ex his patet, quod Virgineum mutetur in Uxoreum apud fæminas, ac Juvenile in Maritale apud viros. Quod ita sit, in Mundo spirituali confirmatus sum ex hac experientia; dixerunt quidam Viri, quod conjunctio cum fæmina ante conjugium, sit similis conjunctioni cum uxore post conjugium; quibus auditis, uxores valde indignatæ sunt, & dixerunt, est plane nulla similitudo, est discrimen sicut inter fatuum & reale; ad quæ viri regesserunt, estisne fæminæ sicut prius, ad quæ uxores voce altiore responderunt, non sumus fæminæ, sed uxores; vos in fatuo & non in reali amore estis, quare fatue loquimini; tunc viri dicebant, si non fæminæ, attamen estis mulieres, & respondebant, in primitiis conjugii fuimus mulieres, at nunc sumus uxores.

200. XV: QUOD IN CONJUGIO UNIUS VIRI CUM UNA UXORE, INTER QUOS EST AMOR VERE CONJUGIALIS, UXOR FIAT PLUS ET PLUS UXOR, ET MARITUS PLUS ET PLUS MARITUS. Quod Amor vere conjugialis plus & plus conjungat duos in unum hominem, videatur supra n. 178. 179; & quia uxor fit uxor ex conjunctione & secundum illam cum marito, similiter maritus cum uxore; & quia amor vere conjugialis perstat in æternum, sequitur, quod uxor fiat plus & plus uxor, ac maritus plus & plus maritus: ipsa causa est, quia in Conjugio amoris vere conjugialis uterque fit interior & interior homo, ille amor enim aperit interiora mentium illorum, & sicut hæc aperiuntur, homo fit plus & plus homo, ac fieri plus homo apud uxorem est fieri plus uxor,

& apud maritum eſt fieri plus maritus. Audivi ab angelis, quod uxor fiat plus & plus uxor ſicut maritus fit plus & plus maritus, non autem ita viciſſim; quia raro ſi uſquam deeſt, quin caſta uxor amet maritum, ſed quod deſit redamatio a marito; & quod hæc deſit propter non aliquam elevationem ſapientiæ, quæ unice recipit amorem uxoris; de qua ſapientia videatur n. 130. 163. 164. 165. Sed hæc dixerunt de Conjugiis in terris.

201. XVI: QUOD ETIAM ITA SUCCESSIVE AB INTERIORI PERFICIANTUR ET NOBILITENTUR ILLORUM FORMÆ. Perfectiſſima & nobiliſſima forma humana, eſt cum duæ formæ per conjugium fiunt una forma, ita cum duæ carnes fiunt una caro, ſecundum creationem; quod tunc Mens viri elevetur in ſuperiorem lucem, & Mens uxoris in ſuperiorem calorem, & quod tunc germinent, floreant, & fructificent, ſicut arbores tempore veris, videatur ſupra n. 188. 189. Quod ex nobilitatione hujus formæ, naſcantur nobiles fructus, in Cælis ſpirituales, in terris naturales, in nunc ſequente Articulo videbitur.

202. XVII: QUOD PROLES NATÆ A DUOBUS, QUI IN AMORE VERE CONJUGIALI SUNT, TRAHANT A PARENTIBUS CONJUGIALE BONI ET VERI, EX QUO ILLIS EST INCLINATIO ET FACULTAS, SI FILIUS, AD PERCIPIENDUM ILLA QUÆ SAPIENTIÆ SUNT, SI FILIA, AD AMANDUM ILLA QUÆ SAPIENTIA DOCET. Quod Proles trahant a parentibus Inclinationes ad talia, quæ amoris & vitæ parentum fuerant, ab hiſtoriis in genere, & ab experientiis in ſpecie, cognitiſſimum eſt; verum quod non ab illis trahant ſeu hæreditent ipſas affectiones, & inde vitas illorum, ſed modo inclinationes & quoque facultates ad illas, a ſapientibus in Mundo Spirituali, de quibus in duobus MEMORABILIBUS ſupra adductis, evictum eſt. Quod poſteri ex innatis inclinationibus, ſi non franguntur, etiam in affectiones, cogitationes, loquelas & vitas parentum ſimiles ferantur, patet clare a Gente Judaica, quod hodie ſit conſimilis Patribus ſuis in Ægypto, in deſerto, in terra Canaane, & tempore Domini; & quod non modo illis conſimiles ſint mentibus, ſed etiam faciebus; quis non ex aſpectu cognoſcit Judæum. Simile eſt cum Progeniebus aliis; ex quibus non fallaciter concludi poteſt, quod Inclinationes ad ſimilia parentum ſuorum connaſcantur. Sed ne ipſa cogitata & acta ſequantur, eſt ex Divina Providentia, ut pravæ inclinationes poſſint rectificari; & quod facultas ad hoc quoque implantata ſit, ex qua ſunt efficaciæ emendationis morum a parentibus & magiſtris, & poſtea a ſemetipſis cum ſui judicii fiunt.

203. Dicitur quod Proles trahant a parentibus Conjugiale boni & veri, quia hoc a creatione cujusvis animæ inditum eſt, eſt enim id quod a Domino in hominem influit, & facit vitam humanam ejus: ſed hoc Conjugiale tranſit in ſequentia ab anima uſque in corporis ultima; aſt in his & illis in via mutatur ab ipſo homine multis modis, & quandoque in oppoſitum, quod vocatur Conjugale ſeu Connubiale mali & falſi; quando hoc fit, occluditur Mens ab inferiori, & quandoque contorquetur ſicut ſpira in adverſum; apud quoſdam autem id non occluditur, ſed manet ſemiapertum ſupra, & apud quoſdam apertum: hoc & illud Conjugiale eſt, ex quo Proles trahunt inclinationes a parentibus, aliter filius & aliter filia: quod hoc ex conjugiali fit, eſt quia amor con-

conjugialis est fundamentalis omnium amorum, ut supra n. 65, demonstratum est.

204. Quod Proles natæ ab illis, qui in Amore vere conjugiali sunt, trahant inclinationes & facultates, si filius, ad percipiendum illa quæ sapientiæ sunt, & si filia, ad amandum illa quæ sapientia docet, est causa, quia Conjugiale boni & veri a creatione implantatum est cujusvis animæ, & quoque insequentibus ab anima; nam quod Conjugiale illud impleat universum a primis ad ultima, & ab homine usque ad vermem, prius ostensum est; & quod facultas ad aperiendum inferiora mentis usque ad conjunctionem cum ejus superioribus, quæ sunt in luce & calore cæli, cuivis homini a creatione indita sit, prius etiam indicatum est; inde patet, quod habilitas & facilitas ad conjungendum bonum vero, & verum bono, ita ad sapiendum, illis, qui e tali conjugio nati sunt, præ reliquis a nativitate, inhæridata sit; consequenter etiam ad imbuendum illa, quæ Ecclesiæ & Cæli sunt; quod cum his Amor conjugialis conjunctus sit, supra pluries manifestatum est. Ex his coram ratione evidenter patet finis, propter quem Conjugia amoris vere conjugialis a Domino Creatore provisa sunt, & adhuc providentur.

205. Audivi ab Angelis, quod illi, qui in Antiquissimis ævis vixerant, hodie in Cælis vivant domus & domus, familiæ & familiæ, ac gentes & gentes, similiter ut vixerant in terris, & quod vix aliquis a domo desit; & quod causa sit, quia apud illos fuit Amor vere conjugialis; & quod inde proles hæreditaverint inclinationes ad Conjugiale boni & veri, ac quod interius & interius in illud a parentibus per educationes facile initiati sint, & dein sicut a semetipsis, cum sui judicii facti sunt, a Domino introducti sint.

206. XVIII. Quod ita fiat, quia anima prolis est a patre, ac induitio ejus a matre. Quod anima sit a patre, a nullo sapiente in dubium vocatur; conspicitur etiam hoc manifeste ex animis, & quoque ex faciebus, quæ sunt typi animorum, in posteritatibus, quæ a patribus familiarum in justa serie procedunt; redit enim pater sicut in effigie, si non in filiis, usque in nepotibus & pronepotibus; & hoc fit ex causa, quia anima facit intimum hominis, & hoc potest obduci a proxima prole, sed usque prodit & se revelat in progenie postea. Quod anima sit ex patre, ac induitio ex matre, illustrari potest per analoga in Regno vegetabili, in hoc Terra seu Humus est communis Mater; hæc in se sicut in utero recipit, & induit semina, imo quasi illa concipit, gestat, gignit, & educat, sicut mater suas progenies ex patre.

✠ ✠ ✠ ✠ ✠ ✠ ✠

207. His adjiciam Duo Memorabilia; Primum hoc. Post aliquod tempus spectavi ad urbem Athenæum, de qua in priori Memorabili aliquid dictum est; & audivi inde clamorem insolitum, erat in illo aliquid risus, in hoc aliquid indignationis, & in hac aliquid mæstitiæ; at usque clamor ille non inde erat dissonus, sed consonus, quia unum non erat simul cum altero, sed unum intra alterum; in Mundo spirituali percipitur in sono distincte varietas & com- V. R. n. 694 t. n. 182

commixtura affectionum. Quæsivi e longinquo, quid rei; & dixerunt, venit nuntius e loco, ubi advenæ e Christiano Orbe primum apparent, dicens, quod a tribus ibi audiverit, quod in Mundo, unde venerunt, cum reliquis ibi crediderint, quod beatis & felicibus post mortem futura sit omnimoda requies a laboribus; & quia administrationes, officia & operæ sunt labores, quod requies ab illis futura sit: & quia tres illi ab Emissario nostro nunc adducti sunt, & stant ante portam & exspectant, factus est Clamor, & ex consulto statuerunt, quod non in Palladium in Parnassio, ut priores, sed in magnum Auditorium ibi introducerentur, ut aperiant Nova sua e Christiano Orbe; & ablegati sunt aliqui, qui solenniter illos introducerent. Quia eram in spiritu, & spiritibus distantiæ sunt secundum status affectionum illorum; & quia tunc mihi affectio videndi & audiendi illos erat, visus mihi sum præsens ibi, & vidi introductos, & audivi loquentes. Sederunt in Auditorio Seniores seu Sapientiores ad latera, ac reliqui in medio; & ante hos erat elevatum solum; huc tres Advenæ cum nuntio in solenni comitatu a minorennibus per medium Auditorii traducti sunt; & post silentium factum, salutati sunt a quodam Majorenni ibi, & quæsiti, QUID NOVI E TERRA; & dixerunt, sunt multa Nova, sed dic quæso de qua re, & respondit Majorennis, QUID NOVI E TERRA DE NOSTRO MUNDO ET DE CÆLO; & responderunt, quod cum recentes in hunc Mundum venimus, audiverimus, quod ibi & in Cælo sint Administrationes, Ministeria, Functiones, Negotiationes, Studia omnium disciplinarum, & mirabiles Operæ; & tamen credidimus quod post migrationem seu translationem e Mundo naturali in hunc Spiritualem, in æternam requiem a laboribus venturi simus; & quid functiones nisi labores: ad hæc Majorennis dixit, num per æternam requiem a laboribus intellexistis æternum otium, in quo continue sederetis & cubaretis, attrahentes delitias pectore, & sorbentes gaudia ore; ad hæc tres Advenæ blande ridentes dixerunt, quod aliquid tale autumaverint; & tunc responsum est illis, quid gaudia, & delitiæ, & inde felicitas, commune habent cum otio; ex otio collabitur mens & non expanditur, seu mortificatur homo & non vivificatur; pone aliquem sedentem in pleno otio, remissis manibus, dejectis aut subductis oculis, & pone ut ille simul circumfundatur aura lætitiæ, numne Veternus occuparet & caput & corpus ejus; ac vitalis expansio faciei concideret, & tandem ille relaxatis fibris nutaret & nutaret, usque dum caderet in terram; quid in expansione & tensione tenet totius corporis systema, quam intensio animi; & unde intensio animi, nisi ex administraturis & operis, dum fiunt ex jucundo: quare dicam vobis Novum e Cælo, quod ibi sint administrationes, ministeria, judicia majora & minora, tum artificia & operæ. Tres advenæ, cum audiverunt, quod in Cælo essent Judicia majora & minora, dicebant, cur illa, annon omnes in Cælo inspirantur & ducuntur a Deo, & inde sciunt quid justum & rectum; quid tunc opus judicibus; & respondit Vir majorennis, in hoc Mundo instruimur & discimus quid bonum & verum, tum quid justum & æquum, similiter ut in Mundo naturali, & hæc discimus non immediate a Deo, sed mediate per alios; & omnis Angelus, sicut omnis homo, cogitat verum, & facit bonum sicut a se,

&

& hoc ſecundum ſtatum Angeli eſt mixtum, & non purum; & quoque inter Angelos dantur ſimplices & ſapientes, & ſapientes judicabunt, dum ſimplices ex ſimplicitate & ex ignorantia ambigunt de juſto, aut abeunt ab illo. Sed vos, quia recentes adhuc in hoc Mundo eſtis, ſi ſit beneplaciti veſtri, ſequimini me in Urbem noſtram, & monſtrabimus omnia; & exiverunt Auditorio, & aliqui ex Senioribus etiam illos comitati ſunt; & primum in Bibliothecam magnam, quæ ſecundum ſcientias diſtincta erat in Libraria minora: tres illi Advenæ, viſis tot libris, obſtupefacti ſunt, & dixerunt, ſunt etiam in hoc Mundo Libri, unde membranæ & chartæ, unde calami & atramentum; ad hæc dixerunt Seniores, percipimus quod credideritis in Mundo priori, quod hic Mundus vacuus ſit, quia ſpiritualis; & quod hoc credideritis, eſt quia ideam de ſpirituali foviſtis abſtractam a materiali; & abſtractum a materiali apparuit vobis ſicut nihilum, ita ſicut vacuum; cum tamen hic eſt plenitudo omnium; ſunt hic omnia SUBSTANTIALIA & non materialia, & materialia ſuam originem ducunt ex ſubſtantialibus; nos qui hic ſumus, homines ſpirituales ſumus quia ſubſtantiales, & non materiales; inde eſt, quod hic dentur omnia quæ in Mundo naturali in ſua perfectione, etiam libri & ſcripturæ, & multo plura; tres Advenæ cum audiverunt nominari SUBSTANTIALIA, cogitaverunt quod ita ſit, tam quia viderunt Libros ſcriptos, quam quia audiverunt dictum, quod materiæ originitus ſint ex ſubſtantiis. Ut adhuc de his confirmarentur, delati ſunt ad domicilia ſcribarum, qui exſcribebant exemplaria a ſapientibus urbis conſcripta, & inſpiciebant ſcripturas, & mirati ſunt, quod tam nitidæ & politæ eſſent. Poſt hæc deducti ſunt ad Muſæa, Gymnaſia & Collegia, & ubi erant Ludi illorum literarii, quorum aliquos vocabant Heliconidum, aliquos ludos Parnaſſidum, aliquos ludos Atheneidum, & aliquos ludos Virginum fontis; dicebant quod hi ita appellentur, quia Virgines ſignificant affectiones ſcientiarum, & ſecundum affectionem ſcientiarum eſt cuivis intelligentia; Ludi ita vocati, erant exercitationes & palæſtriæ ſpirituales. Poſtea circumducti ſunt in urbe ad Moderatores, Adminiſtratores, & horum Officiarios, & per hos ad mirabiles Operas, quæ ab artificibus ſpirituali modo fiunt. Poſtquam hæc viſa ſunt, iterum cum illis loquutus eſt Vir majorennis de Requie æterna a laboribus, in quam veniunt beati & felices poſt mortem, & dixit, Requies æterna non eſt otium, quoniam ex otio eſt mentis, & inde totius corporis, languor, torpor, ſtupor & ſopor, & hæc ſunt mors & non vita, & minus vita æterna, in qua ſunt Angeli Cæli; quare requies æterna eſt requies quæ diſcutit illa, & facit ut homo vivat; & hoc non aliud eſt, quam tale quod elevat mentem; eſt itaque aliquod ſtudium & opus, ex quo excitatur, vivificatur, & delitiatur mens; & hoc fit ſecundum uſum, ex quo, in quo, & ad quem operatur; inde eſt, quod Univerſum Cælum ſpectetur a Domino ut continens uſus, & quiſque Angelus eſt Angelus ſecundum uſum; jucundum uſus fert illum ſicut ſecunda vena navem, & facit ut in æterna pace, & pacis requie ſit; ita intelligitur Æterna requies a laboribus. Quod Angelus ſit vivus ſecundum ſtudium mentis ex uſu, patet manifeſte ex eo, quod cuivis ſit Amor conjugialis cum ejus virtute, potentia & delitiis, ſecundum

dum studium genuini usus in quo est. Postquam tres illi Advenæ confirmati sunt, quod Æterna requies non sit otium, sed jucundum alicujus operis quod usui est; venerunt aliquæ Virgines cum acupictis & netis, operibus manuum suarum, & donaverunt illis; & Virgines, cum abibant novitii illi spiritus, cecinerunt oden, qua affectionem operum usus cum amœnis ejus, melo angelico exprimebant.

208. ALTERUM MEMORABILE. Cum in meditatione eram de Arcanis Amoris Conjugialis reconditis apud uxores, iterum apparuit PLUVIA AUREA, quæ supra; & recordatus sum, quod illa stillaret super Aulam in Oriente, ubi vivebant tres Amores conjugiales, hoc est, tres Conjuges, qui se tenere amabant; qua visa, ego a dulcedine meditationis illius amoris sicut invitatus, properavi illuc, & dum appropinquavi, Pluvia illa ex aurea facta est purpurea, dein coccinea, & cum prope eram, instar roris opalina; ac pulsavi, & aperiebatur janua; & ad satellitem dixi, refer ad maritos, quod iterum adsit, qui prius cum Angelo, petens, ut liceat intrare ad colloquium; ac satelles rediit, & ex maritis annuit, & ingressus sum; ac tres Mariti cum suis Uxoribus simul erant in Hypæthro, ac salutati cum favore resalutabant: & quæsivi Uxores, num candida illa Columba in fenestra postea apparuerit, dixerunt, quod etiam hodie, & quoque quod expanserit alas; ex qua augurati sumus præsentiam tuam, ac sollicitationem de aperiendo adhuc unum Arcanum amoris conjugialis; & quæsivi, cur dicitis unum, & tamen huc veni ad sciendum plura; & responderunt, sunt arcana, & quædam excedunt sapientiam vestram in tantum, ut intellectus vestræ cogitationis non possit illa capere; gloriamini super nos ex vestra sapientia, sed nos non gloriamur super vos ex nostra, & tamen nostra eminet super vestram, quia intrat inclinationes & affectiones vestras, ac videt, percipit & sentit illas; vos prorsus nihil scitis de inclinationibus & affectionibus amoris vestri, & tamen illæ sunt, ex quibus & secundum quas intellectus vester cogitat, proinde ex quibus & secundum quas vos estis sapientes; & tamen uxores tam probe sciunt illas in maritis suis, ut videant illas in faciebus illorum, & audiant illas ex sonis loquelæ oris illorum, imo palpent illas super pectoribus, brachiis & genis illorum: at nos ex zelo amoris pro vestra felicitate & simul nostra, dissimulamus sicut non sciamus illas, & tamen moderamur illas tam prudenter, ut quicquid est lubitus, placiti & voluntatis maritorum nostrorum, sequamur permittendo & patiendo, & solum flectendo dum possibile, at nusquam cogendo. Quæsivi, unde vobis illa sapientia, responderunt, est ex creatione & inde nativitate nobis insita; mariti nostri assimilant illam instinctui, nos autem dicimus illam esse ex Divina Providentia, ut viri per uxores suas reddantur felices; audivimus ex Maritis nostris, quod Dominus velit ut homo masculus ex libero secundum rationem agat, & quod ideo liberum ejus, quod spectat inclinationes & affectiones, Ipse Dominus ab interiori moderetur, & quod per Uxorem ejus ab exteriori, & quod sic formet Virum cum ejus Uxore in Angelum Cæli; ac præterea Amor mutat suam essentiam, & non fit ille Amor, si cogitur: sed hæc apertius dicemus; nos movemur ad illud, hoc est, ad prudentiam moderandi inclinationes

clinationes & affectiones maritorum nostrorum, adeo, ut videantur sibi ex libero secundum rationem suam agere, ex causa, quia delitiamur ex amore illorum, & non plus amamus quam ut illi delicientur ex nostris delitiis, quæ si vilescunt apud illos, etiam apud nos hebescunt. His dictis, intravit una ex Uxoribus in thalamum, & rediens dixit, Columba mea adhuc vibrat alas, quod signum est, ut plura detegamus; & dixerunt, observavimus mutationes inclinationum & affectionum virorum varias, ut quod ad uxores frigeant, dum mariti cogitant vana contra Dominum & Ecclesiam; quod frigeant dum in fastu sunt ex propria intelligentia; quod frigeant dum mulieres alienas spectant ex concupiscentia; quod frigeant dum advertuntur ab uxoribus de Amore, præter plura; & quod frigeant frigore vario; hoc animadvertimus ex retractione sensus ex oculis, auribus & corpore illorum ad præsentiam nostrorum sensuum: ex his paucis videre potes, quod nos præ viris sciamus, num illis bene sit, vel num male; si frigent ad uxores, est illis male, at si calent ad uxores, est illis bene; quare uxores continue versant animis media, ut viri ad illas caleant & non frigeant, & illa versant perspicacia viris imperscrutabili. His dictis, auditum est sicut Columba gemeret, & tunc dixerunt uxores, hoc indicium nobis est, quod aveamus arcaniora evulgare, quæ tamen non licet; forte illa quæ audivisti, manifestas viris; & respondi, hoc intendo, quid noxæ inde; uxores postquam de hoc inter se colloquutæ sunt, dixerunt, manifesta si vis, non latet nos qualis potentia persuadendi est uxoribus, dicent enim maritis suis, ludit ille vir, sunt fabulæ, jocatur ex apparentiis, & ex suetis virorum nugis, ne credite illi sed credite nobis, nos scimus, quod vos sitis Amores & nos Obedientiæ; quare manifesta si vis, at usque Mariti non pendebunt ex tuo ore, sed ex oribus Uxorum suarum quæ osculantur.

UNIVERSALIA DE CONJUGIIS.

209. De Conjugiis sunt permulta, quæ si traderentur particulariter, exsurgeret hoc opusculum in grande Volumen; particulariter enim tradi potest de Similitudine & Dissimilitudine inter Conjuges; de Elevatione amoris conjugialis naturalis in amorem conjugialem spiritualem, deque Conjunctione illorum; de Incrementis unius & de Decrementis alterius; de Varietatibus & de Diversitatibus utriusque; de Intelligentia uxorum; de Sphæra conjugiali universali e Cælo, & de Opposita ejus ex Inferno; & de illarum Influxu & Receptione; præter plura alia; quæ si singulariter exponerentur, dilataretur hoc Opus in tam amplum Codicem, ut defatigaret Lectorem: propter hanc causam, & ad evitandas prolixitates inanes, contrahuntur illa in Universalia de Conjugiis. Sed hæc, sicut antecedentia, in suos Articulos dispescentur; qui sunt hi. I. *Quod proprius Sensus amoris conjugialis sit sensus Tactus.* II. *Quod apud illos, qui in Amore vere conjugiali sunt, crescat facultas sapiendi; sed quod hæc apud illos, qui non in amore conjugiali sunt, decrescat.* III. *Quod apud illos, qui*

in

in Amore vere conjugiali sunt, crescat faustitas cohabitationis; sed quod hæc apud illos, qui non in amore conjugiali sunt, decrescat. IV. *Quod apud illos, qui in Amore vere conjugiali sunt, crescat Conjunctio mentium, & cum hac Amicitia; sed quod hæc cum illa, apud illos qui non in amore conjugiali sunt, decrescat.* V. *Quod illi, qui in Amore vere conjugiali sunt, continue velint unus homo esse; sed quod illi, qui non in amore conjugiali sunt, velint duo esse.* VI. *Quod illi, qui in Amore vere conjugiali sunt, in conjugio spectent æternum; vicissim autem illi, qui non in amore conjugiali sunt.* VII. *Quod Amor conjugialis resideat apud Uxores castas, sed quod usque amor illarum dependeat a Maritis.* VIII. *Quod Intelligentia fœminarum in se sit modesta, elegans, pacifica, cedens, mollis, tenera; at quod Intelligentia virorum in se sit gravis, aspera, dura, animosa, licentiæ amans.* IX. *Quod Uxores ament vincula conjugii, modo Viri ament illa.* X. *Quod Uxores in nulla excitatione sint sicut Viri; sed quod illis sit status præparationis ad receptionem.* XI. *Quod Viris sit copia secundum amorem propagandi vera sapientiæ suæ, & secundum amorem faciendi usus.* XII. *Quod determinationes sint in beneplacitis mariti.* XIII. *Quod Sphæra conjugialis sit, quæ a Domino per cælum influit in omnia & singula Universi usque ad ultima ejus.* XIV. *Quod hæc Sphæra recipiatur a Sexu fœminino, & per hunc transferatur in Sexum masculinum; & non vicissim.* XV. *Quod, ubi Amor vere conjugialis est, hæc Sphæra recipiatur ab Uxore, & unice per uxorem a Marito.* XVI. *Quod, ubi Amor non conjugialis est, Sphæra illa recipiatur quidem ab uxore, sed non a marito per illam.* XVII. *Quod Amor vere conjugialis dari possit apud unum ex conjugibus, & non simul apud alterum.* XVIII. *Quod sint variæ dissimilitudines, tam interternæ quam externæ, apud conjuges.* XIX. *Quod variæ similitudines possint conjungi, sed non cum dissimilitudinibus.* XX. *Quod Dominus illis, qui desiderant Amorem vere conjugialem, provideat similitudinem, & quod si non datur in terris, provideat illam in cælis.* XXI. *Quod homo secundum defectum & jacturam Amoris conjugialis, accedat ad naturam bestiæ.* Sequitur nunc horum Explicatio.

210. I. Quod proprius Sensus amoris conjugialis sit sensus Tactus. Sunt cuivis amori suus sensus; Amori videndi ex amore intelligendi, est sensus visus, & hujus amænitates sunt symmetriæ & pulchritudines; Amori audiendi ex amore auscultandi & obediendi, est sensus auditus, & hujus amænitates sunt harmoniæ; Amori cognoscendi illa quæ circumfluunt in aere ex amore percipiendi, est sensus olfactus, & hujus amænitates sunt fragrantiæ; Amori se nutriendi ex amore imbuendi se bonis & veris, est sensus gustus, & hujus jucunditates sunt lautitiæ; Amori cognoscendi objecta, ex amore circumspiciendi & tutandi se, est sensus tactus, & hujus amænitates sunt titillationes: quod Amori conjungendi se cum compari, ex amore uniendi bonum & verum, sit Sensus tactus, est quia ille Sensus est communis omnium sensuum, & inde ex illis trahit spartas; quod hic amor in communionem secum ferat omnes supradictos sensus, & amænitates illorum sibi addicet, notum est. Quod Sensus tactus addicatus sit Amori conjugiali, & quod sit hujus proprius,

us, patet ex omni ludo ejus, & ab exaltatione subtilitatum ejus ad summe exquisitum: sed hæc amplius deducere, relinquitur amatoribus.

211. II: QUOD APUD ILLOS, QUI IN AMORE VERE CONJUGIALI SUNT, CRESCAT FACULTAS SAPIENDI; SED QUOD HÆC APUD ILLOS, QUI NON IN AMORE CONJUGIALI SUNT, DECRESCAT. Quod facultas sapiendi apud illos, qui in Amore vere conjugiali sunt, crescat, est quia hic Amor ex sapientia, & secundum illam, est apud conjuges, ut in Transactionibus, quæ præcedunt, plenis argumentis ostensum est; tum quia illius amoris sensus est tactus, & hic communis est omnibus sensibus, & quoque plenus delitiis, inde ille aperit interiora mentium, sicut aperit interiora sensuum, & cum illis organica totius corporis: exinde sequitur, quod illi qui in amore illo sunt, nihil potius ament, quam sapere; nam homo sapit, quantum interiora mentis ejus aperiuntur; per aperitionem enim elevantur cogitationes intellectus in superiorem lucem, & affectiones voluntatis in superiorem calorem, & superior lux est sapientia, & superior calor est amor ejus; delitiæ spirituales conjunctæ delitiis naturalibus, quæ sunt illis, qui in Amore vere conjugiali sunt, faciunt amabilitatem, & inde facultatem sapiendi. Inde est, quod Angelis sit Amor conjugialis secundum sapientiam, ac amoris illius & simul delitiarum ejus incrementa secundum sapientiæ incrementa; & quod proles spirituales, quæ ex conjugiis illorum nascuntur, sint talia quæ sapientiæ sunt ex patre, & quæ amoris sunt ex matre, quas amant ex spirituali storge; qui amor se addit amori conjugiali illorum, & continue elevat illum, & conjungit illos.

212. Contrarium fit apud illos, qui non in aliquo amore conjugiali ex non aliquo amore sapientiæ sunt, hi non ineunt conjugia nisi etiam fine lasciviendi, & huic fini etiam inest amor insaniendi; omnis enim finis in se spectatus est amor, ac lascivia in origine sua spirituali est insania; per insaniam intelligitur deliratio mentis ex falsis, ac deliratio eminens est deliratio mentis ex falsificatis veris, usque dum hæc creduntur sapientia: quod hi contra amorem conjugialem sint, manifesta confirmatio seu evictio datur in Mundo spirituali, ibi illi ad primum olfactum amoris conjugialis aufugiunt in cavernas, & occludunt januas; & si hæ aperiuntur, insaniunt sicut amentes in Mundo.

213. III: QUOD APUD ILLOS, QUI IN AMORE VERE CONJUGIALI SUNT, CRESCAT FAUSTITAS COHABITATIONIS; SED QUOD HÆC APUD ILLOS, QUI NON IN AMORE CONJUGIALI SUNT, DECRESCAT. Quod faustitas cohabitationis crescat apud illos, qui in amore vere conjugiali sunt, est quia se mutuo amant omni sensu, uxor non videt amabilius quam virum, ac vir vicissim; imo nec audiunt, olfaciunt, & tangunt amabilius; inde illis faustitas cohabitationis in domo, cubiculo, & toro. Quod ita sit, potestis vos mariti vos confirmare, ex primis delitiis conjugii, quæ in pleno suo sunt, quia tunc uxor sola ex omni sexu amatur. Quod contrarium sit illis, qui non in aliquo amore conjugiali sunt, notum est.

214. IV: QUOD APUD ILLOS, QUI IN AMORE VERE CONJUGIALI SUNT, CRESCAT CONJUNTIO MENTIUM, ET CUM HAC AMICITIA; SED QUOD HÆC CUM ILLA APUD ILLOS, QUI NON IN AMORE CONJUGIALI SUNT, DECRESCAT. Quod con-

junctio mentium apud illos, qui in amore vere conjugiali sunt, crescat, in Capite, in quo actum est de conjunctione animarum & mentium per conjugium, quæ intelligitur per Domini verba, quod non amplius sint duo sed una caro, demonstratum est, videatur n. 156 ad 191. Quod autem conjunctio illa crescat, sicut amicitia se conjungit amori, est causa, quia Amicitia est sicut facies illius amoris, & quoque est sicut vestis ejus, nam non modo se adjungit amori sicut vestis, sed etiam conjungit se illi sicut facies; amor præcedens amicitiam est similis amori sexus, qui amor post votum facescit, at amor conjunctus amicitiæ post votum manet, & quoque stabilitur; intrat etiam interius in pectus, amicitia introducit illum, & facit illum vere conjugialem; & tunc Amor ille amicitiam hanc suam facit etiam conjugialem, quæ valde differt ab amicitia omnis alius amoris, est enim plena. Quod contrarium fiat apud illos, qui non in amore conjugiali sunt, notum est; apud hos prima amicitia, quæ tempore desponsationis, & dein primis diebus post nuptias, insinuata est, plus & plus ab interioribus mentis recedit, & ab his successive tandem ad cuticulas abscedit; & apud illos, qui separationes cogitant, prorsus abit; at apud eos, qui separationem non cogitant, amor manet in externis, sed friget in internis.

215. V: Quod illi, qui in Amore vere conjugiali sunt, continue velint unus homo esse; sed quod illi qui non in amore conjugiali sunt, velint duo esse. Amor conjugialis in sua essentia non aliud est, quam quod duo velint esse unum, hoc est, quod velint, ut duæ vitæ fiant una vita; illa voluntas est perpetuus conatus illius amoris, ex quo fluunt omnes effectuationes ejus: quod conatus sit ipsa essentia motus, & quod voluntas sit conatus vivus apud hominem, a scrutiniis philosophorum in confirmato est, & quoque contemplatoribus ex ratione elimata, patet; inde consequitur, quod illi, qui in amore vere conjugiali sunt, continue conentur, hoc est, velint unus homo esse. Quod contrarium sit apud illos, qui non in amore conjugiali sunt, probe sciunt ipsi; qui quia continue se cogitant duos ex disunione animarum & mentium, ideo nec capiunt, quid intelligitur per Domini verba, quod non amplius duo sint, sed una caro, Matth. XIX: 6.

216. VI: Quod illi, qui in Amore vere conjugiali sunt, in conjugio spectent æternum; vicissim autem illi, qui non in amore conjugiali sunt. Quod illi, qui in amore vere conjugiali sunt, spectent æternum, est quia in illo amore est æternitas; ac æternitas ejus est inde, quia amor ille apud uxorem, & sapientia apud maritum, crescit in æternum, ac in crescentia seu progressione conjuges penitius & penitius in beatitudines cæli, quas illorum sapientia & ejus amor simul in se recondunt, intrant; quare si idea æterni evelleretur, aut ex aliquo casu mentibus elaberetur, foret sicut illi e cælo dejicerentur. Qualis status Conjugibus in cælo est, dum excidit mentibus illorum idea æterni, ac loco ejus idea temporarii incidit, apud me in propatulum venit ex hac experientia: quondam duo conjuges ex data venia apud me e Cælo erant, & tunc a quodam nebulone astute loquente sublata est illis idea æterni de conjugio; qua ablata inceperunt ejulare, dicentes quod

non

non possint vivere amplius, & quod ærumnam sentiant, quam nunquam prius; quo percepto a coangelis in Cælo, remotus est nebulo, & dejectus; quo facto, actutum rediit illis idea æterni, ex qua lætificati sunt lætitia cordis, ac tenerrime se mutuo amplexi sunt. Præter hæc, audivi duos conjuges, qui de conjugio suo nunc foverunt ideam æterni, nunc ideam temporarii; causa fuit, quia dissimilitudo interna illis inerat; hi cum in idea æterni erant, inter se lætificati sunt, at cum in idea temporarii, dixerunt, non est amplius conjugium; & uxor, non sum amplius uxor, sed concubina, ac vir non sum amplius maritus, sed mæchus; quare dum aperta est illis dissimilitudo interna, abivit vir a muliere, & mulier a viro; at postea, quia utrique fuit idea æterni de conjugio, consociabantur comparibus similitudinis. Ex his potest clare videri, quod illi, qui in amore vere conjugiali sunt, spectent æternum, & quod, si hæc elabitur ex intimis e cogitatione, disuniantur quoad amorem conjugialem, utcunque non simul quoad amicitiam, hæc enim habitat in externis, ille autem in internis. Simile est in conjugiis super terris, conjuges ibi, dum se tenere amant, cogitant æternum de fædere, & prorsus non aliquid de fine ejus per mortem; & si de hac, dolent, usque refocillantur spe ex cogitatione continuationis ejus post obitum.

216. VII: Quod Amor conjugialis resideat apud uxores castas; sed quod amor illarum dependeat a maritis; causa est, quia uxores sunt natæ amores, & inde insitum est illis, velle unum esse cum maritis, & ex hac voluntatis suæ cogitatione continue lactant amorem suum; quare recedere a conatu uniendi se maritis, foret recedere a semetipsis: aliter mariti, hi quia non nati sunt amores, sed recipientes illius amoris ab uxoribus, ideo quantum recipiunt illum, tantum uxores cum amore suo intrant; at quantum non recipiunt, tantum uxores cum amore suo foris stant, & exspectant: at hoc fit apud uxores castas, aliter apud incastas. Ex his constat, quod amor conjugialis resideat apud uxores, sed quod amor illarum dependeat a maritis.

217. VIII: Quod uxores ament vincula conjugii, modo viri ament illa. Hoc sequitur ex dictis in præcedente Articulo: accedit, quod Uxores ex insito velint uxores esse, & uxores nominari; hoc illis est nomen decoris & honoris; quare vincula conjugii amant: & quia castæ uxores non nomine tenus, sed actualiter volunt uxores esse, & hoc fit per ligationem arctiorem & arctiorem cum maritis, ideo vincula conjugii ex constabilitione fæderis ejus amant, & id eo plus sicut redamantur a maritis, seu quod simile est, sicut viri illa vincula amant.

218. IX: Quod Intelligentia fæminarum in se sit modesta, elegans, pacifica, cedens, mollis, tenera; et quod Intelligentia virorum in se sit gravis, aspera, dura, animosa, licentiæ amans. Quod tales sint fæminæ, & tales sint viri, patet manifeste ex utriusque corpore, facie, sono, loquela, gestu, & moribus; ex Corpore, quod viri sint duri cute & carne, fæminæ autem molli: ex Facie, quod viri sint duriore, obnixiore, asperiore, flaviore, etiam barbata, ita impulchriore; fæminæ autem molliore, cedentiore, teneriore, candidiore, & inde pulchritudines: ex Sono,

quod viris sit gravis, fæminis autem tener: ex LOQUELA, quod viris sit licentiæ amans & animosa, fæminis autem modesta & pacifica: ex GESTU, quod viris sit fortior & firmior, fæminis autem invalidior & imbecillior: ex MORIBUS, quod viris sint immoderatiores, fæminis autem elegantiores. Quantum ab ipsa nativitate differt genius virorum a genio fæminarum, patuit mihi clare a visis pueris & puellis in congregationibus; vidi has aliquoties per fenestram in magna Urbe super platea, in qua ultra viginti quovis die se congregabant; ibi Pueri secundum indolem sibi connatam colludebant tumultuando, vociferando, pugnando, verberando, projiciendo lapides in alteros: at Puellæ ad januas domuum sedebant pacificæ, quædam ludentes cum infantibus, quædam amicientes pupas, quædam nentes super frustulis lineis, quædam se osculantes; & quod miratus sum, usque amœnis oculis aspectabant pueros, qui tales. Ex his manifeste videre potui, quod vir nascatur intellectus, ac fæmina amor; & qualis est intellectus, & qualis est amor in suis principiis; & sic qualis foret intellectus viri in progressu absque conjunctione cum amore fæminino, & dein conjugiali.

219. X: QUOD UXORES IN NULLA EXCITATIONE SINT SICUT VIRI; SED QUOD ILLIS SIT STATUS PRÆPARATIONIS AD RECEPTIONEM. Quod Viris sit seminatio, & inde excitatio, & quod Fæminis non hæc sit quia non illa, patet; quod autem Fæminis sit status præparationis ad receptionem, & sic ad conceptionem, ex auditis refero; qualis autem hic status fæminis est, non licet describere, & quoque solis illis notus est: num autem amor illarum, dum in illo statu sunt, sit in suo jucundo, aut in injucundo, ut quædam dicunt, non ab illis evulgatum est; hoc solum in vulgo notum est, quod non licitum sit marito dicere uxori, quod possit & non velit, sic enim insigniter læditur status receptionis, qui præparatur secundum statum mariti quod possit.

220. XI: QUOD VIRIS SIT COPIA SECUNDUM AMOREM PROPAGANDI VERA SAPIENTIÆ, ET SECUNDUM AMOREM FACIENDI USUS. Quod ita sit est unum inter arcana, quæ Antiquis nota fuerunt, & hodie deperdita; Antiqui sciverunt, quod omnia & singula quæ fiunt in corpore, ex origine spirituali fiant, ut quod ex voluntate, quæ in se est spiritualis, fluant actiones; quod ex cogitatione, quæ etiam est spiritualis, fluant loquelæ; tum quod visus naturalis ex visu spirituali, qui est intellectus; auditus naturalis ex auditu spirituali, qui est attentio intellectus & simul accommodatio voluntatis; & olfactus naturalis ex olfactu spirituali, qui est perceptio; & sic porro; quod similiter seminatio virilis, ex origine spirituali sit, Antiqui viderunt; quod sit ex Veris, ex quibus consistit intellectus, ex pluribus & rationis & experientiæ documentis concluserunt; & dixerunt, quod nihil aliud recipiatur a masculis, ex conjugio spirituali quod est boni & veri, quod influit in omnia & singula universi, quam verum, & id quod se refert ad verum; & quod hoc in progressu in corpus formetur in semen; & quod inde sit, quod semina spiritualiter intellecta sint vera: quoad formationem; quod anima masculina, quia est intellectualis, ita sit verum, intellectuale enim non aliud est, quare dum anima descendit, etiam verum descendit; quod hoc fiat per quod anima, quæ est intimum hominis &

cujus-

cujufvis animalis, & in fua effentia eft fpiritualis, ex infito nifu propagationis fui, in defcenfu fequatur, & velit procreare fe, & quod cum hoc fit, integra anima formet fe, & amiciat fe, & fiat femen; & quod hoc fieri poffit millies & millies, quia anima eft fubftantia fpiritualis, cui non eft extenfio fed impletio, & e qua non eft exfumptio partis, fed eft productio totius, abfque aliqua jactura ejus; inde eft quod illa in receptaculis minimis, quæ funt femina, fit plene, quemadmodum eft in receptaculo maximo fuo, quod eft corpus. Cum itaque Verum animæ eft origo feminis, fequitur, quod copia fit viris fecundum amorem propagandi vera fapientiæ fuæ: quod etiam fit fecundum amorem faciendi ufus, eft quia ufus funt bona, quæ vera producunt: in Mundo etiam aliquibus notum eft, quod fedulis fit copia, & non otiofis. Quæfivi, quomodo ex anima virili propagatur fæmininum, refponfum tuli, quod ex bono intellectuali, quia hoc in fua effentia eft verum; nam intellectus cogitare poteft quod hoc bonum fit, ita quod verum fit quod id fit bonum; aliter voluntas, hæc non cogitat bonum & verum, fed amat & facit illa: quodideo per filios in Verbo fignificentur vera, & per filias bona, videatur fupra, n. 120. Et quod per femen in Verbo fignificetur verum, in Apocalypsi Revelata, n. 565.

221. XII: Quod determinationes sint in beneplacitis mariti; caufa eft, quia apud viros eft fupradicta copia, & hæc variatur apud illos tam fecundum ftatus mentis, quam fecundum ftatus corporis illorum; Jntellectus enim non ita conftans eft in fuis cogitationibus, ficut eft Voluntas in fuis affectionibus; ille enim nunc fertur furfum nunc deorfum, nunc in ftatu fereno & claro eft, nunc in turbulento & obfcuro, nunc in objectis gratis nunc in ingratis; & quia mens, dum agit, etiam eft in corpore, fequitur quod huic fimiles ftatus fint: inde eft, quod maritus nunc recedat ab amore conjugiali, nunc accedat ad illum, & quod copia in uno ftatu abftrahatur, & in altero reftauretur: hæ caufæ funt, quod determinationes relinquendæ fint beneplacitis mariti; inde eft, quod uxores, ex infita illis fapientia, nufquam aliquid admoneant de talibus.

222. XIII: Quod Sphæra conjugialis sit, quæ a Domino per Cælum influit in omnia et singula Universi usque ad ultima ejus. Quod a Domino procedant Amor & Sapientia, feu quod idem eft, Bonum & Verum; fupra in fuo Capite oftenfum eft; illa duo in conjugio procedunt continue a Domino, quia illa funt Ipfe, & ab Ipfo funt omnia; & quæ ab Ipfo procedunt, implent Univerfum; nam abfque eo nihil fubfifteret quod exftitit. Sunt plures Sphæræ, quæ ab Ipfo procedunt, ut Sphæra confervationis Univerfi creati, Sphæra tutationis boni & veri contra malum & falfum, Sphæra reformationis & regenerationis, Sphæra innocentiæ & pacis, Sphæra mifericordiæ & gratiæ, præter plures; at Univerfalis omnium eft Sphæra conjugialis, quia hæc etiam eft Sphæra propagationis, & fic fupereminents Sphæra confervationis Univerfi creati per fucceffivas generationes. Quod Sphæra hæc conjugialis impleat Univerfum, & pervadat illa a primis ad ultima, patet a fupraoftenfis, quod Conjugia fint in Cælis, & perfectiffima in Cælo Ter-

tio seu supremo, & quod præter apud homines, sit in omnibus subjectis Regni animalis in terris, usque ad vermes; & insuper quod sit in omnibus subjectis Regni vegetabilis, ab oleis & palmis usque ad graminula. Quod hæc Shpæra universalior sit sphæra caloris & lucis, quæ procedit a Sole nostri Mundi, ratio convinci potest ex eo, quod etiam operetur in absentia caloris ejus, ut hyeme, & in absentia lucis ejus, ut nocte, imprimis apud homines: quod ita operetur, est quia est e Sole Cæli Angelici, & inde est constans æquatio caloris & lucis, hoc est, conjunctio boni & veri; est enim in continuo vere; mutationes boni & veri, seu caloris & lucis ejus, non sunt variationes ejus, sicut sunt variationes in terris ex mutationibus caloris & lucis ex Sole ibi, sed oriuntur illæ a subjectis quæ recipiunt.

223. XIV: Quod hæc Sphæra recipiatur a Sexu fæminino, et per hunc transferatur in Sexum masculinum. Quod apud Sexum masculinum non sit aliquis Amor conjugialis, sed quod solum sit apud Sexum fæmininum, & ab hoc transferatur in masculinum, vidi testatum ab experientia, de qua supra n. 161: cui etiam adstipulatur hæc ratio; quod Forma masculina sit forma intellectualis, ac fæmina sit Forma voluntaria; & forma intellectualis non potest calescere calore conjugiali a se, sed a calore conjunctivo alicujus, cui ille a creatione implantatus est; proinde non potest recipere illum amorem, nisi per formam sibi adjunctam voluntariam fæminæ, quia hæc etiam est forma amoris. Idem hoc amplius posset confirmari ex Conjugio boni & veri; & coram naturali homine ex Conjugio cordis & pulmonis, quia Cor correspondet amori, & pulmo intellectui; sed quia plerisque deficit horum scientia, confirmatio per hæc plus inumbraret quam illustraret. Ex translatione hujus Sphæræ a Sexu fæminino in masculinum, est, quod Mens etiam incendatur a sola cogitatione de sexu; quod etiam inde sit formatio propagativa & sic excitatio, sequitur; nam nisi accedat calor ad lucem in terris, nihil viget & excitatur ad fructificandum aliquid ibi.

224. XV. Quod ubi amor vere conjugialis est, hæc Sphæra recipiatur ab uxore, et unice per uxorem a marito. Quod illa sphæra, apud illos qui in amore vere conjugiali sunt, recipiatur a marito unice per uxorem, est arcanum hodie, & tamen in se non arcanum est, quia Sponsus & Primitius maritus hoc potest scire; nonne quicquid procedit ex sponsa & primitia uxore conjugialiter afficit, non autem tunc quod procedit ex aliis e sexu: simile est cum illis qui in amore vere conjugiali convivunt: & quia sphæra vitæ unumquemque, tam virum quam fæminam, circumstipat, dense a pectore, & rare a tergo, patet unde est, quod mariti, qui peramant suas uxores, convertant se ad illas, & interdiu vultu favente aspiciant illas; & vicissim illi qui non amant suas uxores, avertant se ab illis, ac interdiu acie retracta adspectent ad illas. Per receptionem Sphæræ conjugialis a marito unice per uxorem, cognoscitur & dignoscitur Amor vere conjugialis ab amore conjugiali spurio, falso, & frigido.

225. XVI: Quod ubi amor non conjugialis est, Sphæra illa recipiatur quidem ab uxore, sed non a marito per illam. Sphæra hæc conjugialis influens in Universum, est in origine sua Divina, in progressu in Cælo

lo apud Angelos est illa cælestis & spiritualis, apud homines naturalis, apud bestias & aves animalis, apud vermes mere corporea, apud vegetabilia est illa vitæ expers; & præterea in singulis subjectis variatur secundum illorum formas. Nunc quia illa Sphæra immediate recipitur a Sexu fæminino, & mediate a Sexu masculino, & quia recipitur secundum formas, consequitur, quod Sphæra illa, quæ sancta est in origine sua, verti possit in non sanctam in subjectis, imo etiam inverti in oppositam; Sphæra ei opposita vocatur meretricia apud fæminas tales, & scortatoria apud viros tales; & quia hi & illæ in Inferno sunt, est hæc Spæra inde; sed hæc Sphæra etiam multæ varietatis est, & inde plures ejus Species sunt, at talis species attrahitur & subtrahitur a viro qualis ei congruit, & ejus genio conformis est, & correspondet. Ex his constare potest, quod vir qui non amat uxorem, sphæram illam aliunde recipiat quam ab uxore: fit usque quod illa etiam inspiretur ab uxore, sed viro inscio, & dum calescit.

226. XVII: QUOD AMOR CONJUGIALIS DARI POSSIT APUD UNUM EX CONJUGIBUS, ET NON SIMUL APUD ALTERUM. Unus enim potest ex corde vovere sibi conjugium castum, alter autem non scit quid castum; unus potest amare illa quæ Ecclesiæ sunt, alter autem illa quæ solius mundi; unus potest quoad mentem esse in Cælo, alter quoad suam in inferno; inde apud unum potest esse amor conjugialis, & non apud alterum: horum mentes, quia in contrario versu sunt, intrinsecus inter se collidunt; & si non extrinsecus, usque ille, qui non in amore conjugiali est, spectat consortem ex fœdere sicut fastidiosam anum; & sic porro.

227. XVIII: QUOD SINT VARIÆ SIMILITUDINES, ET VARIÆ DISSIMILITUDINES, TAM INTERNÆ QUAM EXTERNÆ, APUD CONJUGES. Notum est, quod inter Conjuges sint similitudines, & quod sint dissimilitudines, & quod externæ appareant, non autem internæ, nisi post tempora cohabitationis ipsis conjugibus, & per indicia aliis: at enumerare utrasque ad cognitionem, vanum est, quia plures paginæ recensione & descriptione varietatum adimpleri possunt: similitudines quoad partem possunt ex dissimilitudinibus, propter quas Amor conjugialis abit in frigus, de quibus in sequente Capite, deduci & concludi. Similitudines & dissimilitudines in genere ducunt ortum ex Inclinationibus connatis, per educationes, consortia, & imbutas persuasiones, variatis.

228. XIX: QUOD VARIÆ SIMILITUDINES POSSINT CONJUNGI; SED NON CUM DISSIMILITUDINIBUS. Varietates similitudinum sunt permultæ, ac distant plus & minus; at usque illæ quæ distant, possunt tempore conjungi per varia, imprimis per accommodationes ad desideria, per officia mutua, per civilitates, per abstinentias ab incastis, per communem amorem infantum, & curam liberorum; imprimis autem per conformitates in rebus Ecclesiæ; per res enim Ecclesiæ fit conjunctio similitudinum distantium interius, per reliqua modo exterius. Sed cum dissimilitudinibus non potest fieri conjunctio, quia sunt antipathicæ.

229. XX: QUOD DOMINUS ILLIS, QUI DESIDERANT AMOREM VERE CONJUGIALEM,

GIALEM, PROVIDEAT SIMILITUDINES, ET QUOD SI NON DANTUR IN TERRIS, PROVIDEAT ILLAS IN CÆLIS, eſt cauſa, quia omnia conjugia amoris vere conjugialis providentur a Domino; quod ſint ab Ipſo, videatur ſupra n. 130. 131; at quomodo providentur in Cælis, audivi deſcriptum ab Angelis, ita. Quod Divina Domini Providentia ſingulariſſima & univerſaliſſima ſit de Conjugiis & in Conjugiis, quia omnia jucunda Cæli ex jucundis amoris conjugialis ſcaturiunt, ſicut aquæ dulces ex vena fontis; & quod ideo provideatur ut naſcantur Paria conjugialia; & quod hæc ſub auſpicio Domini jugiter educentur ad ſua conjugia, neſciente id & puero & puella; & poſt exactum tempus, illa tunc Virgo nubilis, & ille tunc Juvenis ad nuptias aptus, ſicut ex fato alicubi conveniant, & ſe mutuo videant; & quod illico tunc ſicut ex quodam inſtinctu cognoſcant, quod ſint compares, & ex quodam ſicut dictamine intus in ſe cogitent, juvenis, quod hæc mea ſit, & virgo, quod hic meus ſit; & poſtquam hoc aliquamdiu inſiderat mentibus utriuſque, ex deliberato ſe alloquantur, & ſe deſponſent: dicitur ſicut ex fato, inſtinctu, & dictamine, ac intelligitur ex Divina Providentia, quia hæc dum neſcitur, apparet ita; Dominus enim aperit internas ſimilitudines, ut ſe videant.

230. XXI: QUOD HOMO SECUNDUM DEFECTUM ET JACTURAM AMORIS CONJUGIALIS, ACCEDAT AD NATURAM BESTIÆ; ratio eſt, quia homo quantum in amore conjugiali eſt, tantum ſpiritualis eſt, & quantum eſt ſpiritualis, tantum eſt homo; homo enim naſcitur in vitam poſt mortem, & hanc conſequitur, quia ei anima ſpiritualis ineſt, & ad hanc poteſt homo elevari per facultatem intellectus ſui; ſi tunc voluntas ejus ex data etiam ei facultate ſimul elevatur, poſt mortem vivit vitam cæli: contrarium eſt, ſi in amore conjugiali oppoſito eſt; nam quantum in hoc eſt, tantum eſt naturalis, & homo mere naturalis eſt ſimilis beſtiæ quoad cupiditates, appetitus, & illorum jucunda; cum ſola differentia, quod illi ſit facultas elevandi intellectum in ſapientiæ lucem, & quoque facultas elevandi voluntatem in cæleſtis amoris calorem; hæ facultates nulli homini auferuntur; quapropter mere naturalis homo, tametſi quoad concupiſcentias, appetitus & illorum jucunda, ſimilis eſt beſtiæ, uſque vivit poſt mortem, ſed in ſtatu anteactæ vitæ ejus correſpondente: ex his conſtare poteſt, quod homo ſecundum dejectum amoris conjugialis accedat ad naturam beſtiæ. Hæc videntur poſſe contradici, quia defectus & jactura amoris conjugialis, dantur apud illos, qui tamen homines ſunt; ſed mens eſt de illis, qui nihili faciunt amorem conjugialem ex amore ſcortatorio, & ſic in defectu & jactura ejus ſunt.

❖ ❖ ❖ ❖ ❖ ❖ ❖

231. His adjicientur TRIA MEMORABILIA: PRIMUM hoc. Quondam audivi vociferationes, quæ ſicut per aquas egurgitabant ex inferis, unam ad ſiniſtrum, O QUAM JUSTI; alteram ad dextrum, O QUAM ERUDITI; & tertiam a tergo, O QUAM SAPIENTES; & quia incidit in cogitationem meam,

num

num etiam in Inferno fint Jufti, Eruditi, & Sapientes, afficiebar defiderio videndi, num tales ibi funt; & dictum eft mihi e Cælo, videbis & audies; & exivi domo in fpiritu, & vidi ante me aperturam, illuc acceffi, & defpexi; & ecce fcala, per hanc defcendi: & cum infra eram, vidi campeftria obfita arbuftis cum intermixtis fpinis & urticis; & quæfivi, num hic Infernum, dixerunt, eft Terra inferior, quæ proxime fupra Infernum eft: & tunc perrexi fecundum Clamores in ordine; ad Primum, O QUAM JUSTI, & vidi Cætum ex illis, qui in Mundo fuerant Judices Amicitiæ & Munerum; dein ad Clamorem Secundum, O QUAM ERUDITI, & vidi Cætum ex illis, qui in Mundo fuerant Ratiocinatores; & ad Clamorem Tertium, O QUAM SAPIENTES, & vidi Cætum ex illis, qui in Mundo fuerant Confirmatores: fed ab his deflexi ad Primum, ubi erant Judices Amicitiæ & Munerum, & proclamati Jufti; & vidi a latere ficut Amphitheatrum ftructum ex lateribus, & tectum tegulis nigris; & dicebatur mihi, quod illud vocarent Tribunal; in illud patebant tres aditus a latere feptentrionali, & tres a latere occidentali, fed nulli a latere meridionali & orientali; indicium, quod Judicia illorum non effent Judicia Juftitiæ, fed Arbitria. In medio Amphitheatri vifus eft Focus, in quem miniftri focales injiciebant tædas fulphuratas & bituminofas, e quibus luces in parietes incruftatos evibratæ fiftebant imagines picturatas avium vefperæ & noctis; fed focus ille, & inde evibrationes lucis in formas imaginum illarum, erant Reprefentationes judiciorum illorum, quod poffent res cujufvis quæftionis coloratis fucis illuminare, & eis inducere formas fecundum favorem. Poft femihoram vidi Senes & Juvenes in prætextis & palliis intrantes, qui depofitis pileis fe fuper Soliis ad Menfas reponebant, feffuri judicia; ac audivi & percepi quam folerter & ingeniofe ex afpectu amicitiæ declinarent & inverterent judicia in apparentias juftitiæ, & hoc eo ufque, ut ipfi non viderent injuftum aliter quam juftum, ac viciffim juftum ut injuftum; perfuafiones de illis tales apparebant ex faciebus illorum, & audiebantur ex loquelis illorum: data mihi tunc fuit illuftratio e Cælo, ex qua fingula num juris vel non juris effent, percepi; & vidi quam induftrie obvelarent injuftum, & inducerent ei vifionem jufti; & ex legibus eligerent faventem, & reliquas per ratiocinia folertiæ traherent in partem. Poft judicia, Sententiæ exportabantur ad clientes amicos & fautores, & hi ad retribuendum illis favorem, per longam viam clamabant, O QUAM JUSTI, O QUAM JUSTI. Poft hæc loquutus fum de illis cum Angelis Cæli, & narravi illis aliqua de vifis & auditis; & Angeli mihi dicebant, quod tales Judices appareant aliis ficut acutiffima acie intellectus præditi, cum tamen ne hilum jufti & æqui videant; fi tollis amicitiam pro aliquo, fedent in Judiciis muti ficut ftatuæ, & modo dicunt, accedo, conformo me ad illum vel illum; caufa eft, quia omnia Judicia illorum funt Præjudicia, ac Præjudicium cum favore fequitur Caufam ab initio ad finem ejus; inde nihil aliud vident quam quod amici eft; omne id quod contra illum eft, removent ad latus; & fi reaffumunt, involvunt id ratiociniis, ficut aranea capturas filis, & confumunt; inde eft, quod fi non fequuntur telam fui præjudicii, nihil juris videant; explorati funt, num pof-

sint videre, ac inventi quod non: quod ita sit, mirabuntur incolæ tui Mundi; sed dic illis, quod hoc sit veritas ab Angelis Cæli explorata. Quoniam illi nihil justi vident, in Cælo contemplamur illos non ut homines, sed ut monstra, quorum capita faciunt illa quæ amicitiæ sunt, pectora illa quæ injustitiæ, & pedes illa quæ confirmationis, ac plantas illa quæ justitiæ, quæ si non favent amico, supplantant & proculcant. Quales autem apparent nobis e Cælo, videbis, instat enim finis illorum; & ecce tunc subito hiabat solum, ac mensæ super mensas ceciderunt, & una cum toto Amphitheatro absorpti sunt, & conjecti in cavernas, & incarcerati; & tunc dictum est mihi, vis videre illos ibi; & ecce visi sunt quoad faciem sicut ex polito chalybe, quoad corpus a cervice ad lumbos sicut sculptilia e saxo vestita pellibus pardi, & quoad pedes sicut colubri: & vidi Libros Legis, quos super Mensis repositos habuerant, versos in chartas lusorias; & nunc loco quod judicarent, datum est illis munus, ut pararent minia in fucos, quibus oblinerent facies meretricum, & illas sic verterent in pulchritudines.

Postquam hæc visa sunt, volui abire ad duos reliquos Cætus, ad unum ubi erant mere Ratiocinatores, & ad alterum, ubi erant mere Confirmatores; & tunc dictum est mihi, quiesce paulum, dabuntur tibi comites Angeli ex Societate proxima supra illos; per hos dabitur tibi lux a Domino, & videbis Mirabilia.

232. Secundum Memorabile: Post aliquod tempus audivi iterum ex Infera terra, voces quas prius; O quam Eruditi; & O quam Sapientes; & circumspexi, quinam Angeli tunc adessent; & ecce erant illi, qui in Cælo immediate supra illos, qui clamabantur O quam Eruditi, erant; & loquutus cum illis de Clamore, & dixerunt, quod Eruditi illi essent, qui solum ratiocinantur, *num sit*, vel *non sit*, & raro cogitant *quod ita sit*; quare sunt sicut venti qui flant & transeunt, ac sicut cortices circum arbores qui absque medulla sunt, aut sicut crustæ circum amygdalas absque nucleo, aut sicut superficies circum fructus absque carne; nam mentes illorum sunt absque interiori judicio, & modo unitæ cum sensibus corporis; quare si non ipsi sensus judicant, nihil possunt concludere; verbo, sunt mere sensuales, & a nobis vocantur Ratiocinatores; vocantur Ratiocinatores, quia nusquam concludunt aliquid, sed assumunt quicquid audiunt, ac disputant num sit, jugiter contradicendo; nihil plus amant quam aggredi ipsas veritates, & sic illas discerpere mittendo in lites; hi sunt, qui credunt se præ omnibus in Mundo Eruditos. His auditis, rogavi Angelos, ut deducerent me ad illos; & deduxerunt me ad Cavum, a quo gradus ad Inferiorem terram tendebant; & descendimus, & sequuti sumus Clamorem, O quam Eruditi; & ecce erant aliquot centeni stantes in uno loco, pulsantes humum pedibus: hoc primum miratus quæsivi, cur stant ita, & plantis pulsant humum, & dixi, sic possunt pedibus excavare solum; ad hoc subriserunt Angeli, & dixerunt, apparent quod ita stent, quia nihil cogitant de aliqua re, quod ita sit, sed solum num sit, ac litigant; & cum cogitatio non ultra progreditur, apparent modo calcare & terere unam glebam, & non progredi: at tunc accessi ad congregationem,

nem, & ecce apparebant mihi homines facie non indecora, & in veſtibus ornatis; ſed dixerunt Angeli, apparent tales in propria luce, at ſi lux e Cælo influit, mutantur facies, & quoque veſtes; & factum eſt ita, & tunc apparebant faciebus furvis, induti ſaccis nigris; ſed luce hac ſubtracta, viſi ſunt ut prius: mox loquutus ſum cum aliquibus ex illis, & dixi, audivi clamorem turbæ circum vos, *O quam Eruditi*, quare liceat de rebus, quæ ſummæ Eruditionis ſunt, vobiscum ventilare aliquem ſermonem; & reſponderunt, dic quicquid lubet, & ſatisfaciemus; & quæſivi, qualis erit Religio, per quam ſalvatur homo; & dixerunt, diſpeſcemus hanc interrogationem in plures, & antequam has concluſimus, non poſſumus reſponſum dare; ac Ventilatio 1ma erit, Num Religio ſit aliquid. 2da. Num Salvatio ſit vel non. 3^{tia}. Num una Religio plus efficiat quam altera. 4ta. Num Cælum & Infernum ſint. 5ta. Num vita æterna poſt mortem ſit; præter plura: & quæſivi de Primo, num Religio ſit aliquid; ac cæperunt ventilare hoc copia argumentorum, num ſit Religio, & quæ vocatur ita, num ſit aliquid; & petii, ut referrent hoc ad Congregationem, ac retulerunt; & commune reſponſum fuit, quod Propoſitio illa egeat tam multa inquiſitione, ut non poſſit finiri intra veſperam; quæſivi, num a vobis poſſit finiri intra annum, & unus dixit, quod non poſſit intra centum annos; & dixi, interea eſtis abſque Religione; & reſpondit, annon demonſtrabitur primum, num Religio ſit, & quæ ita vocatur, num ſit aliquid; ſi eſt, erit etiam pro ſapientibus, ſi non eſt, erit ſolum pro vulgo; notum eſt, quod Religio dicatur Vinculum, ſed quæritur pro quibus, ſi modo pro vulgo, in ſe non eſt aliquid, ſi etiam pro Sapientibus, eſt. His auditis dixi illis, nihil minus quam Eruditi eſtis, quia non poteſtis aliud cogitare, quam num ſit, & hoc verſare in utramque partem; quis poteſt Eruditus fieri, niſi aliquid pro certo ſciat, & progrediatur in illud, ſicut homo progreditur e veſtigio in veſtigium, & ſic ſucceſſive in ſapientiam; alioquin veritates ne quidem tangitis ungue, ſed plus & plus e conſpectu removetis illas; numne ratiocinari ſolum num ſit, eſt ratiocinari ex pileo, qui nuſquam imponitur, aut ex calceo qui non induitur; quid inde profluit, niſi quod non ſciatis, num detur aliquid, imo nam detur ſalvatio, num vita æterna poſt mortem, num una religio plus efficiat quam altera, num Cælum & Infernum ſint; de his non cogitare aliquid poteſtis, quamdiu hæretis in primo paſſu, & pulſatis arenam ibi, & non ferendo fertis pedem ultra pedem, & progredimini; cavete vobis, ne mentes veſtræ, dum ita foris extra judicium ſtant, intus indureſcant, & fiant ſtatuæ ſalis, & vos amici uxoris Lothi. His dictis abivi, & illi ex indignatione conjecerunt lapides poſt me; & tunc mihi viſi ſunt ſicut ſculptilia ex ſaxo, quibus nihil rationis humanæ ineſt. Et quæſivi Angelos de ſorte illorum, & dixerunt; ſors illorum eſt, quod demittantur in profundum, & ibi in deſertum, & adigantur ad portandum ſarcinas; & tunc quia non poſſunt aliquid proferre ex ratione, garriunt & loquuntur vana, & ibi e longinquo apparent ſicut aſini portantes onera.

233. TERTIUM MEMORABILE: Poſt hæc dixit unus ex Angelis, ſequere me ad locum, ubi vociferantur, O QUAM SAPIENTES, & dixit, videbis portenta

tenta hominum, videbis facies & corpora, quæ sunt hominis, & tamen non sunt homines; & dixi, suntne tunc bestiæ, respondit, non sunt bestiæ, sed bestiæ homines; sunt enim qui prorsus non videre possunt, num verum sit verum, vel non, & tamen possunt facere ut sit verum, quicquid volunt; tales apud nos vocantur CONFIRMATORES: & sequuti sumus vociferationem, & venimus ad locum: & ecce Cætus virorum, & circum Cætum turba, & in turba aliqui ex nobili stemmate, qui dum audiverunt, quod confirmarent omnia quæ dicebant, & sibi tam manifesto consensu faverent, se converterunt, & dixerunt, O QUAM SAPIENTES. Sed dixit mihi Angelus, ne adeamus illos, sed evocemus e Cætu unum, & evocavimus, & cum illo secessimus, & loquuti sumus varia; & ille confirmabat singula, usque ut prorsus apparerent sicut vera: & quæsivimus illum, num etiam possit confirmare contraria, dixit, quod tam bene sicut priora; dixit tunc aperte, & ex corde, quid verum, num detur aliquod verum in rerum natura aliud, quam quod homo facit verum; dic mihi quicquid placet, & faciam id ut sit verum; & dixi, fac hoc verum; quod Fides sit omne Ecclesiæ, & fecit hoc ita dextre & solerter, ut Eruditi circumstantes admirati sint, & adplauserint: postea petii ut faceret verum, quod Charitas sit omne Ecclesiæ, ac fecit; & postea, quod Charitas sit nihil Ecclesiæ, ac investivit utrumque, & ornavit apparentiis, ut adstantes inspicerent se mutuo, & dicerent, estne hic Sapiens: at dixi, nonne scis, quod bene vivere sit charitas, & quod bene credere sit fides, numne qui bene vivit, etiam bene credit, & sic quod fides sit charitatis, & charitas fidei; videsne quod hoc verum sit, respondit, faciam id verum, & videbo, ac fecit, & dixit, nunc video; at mox fecit contrarium ejus, ut esset verum, & tunc dixit, video etiam quod hoc verum sit: ad hæc subrisimus, & diximus, suntne contraria, quomodo potes duo contraria videri ut vera; ad hæc indignatus respondit, erratis, est utrumque verum, quoniam non aliud est verum, quam quod homo facit verum. Stabat prope aliquis, qui in Mundo fuerat Legatus primi gradus; ille hoc miratus est, & dixit; agnosco quod aliquid simile in Mundo sit, sed usque tu insanis, fac si potes ut sit Verum, quod Lux sit Caligo, & Caligo Lux, & respondit, hoc faciam facile; quid Lux & Caligo nisi Status oculi, nonne mutatur Lux in umbram dum Oculus ex aprico venit; ut & dum intense intuetur Solem; quis non scit, quod status oculi tunc mutetur, & quod Lux inde appareat ut umbra, ac vicissim dum status oculi redit, quod umbra appareat ut lux: nonne Noctua videt caliginem noctis ut lucem diei, ac lucem diei ut caliginem noctis, tum ipsum Solem ut globum opacum & furvum; si quis homo haberet oculos sicut noctua, quid vocaret Lucem & quid Caliginem; quid tunc Lux nisi Status oculi, & si est status oculi, numne Lux est Caligo, & Caligo Lux, quare unum est verum & alterum est verum. Postea Legatus rogavit, ut faceret hoc ut sit verum, quod Corvus sit albus & non niger, & respondit, etiam hoc faciam facile, & dixit; sume acum seu novaculam, & aperi plumas seu pennas corvi, nonne intus albæ sunt; tum remove pennas & plumas, & specta corvum a cute, nonne est albus; quid nigrum quod circum est nisi umbra, e qua non judican-

candum est de colore Corvi; quod nigrum sit modo umbra, consule gnaros scientiæ optices, & dicent; aut mole nigrum lapidem aut vitrum in tenuem pulverem, & videbis quod pulvis sit albus; sed respondit Legatus, apparetne Corvus niger coram visu; at Confirmator ille respondit, vis tu, qui es homo, cogitare aliquid ex apparentia, potes quidem loqui ex apparentia, quod Corvus sit niger, sed non potes id cogitare; ut pro exemplo, potes loqui ex apparentia, quod Sol oriatur, progrediatur, & occidat, sed quia es homo, non potes cogitare id, quia Sol stat immotus, & tellus progreditur; simile est cum Corvo, apparentia est apparentia; dic quicquid vis, Corvus est totus quantus albus; albescit etiam cum senescit, hoc vidi. Deinde rogavimus illum, ut diceret ex corde, num joculetur, vel num credat, quod non sit aliquod verum nisi quod homo facit verum, & respondit, juro quod credam. Postea Legatus quæsivit, num posset facere verum quod ipse insaniret, & dixit, possum sed non volo, quis non insanit. Post hæc universalis ille Confirmator missus est ad Angelos, qui explorarent illum qualis est; & hi post explorationem dixerunt, quod ille ne quidem granum intellectus possideat, quia omne id quod supra rationale est, apud illum occlusum est, & solum id quod infra rationale est, apertum est; supra rationale est Lux cælestis, ac infra rationale est Lux naturalis, & hæc Lux talis est, ut confirmare possit quicquid lubet; at si non Lux cælestis influit in lucem naturalem, homo non videt, num aliquod verum sit verum, & inde nec quod aliquod falsum sit falsum; & hæc & illa videre, est ex Luce cælesti in luce naturali, & Lux cælestis est a Deo Cæli, qui est Dominus; quare universalis ille Confirmator, non est homo nec bestia, sed est bestia homo. Quæsivi Angelum de sorte talium, & num possint una esse cum vivis, quia vita homini est ex Luce Cælesti, & ex hac est Intellectus ejus; & dixit, quod tales, cum soli sunt, non possint aliquid cogitare, & inde loqui, sed quod stent sicut machinæ muti, & sicut in alto sopore; at quod expergiscantur, ut primum auribus captant aliquid; & addidit, quod illi fiant tales, qui intime mali sunt; in hos non potest Lux cælestis a superiori influere, sed modo aliquod spirituale per Mundum, unde illis facultas confirmandi est. His dictis, audivi vocem ex Angelis, qui exploraverunt illum, ad me, dicens, fac ex auditis illis universale Conclusum, & feci hoc: Quod posse confirmare quicquid lubet, non sit intelligentis, sed quod posse videre, quod verum sit verum, & quod falsum sit falsum, & id confirmare, sit intelligentis." Post hæc spectavi ad Cætum, ubi stabant Confirmatores, & turba circum illos clamabat, *o quam sapientes*; & ecce Nubes fusca obvelavit illos, & in nube volabant ululæ & vespertiliones; & dicebatur mihi, ululæ & vespertiliones in nube fusca volantes, sunt correspondentiæ, & inde apparentiæ cogitationum illorum; quoniam confirmationes falsitatum usque ut appareant sicut veritates, repræsentantur in hoc Mundo sub formis avium noctis, quorum oculos fatua lux intus illuminat, ex qua vident objecta in tenebris, sicut in luce: talis Lux fatua spiritualis est illis, qui confirmant falsa, usque dum videntur sicut vera, ac postea dicuntur & creduntur vera: sunt omnes illi in visione posteriore, & non in aliquo visu priori.

DE CAUSIS FRIGORUM, SEPARATIONUM, ET DIVORTIORUM IN CONJUGIIS.

234. Hic ubi de Causis Frigorum in Conjugiis, etiam de Causis Separationum, & quoque Divortiorum, simul agitur; ratio est, quia cohærent; Separationes enim non aliunde sunt, quam ex Frigoribus successive post Conjugium innatis, vel ex causis post Conjugium detectis, ex quibus etiam frigus: Divortia autem sunt ex Adulteriis, quia hæc sunt prorsus opposita Conjugiis, ac opposita inducunt frigus, si non utrique, usque uni. Hæc ratio est, quod Causæ frigorum, separationum, & divortiorum, in unum Caput committantur. Sed cohærentia causarum ex visis illis in serie clarius perspicitur: Series illarum est hæc; I. *Quod sit Calor spiritualis, & quod sit Frigus spirituale; & quod Calor spiritualis sit amor, & Frigus spirituale privatio ejus.* II. *Quod Frigus spirituale in Conjugiis, sit disunio animarum, & disjunctio mentium, unde Indifferentia, Discordia, Contemtus, Fastidium, Aversatio; ex quibus tandem apud plures Separatio quoad torum, cubiculum, & domum.* III. *Quod Causæ frigorum in suis successionibus sint plures, quædam Internæ, quædam Externæ, & quædam Accidentales.* IV. *Quod Causæ frigorum Internæ sint ex Religione.* V. *Quod illarum causarum Prima sit rejectio Religionis ab utroque.* VI. *Secunda, quod uni sit Religio, & non alteri.* VII. *Tertia, quod alia sit Religio uni & alia alteri.* VIII. *Quarta, falsitas Religionis imbuta.* IX. *Quod hæ Causæ sint frigoris interni, non autem simul externi, apud plures.* X. *Quod Causæ frigoris Externæ etiam sint plures: & quod Prima illarum sit dissimilitudo animorum & morum.* XI. *Secunda, quod Amor conjugialis credatur unus cum amore scortario, modo quod hic ex lege sit illicitus, ille autem licitus.* XII. *Tertia, est æmulatio supereminentiæ inter conjuges.* XIII. *Quarta, nulla determinatio ad aliquod studium aut negotium, ex qua cupiditas vaga.* XIV. *Quinta, Inæqualitas status & conditionis in externis.* XV. *Quod Causæ separationis sint etiam aliquæ.* XVI. *Prima illarum est Vitium mentis.* XVII. *Secunda est Vitium corporis.* XVIII. *Tertia, est Impotentia ante conjugium.* XIX. *Quod Adulterium sit causa Divortii.* XX. *Quod Causæ accidentales etiam sint plures; & quod harum Prima sit commune ex jugi licito.* XXI. *Secunda, quod Cohabitatio cum conjuge ex fœdere & lege videatur coacta, & non libera.* XXII. *Tertia, affirmatio ab uxore, & sermocinatio de amore ab illa.* XXIII. *Quarta, cogitatio viri interdiu & noctu de uxore; quod velit; & vicissim cogitatio uxoris de viro quod non velit.* XXIV. *Quod sicut frigus est in mente, etiam sit in corpore; & quod secundum frigoris illius incrementa, claudantur etiam externa corporis.* Sequitur nunc horum Explicatio.

235. I. QUOD SIT CALOR SPIRITUALIS, ET QUOD SIT FRIGUS SPIRITUALE; ET QUOD CALOR SPIRITUALIS SIT AMOR, ET FRIGUS SPIRITUALE PRIVATIO EJUS. Calor Spiritualis non aliunde est, quam ex Sole Mundi spiritualis; est

eſt enim ibi Sol procedens a Domino, Qui eſt in medio ejus; & quia eſt a Domino, eſt Sol ille in ſua exiſtentia purus Amor; hic Sol apparet coram Angelis igneus, prorſus ſicut apparet Sol noſtri Mundi coram hominibus; quod appareat igneus, eſt quia Amor eſt ignis ſpiritualis: ex illo Sole procedit & Calor & Lux; ſed quia Sol ille eſt purus amor, eſt calor inde in ſua eſſentia amor, & lux inde in ſua eſſentia ſapientia; inde patet, unde calor ſpiritualis, & quod ſit amor. Unde autem eſt Frigus ſpirituale, paucis etiam evulgabitur; eſt illud ex Sole Mundi naturalis, exque ejus calore & luce; Sol Mundi Naturalis eſt creatus, ut ejus calor & lux in ſe recipiant calorem & lucem ſpiritualem, & mediis athmoſphæris ferant hos uſque ad ultima in Tellure, ut efficiant effectus finium, qui ſunt Domini in ſuo Sole, & quoque ut amiciant ſpiritualia veſtibus adæquatis, hoc eſt, materiis, ad operandum fines ultimos in natura; hæc fiunt, cum calor ſpiritualis injunctus eſt calori naturali: at contrarium fit, dum ſeparatur calor naturalis a calore ſpirituali, quod fit apud illos, qui amant naturalia, ac rejiciunt ſpiritualia; apud hos fit calor ſpiritualis frigus; quod bini illi amores ex creatione concordes, fiant ita oppoſiti, eſt cauſa, quia tunc calor dominus fit calor ſervus, ac viciſſim; & ne hoc fiat, recedit calor ſpiritualis, qui ex ſua ſtirpe eſt dominus; & tunc in ſubjectis illis calor ſpiritualis friget, quia, fit oppoſitus: ex his patet, quid frigus ſpirituale, & quod ſit privatio caloris ſpiritualis. In nunc dictis per calorem intelligitur amor, quia calor ille in ſubjectis vivens ſentitur ut amor. Audivi in Mundo ſpirituali, quod Spiritus mere naturales frigeant intenſo frigore, dum applicant ſe lateri cujuſdam Angeli, qui in ſtatu amoris eſt: & quod ſimiliter ſpiritus inferni, dum calor e Cælo ad illos influit; & quod tamen inter ſe, cum ab illis ſecluſus eſt calor cæli, æſtuent calore magno.

236. II: Quod Frigus spirituale in Conjugiis sit disunio animarum, et disjunctio mentium; unde indifferentia, discordia, contemtus, fastidium, aversatio, ex quibus tandem apud plures separatio quoad torum, cubiculum, et domum. Quod hæc fiant apud conjuges, dum primitivus illorum amor faceſſit, & fit frigus, notius eſt, quam ut commentatione egeat: cauſa eſt, quia frigus conjugiale ſupra omnia alia frigora in mentibus humanis reſidet; eſt enim ipſum Conjugiale inſcriptum animæ, propter finem ut propagetur anima ab anima, ac patris in proles; inde eſt, quod hoc frigus inceptet ibi, & ſucceſſive in conſequentia demeet, & hæc inficiat, & ſic vertat primitivi amoris læta & jucunda in triſtia & injucunda.

237. III: Quod Causæ frigorum in suis successionibus sint plures, quædam Internæ, quædam Externæ, et quædam Accidentales. Quod cauſæ frigorum in conjugiis ſint plures, ſcitur in Mundo; tum etiam quod oriantur ex multis cauſis externis; ſed quod origines cauſarum lateant abſconditæ in intimis, & quod ex his ſe derivent in conſequentia, uſque dum apparent in externis, non ſcitur: ut itaque ſciatur, quod cauſæ externæ non ſint cauſæ in ſe, ſed derivativæ a cauſis in ſe, quæ ut dictum eſt, in intimis ſunt, ideo cauſæ primum communiter diſpeſcuntur in Internas, Externas, & poſtea particulariter explorantur.

238. IV: QUOD CAUSÆ FRIGORUM INTERNÆ SINT EX RELIGIONE. Quod ipsa origo amoris conjugialis in intimis apud hominem resideat, hoc est, in Anima ejus, convincitur omnis ex solis his, quod Anima prolis sit ex patre, & quod hoc cognoscatur ex similitudine inclinationum & affectionum, & quoque ex communi facierum ex Patre in posteritate etiam sera permanentium; tum ex facultate propagativa animabus insita a creatione; & insuper per analogon in subjectis Regni vegetabilis, quod in intimis germinationum lateat propagatio ipsius seminis, & inde totius, sive sit arbor, sive arbustum, sive virgultum. Vis hæc propagativa seu plastica in seminibus in hoc Regno, & in animabus in altero, non aliunde est, quam ex Sphæra conjugiali, quæ est boni & veri, quæ ex Domino Creatore & Statore Universi perpetuo emanat, & influit, de qua supra n. 222 ad 225; exque nisu duorum illorum, boni & veri, inibi, ad conjungendum se in unum; hic nisus conjugialis insidens animabus est, ex quo originitus amor conjugialis existit: quod idem illud conjugium, ex quo Sphæra illa Universalis est, faciat Ecclesiam apud hominem, in Capite de CONJUGIO BONI ET VERI, & pluries alibi, satis superque ostensum est: inde in omni evidentia coram ratione patet, quod origo Ecclesiæ & origo amoris conjugialis, sint in una sede, & quod sint in continuo amplexu; sed de hac re videantur plura supra n. 130, ubi demonstratum est, quod amor conjugialis sit secundum statum Ecclesiæ apud hominem; sic ex religione, quia religio facit hunc statum. Homo etiam creatus est, ut possit interior & interior fieri, & sic propius & propius introduci seu elevari ad illud conjugium, & sic in amorem vere conjugialem, & hoc usque ut percipiat statum beatitudinis ejus: quod unicum medium introductionis seu elevationis, sit Religio, patet clare a supradictis, quod origo Ecclesiæ & origo amoris conjugialis sint in eadem sede, & ibi in mutuo amplexu, & quod inde non possint non conjuncta esse.

239. Ex nunc dictis sequitur, quod ubi non Religio, ibi nec detur amor conjugialis; & quod ubi non hic, ibi sit frigus; quod frigus conjugiale sit privatio illius amoris, videatur supra n. 235; consequenter quod frigus conjugiale sit etiam privatio status Ecclesiæ, seu Religionis. Confirmativum satis evidens, quod ita sit, potest educi ex communi inscitia hodie de amore vere conjugiali; quis hodie scit, & quis hodie vult agnoscere, & quis hodie non miraturus est, quod origo amoris conjugialis deducatur inde: sed hoc non aliunde est, quam quod tametsi religio est, usque non vera ejus sint, & quid religio absque veris; quod non vera sint, in APOCALYPSI REVELATA plene ostensum est, videatur etiam MEMORABILIA, n. 566. ibi.

240. V: QUOD CAUSARUM INTERNARUM FRIGORUM PRIMA SIT REJECTIO RELIGIONIS AB UTROQUE. Apud illos, qui a facie in occiput, seu a pectore in tergum, rejiciunt sancta Ecclesiæ, non datut ullus amor bonus; si apparens aliquis e corpore, usque non datur aliquis in spiritu; apud tales se locant bona extra mala, & obvelant hæc sicut amictus splendens auro corpus putre; mala quæ intus resident, & obvelantur, sunt in genere odia, & inde intestinæ pugnæ contra omne spirituale; cuncta enim Ecclesiæ, quæ rejiciunt,

sunt

funt in fe fpiritualia; & quia amor vere conjugialis eft omnium amorum fpiritualium fundamentalis, ut fupra oftenfum eft, patet, quod intrinfecum odium contra illum fit, & quod amor intrinfecus feu proprius apud illos fit pro oppofito, qui eft adulterii; quare illi, plus quam alii, fubfannaturi funt veritatem hanc, quod amor conjugialis fit cuique feundum ftatum Ecclefiæ; imo ad nominationem amoris vere conjugialis forte cachinnaturi; fed fit hoc; attamen ignofcendi funt, quia illis tam impoffibile eft cogitare aliud de amplexibus in conjugiis, quam cogitant de illis in fcortationibus, ficut eft camelum intrudere per foramen acus netoriæ. Hi, qui tales funt, quoad amorem conjugialem, frigent frigore præ cæteris; fi adhærent conjugibus, fit hoc modo propter aliquas ex caufis externis, fupra n. 153, recenfitis, quæ continent & ligant. Apud hos interiora, quæ animæ & inde mentis funt, plus & plus occluduntur, & in corpore obturantur, & tunc amor etiam fexus vilefcit, aut in interioribus corporis, & inde in cogitationis infimis illorum, infane lafcivit; illi etiam funt, qui intelliguntur in MEMORABILI, n. 79, quod legant, fi placet.

241. VI: QUOD CAUSARUM INTERNARUM FRIGORUM SECUNDA SIT, QUOD UNI SIT RELIGIO, ET NON ALTERI, eft caufa, quia animæ illorum non poffunt non difcordare; eft enim unius anima aperta pro receptione amoris conjugialis, altera autem pro receptione illius amoris occlufa; occlufa eft apud quem non religio eft, & aperta apud quem religio eft; inde nulla dabilis eft cohabitatio ibi; & cum inde exulat amor conjugialis, fit frigus, fed hoc apud conjugem nullius religionis: hoc frigus non diffipatur, nifi quam per receptionem religionis congruæ cum alterius, fi hæc vera eft. Alioquin apud conjugem, cui nulla religio eft, fit frigus, quod ab anima defcendit in corpus ufque in cuticulas, ex quo tandem non fuftinet conjugem intueri facie directa, nec alloqui in communione refpirationum, nec nifi voce foni retracti, nec tangere manu, & vix tergo: ut taceantur infaniæ, quæ ex frigore illo fubrepunt in cogitationes, quas non propalant: quæ caufa eft, quod talia conjugia a femetipfis folvantur: præterea, quod impius vilipendat conjugem, notum eft, & omnes qui abfque religione funt, impii funt.

242. VII: QUOD CAUSARUM INTERNARUM FRIGORUM TERTIA SIT, QUOD ALIA RELIGIO SIT UNI, ET ALIA ALTERI. Caufa eft, quia apud illos non poteft bonum cum fuo correfpondente vero conjungi, uxor enim eft bonum veri mariti, & hic eft verum boni uxoris, ut fupra oftenfum eft; inde non poteft ex duabus animabus fieri una anima; inde fcaturigo illius amoris clauditur, qua claufa venitur in conjugiale, quod infra fedet, quod eft boni cum alio vero, feu veri cum alio bono quam fuo, inter quæ non datur amor concors; inde apud conjugem, qui in falfis religionis eft, inceptat frigus, quod intenditur ficut abit in diverfum ab altero. Quondam in Urbe magna pervagatus plateas fine inqvirendi habitationem, ac intravi domum, ubi conjuges diverfæ religionis commorabantur; tunc me de eo nefcium alloquuti angeli, dicebant, non poffumus tecum in domo illa manere, quia conjuges ibi in difcordi religione funt; hoc percipiebant ex difunione interna animarum illorum.

243. VIII: Quod causarum internarum Quarta sit falsitas religionis; causa est, quia falsitas in spiritualibus vel aufert religionem, vel conspurcat illam; aufert apud quos genuinæ veritates falsificatæ sunt; conspurcat apud quos falsitates quidem sunt, sed non genuinæ veritates, quæ ideo non falsificari potuerunt; apud hos dari possunt bona cum quibus falsa illa per applicationes a Domino conjungi possunt; sunt enim hæc falsa sicut varii toni discordes, qui per solertes adductiones & insinuationes trahuntur in harmoniam, unde etiam hujus gratidudo; apud hos aliquis amor conjugialis dabilis est, sed apud illos qui genuina vera Ecclesiæ apud se falsificaverunt, non dabilis: ex his est regnans ignorantia de Amore vere conjugiali, aut negativa dubitatio quod dabilis sit; & quoque ab his est vesania plurium mentibus insidens, quod adulteria non sint mala religionis.

244. IX: Quod Causæ supradictæ sint causæ frigoris interni, sed non simul externi apud plures. Si Causæ huc usque designatæ & confirmatæ, quæ sunt causæ frigoris in internis, producerent simile frigus in externis, tunc fierent tot separationes, quot frigora interna; & tot frigora sunt, quot conjugia illorum, qui in falsis religionis, qui in diversa religione, & qui in nulla religione sunt, de quibus actum est; & tamen notum est, quod multi cohabitent sicut amores & sicut mutuæ amicitiæ; sed unde hæc, apud illos qui in interno frigore sunt, in sequente Capite, de Causis apparentis amoris, amicitiæ, & favoris inter conjuges, dicetur. Sunt plures causæ, quæ conjungunt animos, sed usque non conjungunt animas; inter causas sunt aliquæ ex recensitis supra n. 183; sed usque frigus interius reconditum latet, & facit ut passim animadvertatur & sentiatur; apud hos affectiones ab invicem discedunt, sed cogitationes, dum exeunt in loquelas & mores, propter apparentem amicitiam & favorem, accedunt; quapropter illi nihil sciunt de amœnitate & jucunditate, & minus de faustitate & beatitudine Amoris vere conjugialis, hæ sunt illis vix aliud quam fabulæ. Hi inter illos sunt, qui effingunt origines amoris conjugialis ex iisdem causis, ex quibus novem cætus sapientum ex Regnis congregati, de quibus supra in Memorabili, n. 103. ad 114.

245. Contra supra confirmata potest fieri objectio, quod usque anima ex patre propagetur, tametsi non conjuncta est animæ matris, imo tametsi frigus ibi residens separat; sed quod tamen propagentur animæ seu proles, est causa, quia Intellectus viri non occluditur, quin hic elevari possit in lucem, in qua est anima; at amor voluntatis ejus non elevatur in calorem correspondentem luci ibi, nisi per vitam, quæ facit illum a naturali spiritualem; inde est, quod usque anima procreetur, sed obveletur in descensu, dum fit semen, per talia quæ sunt amoris naturalis ejus; ex hoc scaturit malum hæreditarium. His adjiciam arcanum, quod e Cælo est, quod inter Animas disjunctas duorum, imprimis conjugum, fiat conjunctio in medio amore, & quod alioquin apud homines non fierent conceptiones. Præter hæc de frigore conjugiali, & de sede ejus, quod sit in suprema regione mentis, videatur Memorabile ultimum hujus Capitis n. 270.

246. X: Quod Causæ externæ frigoris etiam sint plures; et quod harum

harum Prima sit Dissimilitudo animorum et morum. Sunt Similitudines & Diffimilitudines internæ, & funt externæ; Internæ non aliunde ducunt originem quam ex Religione; nam hæc implantatur animabus, & per animas a parentibus in proles, ut fuprema inclinatio, traducitur; anima enim cujusvis hominis trahit vitam a Conjugio boni & veri, & ex hoc eft Ecclefia; & quia hæc varia & diverfa eft in Partibus Univerfi Orbis, ideo etiam funt animæ omnium hominum variæ & diverfæ; quare fimilitudines & diffimilitudines internæ inde funt, & fecundum illas, conjunctiones conjugiales, de quibus actum eft. At Similitudines & Diffimilitudines externæ, non funt animarum, fed animorum; per Animos intelliguntur affectiones & inde inclinationes externæ, quæ præcipue infinuantur poft partum per Educationes, Confortia, & inde Confuetudines; dicitur enim, eft mihi animus ad faciendum hoc aut illud, per quod percipitur affectio & inclinatio ad illud; perfuafiones captæ de hoc aut illo vitæ genere, etiam animos illos formare folent; inde funt inclinationes ad ineundum conjugia etiam cum difparibus, & quoque ad renuendum ad conjugia cum paribus; fed ufque hæc conjugia poft cohabitationis tempora variantur fecundum fimilitudines & diffimilitudines hæreditate & fimul educatione contractas; & diffimilitudines inducunt frigus. Similiter diffimilitudines morum; ut pro exemplo, barbarus feu barbara cum polita aut polito; mundus aut munda, cum immunda aut immundo; litigiofus aut litigiofa cum pacifica aut pacifico; verbo, immoriger aut immorigera cum morata aut morato. Sunt talium diffimilitudinum conjugia non diffimilia conjunctionibus diverfarum fpecierum animalium inter fe, ficut ovium & hircorum, cervorum & mulorum, gallinarum & anferum, pafferum & avium nobilium, imo ficut canum & felum, quæ propter diffimilitudines fe non confociant; at in genere humano facies non indicant illas, fed confuetudines; quare frigora inde funt.

247. XI: Causarum externarum frigoris Secunda est, quod Amor conjugialis credatur unus cum amore scortatorio, modo quod hic ex lege sit illicitus, ille autem licitus. Quod inde fit frigus, manifefte videt ratio, dum expendit, quod amor fcortatorius fit e diametro oppofitus amori conjugiali; quare cum creditur, quod amor conjugialis fit unus cum amore fcortatorio, fit uterque amor in idea fimilis; & tunc uxor afpicitur ut fcortum, & conjugium ut immunditia; ipfe vir etiam eft adulter, fi non corpore, ufque fpiritu: quod inde inter virum & ejus mulierem effluat contemtus, faftidium, & averfatio, & fic intenfum frigus, indevitato fequitur; nihil enim plus in fe recondit frigus conjugiale, quam amor fcortatorius; & quia etiam abit in illud, non immerito vocari poteft ipfum frigus conjugiale.

248. XII: Quod causarum externarum Tertia sit æmulatio supereminentiæ inter conjuges, ratio eft, quia amor conjugialis inter prima fua fpectat unionem voluntatum, & inde placiti libertatem; has duas æmulatio fupereminentiæ feu de imperio, ejicit e conjugio; dividit enim & difcindit voluntates in partes, & placiti libertatem immutat in fervitutem: dum æ-

mulatio illa perstat, spiritus unius versat violentias contra alterum; si tunc mentes illorum aperirentur & conspicerentur visu spirituali, apparerent sicut dimicantes pugionibus, & quod alternis odiis & alternis favoribus aspectarent se, odiis cum in vehementia æmulationis sunt, & favoribus dum in spe dominii, & dum in libidine sunt. Hæc dimicatio post victoriam unius super alterum recedit ab externis, at recipit se in mentis interna, & ibi manet cum irrequie recondita; inde est subjugato seu servo frigus, & quoque victrici seu dominæ; quod etiam huic sit frigus, est quia non est amor conjugialis amplius, ac privatio hujus amoris est frigus, n. 235; loco amoris conjugialis est huic calor ex supereminentia, sed hic calor prorsus discordat cum calore conjugiali, at potest exterius concordare media libidine. Post conventionem inter illos tacitam, apparet sicut amor conjugialis factus sit amicitia; at discrimen inter amicitiam conjugialem & amicitiam servilem in conjugiis, est sicut discrimen inter lucem & umbram, inter ignem vivum & fatuum, imo sicut inter hominem plenum carne, & hominem solum osse & cute constantem.

249. XIII: Causarum externarum frigoris Quarta, est nulla determinatio ad aliquod studium aut negotium, ex qua cupiditas vaga. Homo creatus est ad usus; quia usus est continens boni & veri, ex quorum conjugio est creatio, & quoque amor conjugialis, ut in suo Capite ostensum est. Per studium & negotium intelligitur omnis applicatio ad usus; dum itaque homo in aliquo studio & negotio, seu in usu est, tunc mens ejus limitatur & circumscribitur sicut circulo, intra quem illa successive coordinatur in formam vere humanam, ex qua sicut ex domo videt varias concupiscentias extra se, & ex sanitate rationis intra exterminat illas, consequenter etiam feras libidinis scortatoriæ insanias; inde est quod calor conjugialis apud illos satius & diutius, quam apud alios permaneat. Contrarium evenit illis, qui se ignaviæ & otio dedunt; horum mens illimitata & interminata est, & inde homo in illam totam admittit omne vanum & ludicrum, quod e mundo & e corpore influit, & fert in amorem illorum; quod tunc etiam amor conjugialis in exilium ejiciatur, patet; ex ignavia enim & otio stupet mens, & torpet corpus, & totus homo fit insensibilis ad omnem amorem vitalem, imprimis ad amorem conjugialem, a quo ut a fonte impigritates & alacritates vitæ emanant. Frigus autem conjugiale apud hos est diversum a frigore illo apud alios; est quidem privatio amoris conjugialis, sed ex defectu.

250. XIV: Quod causarum externarum Quinta sit Inæqualitas status et conditionis in externis. Sunt plures Inæqualitates status & conditionis, quæ tempore cohabitationis dirimunt amorem conjugialem initiatum ante nuptias; sed referri possunt ad inæqualitates quoad Ætates, quoad Dignitates, & quod Opulentias: quod inæquales Ætates inducant frigus in conjugiis, ut pueri cum anu, & adolescentis virginis cum decrepito, confirmatione non eget. Quod inæquales Dignitates similiter in conjugiis, ut viri principis cum ancilla, ac matronæ illustris cum famulo, etiam absque confirmatione agnoscitur. Quod pariter Opulentiæ, nisi similitudo animorum & morum, & applicatio unius ad inclinationes & ad nativa desideria alterius,

con-

consocient illos, patet. Sed hos & illos obsequia propter supereminentiam status & conditionis alterius, non conjungunt nisi serviliter; at hæc conjunctio est conjunctio frigida; apud illos enim conjugiale non est spiritus & cordis, sed modo oris & nominis, a quo gloriatur inferior, & verecunde rubescit superior. In cælis autem non datur inæqualitas ætatum, nec dignitatum, neque opulentiarum; quoad Ætates, ibi omnes in flore juventutis sunt, & in illo permanent in æternum; quoad Dignitates, spectant omnes ibi alios secundum usus quos præstant, eminentiores conditione inferiores ut fratres, nec præponunt dignitatem præstantiæ usus, sed hanc illi; & quoque cum Virgines dantur nuptui, non sciunt e quo stemmate sunt; nemo enim ibi scit patrem suum in terra, sed Dominus est omnium Pater: quoad Opulentias similiter, hæ sunt ibi dotes sapiendi, secundum has dantur illis opes in sufficientia: quomodo initiantur conjugia ibi, videatur supra n. 229.

251. XV: Quod Causæ separationum etiam sint aliquæ. Dantur Separationes a toro, & Separationes a domo; causæ separationum a toro sunt plures, pariter separationes a domo; sed hic de legitimis agitur. Quoniam Causæ separationis coincidunt cum causis Concubinatus, de quibus in sequente Parte hujus Operis in suo Capite, ideo remittitur illuc Lector, ut videat causas in suo ordine. Causæ legitimæ separationis sunt quæ sequuntur.

252. XVI: Quod Prima causa legitimæ Separationis sit Vitium mentis, est quia amor conjugialis est conjunctio mentium, quare si unius Mens ab alterius in diversum abit, solvitur illa conjunctio, & cum hac facescit amor; quæ Vitia separant, ex recensione illorum, constare potest; sunt itaque quoad plurem partem hæc; Mania, Phrenitis, Vesania, actualis Stultitia & Fatuitas, Jactura memoriæ, gravis Morbus hystericus; extrema Simplicitas ut nulla sit perceptio boni & veri, summa Obnixitas non obtemperandi justo & æquo; summa Voluptas garriendi & loquendi non nisi quam vilipensa & nugas; infrænis Cupiditas vulgandi secreta domus, tum litigandi, verberandi, vindicandi, malefaciendi, furandi, mentiendi, fallendi, blasphemandi; Incuria infantum, Intemperantia, Luxuria, nimia Prodigalitas, Ebrietas, Immunditia, Impudicitia, applicatio ad Magica & Præstigias, Impietas; præter plura. Per legitimas causas hic non intelliguntur judiciales, sed legitimæ alteri conjugi; separationes a domo raro etiam fiunt a judice.

253. XVII. Quod Secunda causa legitimæ Separationis sit Vitium corporis. Per Vitia corporis non intelliguntur Morbi accidentales, qui uni vel alteri conjugi intra tempus conjugii contingunt, & transeunt; sed intelliguntur Morbi inhærentes, qui non transeunt: hos Pathologia docet; sunt multifarii, ut Morbi, ex quibus totum Corpus inficitur in tantum, ut lethale ex contagio inducatur, tales sunt Febres malignæ & pestilentiales, Lepræ, Lues venereæ, Gangrænæ, Cancri, & similes alii. Tum Morbi, ex quibus totum Corpus ingravatum fit in tantum, ut nulla consociabilitas sit, & ex quibus exhalantur effluvia detrimentosa & vapores noxii, sive e superficie corporis, sive ex interioribus ejus, in specie ex Ventriculo & Pulmone: ex Superficie corporis, sunt malignæ Variolæ, Verrucæ, Pustulæ, Phtisis scorbutica, Sca-

bies virulenta; cumprimis si ab his facies defædata est. Ex Ventriculo, Ructus tetri, graveolenti, olidi, crudi. Ex Pulmone, Halitus fædi & putres, exhalati ex apostematibus, ulceribus, abscessibus, aut ex vitiato sanguine, aut ex vitiata lympha, inibi. Præter hos etiam sunt alii Morbi varii nominis, ut Lipothamia, quæ est totalis languiditas corporis & defectus virium; Paralysis, quæ est resolutio & relaxatio membranarum & ligamentorum motui inservientium; quidam Morbi chronici, oriundi ex jactura tensibilitatis & elasticitatis nervorum, vel a nimia spissitudine, tenacitate, & acrimonia humorum; Epilepsia; permanens infirmitas ex Apoplexiis; quædam Phtises, ex quibus corpus consummatur; Passio iliaca, Affectlo cæliaca, Hernia, & similes alii morbi.

254. XVIII: QUOD TERTIA CAUSA LEGITIMÆ SEPARATIONIS SIT IMPOTENTIA ANTE CONJUGIUM. Quod hæc sit causa separationis, est quia finis conjugii est procreatio sobolis, & hæc ab illis non dabilis est; & quia præsciunt hoc, conjuges ex proposito deprivant spe ejus, quæ spes tamen amorem illarum conjugialem lactat & firmat.

255. XIX. QUOD ADULTERIUM SIT CAUSA DIVORTII; sunt plures causæ, quæ in rationali luce sunt, & usque hodie reconditæ; ex rationali luce videri potest, quod Conjugia sint sancta, & quod Adulteria sint prophana; & sic quod Conjugia & Adulteria sint sibi e diametro opposita; & quod cum oppositum in oppositum agit, unum destruat alterum, usque ad ultimam scintillam vitæ ejus; ita fit cum Amore conjugiali, dum uxoratus ex confirmato, & sic ex proposito, committit adulteria. Hæc, apud illos, qui de Cælo & Inferno aliquid sciunt, in rationis lucem perspicuam magis veniunt; sciunt enim hi, quod Conjugia sint in cælo & e cælo, & quod Adulteria sint in inferno & ex inferno, & quod illa duo non possint conjungi, sicut Cælum non cum Inferno, & quod illico, si apud hominem conjunguntur, recedat cælum, ac intret infernum. Inde nunc est quod Adulterium sit causa divortii; quare dicit Dominus, *quod quicunque dimiserit uxorem, nisi propter Scortationem, & aliam duxerit, adulterium committat*, Matth. XIX: 9; dicit, si dimiserit, & aliam duxerit, nisi propter scortationem, adulterium committat, quia dimissio propter hanc causam, est plenaria separatio mentium, quæ vocatur Divortium; at dimissiones ex suis causis reliquæ, sunt Separationes, de quibus nunc supra actum est; post has si alia uxor ducitur, adulterium committitur; non autem post divortium.

256. XX: QUOD CAUSÆ ACCIDENTALES FRIGORIS ETIAM SINT PLURES; ET QUOD HARUM PRIMA SIT COMMUNE EX JUGI LICITO. Quod Commune ex jugi licito, sit causa accidentalis frigoris, est quia accedit illis, qui lascive cogitant de conjugio & de uxore; non autem illis qui sancte de conjugio, & secure de uxore; quod a communi ex jugi licito etiam gaudia fiant indifferentiæ, & quoque tædia, patet a ludis & spectaculis, ex harmoniis musicis, choreis, epulis, & similibus aliis, quæ in se sunt dulcedines, quia vivificationes; simile fit cum contuberniis & consortiis inter conjuges; imprimis inter illos, qui ab amore inter se non removerunt incastum amorem sexus, & cum de communi

ex

ex jugi licito cogitant vane in absentia facultatis: quod his sit commune illud causa frigoris, ex se patet: hoc accidentale dicitur, quia addit se frigori intrinseco ut causa, & adstipulatur ei ut ratio. Ad removendum frigus ex hoc etiam oriundum, Uxores ex prudentia illis insita licitum non faciunt licitum per varias repugnantias. Sed prorsus aliter sit apud illos, qui de uxoribus caste judicant; quare apud Angelos est Commune ex jugi licito, ipsum delitium animæ, & est continens amoris conjugialis illorum; nam in jucundo illius amoris sunt continue, ac in ultimis secundum præsentiam mentium non interpolatam curis, ita ex placitis judicii apud maritos.

257. XXI: Quod causarum accidentalium frigoris Secunda sit, quod cohabitatio cum conjuge ex fædere et lege videatur coacta et non libera. Hæc causa est solum illis, apud quos amor conjugialis in intimis friget; & quia se intestino frigori addit, fit causa accedens seu accidentalis; apud hos amor extraconjugialis ex consensu & favore ejus intrinsecus in calore est, nam frigus unius est calor alterius, qui si non sentitur, usque inest, imo in medio frigore; qui nisi inesset etiam tunc, non foret reparatio: hic calor est qui facit coactum, quod augetur, sicut ab una parte fædus ex pacto & lex ex justo, spectantur ut vincula non violanda; aliter si utrinque solvuntur. Contrarium est apud illos, qui amorem extraconjugialem devoverunt, ac cœleste & cælum de amore conjugiali cogitant, & plus qui id percipiunt; apud hos fædus illud cum suis pactis, & lex illa cum suis sancitis, inscripta sunt cordibus, & continue plus illis inscribuntur; apud hos vinculum amoris illius non ligatur ex fædere pacto, nec per legem latam, sed hæc duo sunt ipsi amori, in quo sunt, ex creatione insita; ex his sunt illa in Mundo, non vicissim: inde est, quod omne, quod est illius amoris, sentiatur ut liberum; non datur aliquod liberum, quod non est amoris; & audivi ab angelis, quod liberum amoris vere conjugialis sit liberrimum, quia ille est amor amorum.

258. XXII: Quod causarum accidentalium frigoris Tertia sit Affirmatio ab uxore, et sermocinatio de amore ab illa. Apud Angelos in cælo nulla est renuentia & repugnantia a parte uxorum, sicut est apud aliquas in terris; apud angelos in cælo etiam est sermocinatio de amore ab uxoribus, & non tale silentium, sicut est apud aliquas in terris; sed causas harum diversitatum, non licet, quia non decet me, proferre; at usque videantur ab angelorum uxoribus, quæ libere propalant illas maritis suis, prolata in quatuor Memorabilibus post Capita, a tribus in Aula, super qua visa est Pluvia aurea, & a septem, quæ sedebant in Roseto; quæ Memorabilia adducta sunt, ob finem, ut aperiantur omnia, quæ Amoris conjugialis sunt, de quo tam in genere quam in specie hic agitur.

259. XXIII: Quod causarum accidentaliun frigoris Quarta sit cogitatio viri interdiu et noctu de Uxore quod velit, et vicissim cogitatio uxoris de viro quod non velit. Quod hoc sit causa cessantis amoris apud uxores, & quod illud sit causa frigoris apud viros, præteritur absque commentatione. Nam quod Vir, si de uxore sua ad conspectum ejus interdiu & ad latus ejus noctu cogitat, quod illa cupiat aut velit, infrigeretur ad

ad extrema; & viciſſim Uxor ſi de viro cogitet, quod poſſit & non velit, amorem ſuum amittat, ſunt inter cognita maritis, qui arcanis de amore conjugiali ſtudent. Hæc allata ſunt etiam ob finem, ut perficiatur hoc Opus, & compleantur Delitiæ ſapientiæ de Amore conjugiali.

260. XXIV: Quod sicut frigus est in mente, etiam sit in corpore; et quod secundum frigoris illius incrementa, claudantur etiam externa corporis. Creditur hodie, quod Mens hominis ſit in Capite, & nihil ejus in Corpore; cum tamen & Anima & Mens eſt tam in capite quam in corpore, eſt enim Anima & Mens homo, utraque enim facit Spiritum, qui poſt mortem vivit; qui quod ſit in perfecta forma humana, in Tranſactionibus noſtris plene oſtenſum eſt: inde eſt, quod ut primum homo aliquid cogitat, id poſſit in inſtanti eloqui ex ore corporis, & ſimul id effigiare geſtu; & quod ut primum aliquid vult, id poſſit in inſtanti agere & efficere per membra corporis; quæ non fierent, ſi non Anima & Mens ſimul in corpore eſſent, & facerent ſpiritualem ejus hominem. Cum ita eſt, videri poteſt, quod dum Amor conjugialis eſt in Mente, ſit ſibi ſimilis in Corpore; & quia amor eſt calor, quod aperiat ab interioribus externa corporis; viciſſim autem, quod privativum ejus, quod eſt frigus, occludat ab interioribus externa corporis: ex his manifeſte patet cauſa facultatis in æternum perſtantis apud angelos, & cauſa defectus apud homines frigoris.

✠ ✠ ✠ ✠ ✠ ✠ ✠

R. n. 661.

261. His adjiciam Tria Memorabilia; Primum hoc. In Plaga ſeptentrionali ſuperiore prope ad Orientem in Mundo Spirituali, ſunt loca inſtructionis pro pueris, ſuntque pro adoleſcentibus, & ſunt pro viris, & quoque pro ſenibus; in hæc loca mittuntur omnes qui Infantes mortui ſunt, & educantur in Cælo; ſimiliter in illa omnes qui e Mundo noviter adveniunt, & cognitiones de Cælo & Inferno deſiderant: Tractus ille eſt prope Orientem, ut omnes inſtruantur per influxum a Domino, Dominus enim eſt Oriens, quia eſt in Sole ibi, qui ab Ipſo eſt purus Amor; inde Calor ex illo Sole in ſua eſſentia eſt Amor, & Lux ex illo in ſua eſſentia eſt Sapientia; hæc inſpirantur illis a Domino e Sole illo, ac inſpirantur ſecundum receptionem, & receptio eſt ſecundum amorem ſapiendi. Poſt tempora inſtructionis emittuntur inde illi, qui Intelligentes facti ſunt, & hi vocantur diſcipuli Domini: emittuntur inde primum in Occidentem, & illi qui ibi non manent, in Meridiem, & quidam per Meridiem in Orientem, & introducuntur in Societates, ubi manſiones illorum erunt. Quondam, cum meditatus ſum de Cælo & Inferno, cæpi deſiderare cognitionem univerſalem de ſtatu utriuſque; ſciens quod qui univerſalia ſcit, poſtea poſſit comprehendere ſingularia, quia hæc ſunt in illis, ſicut partes ſunt in communi. In hoc deſiderio ſpectavi ad Tractum illum in plaga ſeptentrionali prope ad Orientem, ubi Loca inſtructionis erant, & per viam mihi tunc apertam illuc vadi, ac intravi in unum Collegium, ubi erant viri juvenes; & adivi ibi Archididaſcalos qui inſtruebant, & quæſivi illos, num ſciant

ſciant univerſalia de Cælo & Inferno; & reſponderunt, quod ſciant aliquid parum; ſed ſi ſpectamus verſus Orientem ad Dominum, illuſtrabimur & ſciemus; & fecerunt ita, & dixerunt, Univerſalia Inferni ſunt tria, ſed Univerſalia Inferni ſunt e diametro oppoſita Univerſalibus Cæli; Univerſalia Inferni ſunt hi tres Amores, Amor dominandi ex amore ſui; Amor poſſidendi aliorum bona ex Amore mundi; & Amor ſcortatorius: Univerſalia Cæli illis oppoſita ſunt hi tres amores, Amor dominandi ex amore uſus; Amor poſſidendi bona mundi ex amore faciendi uſus per illa; & Amor vere Conjugialis. His dictis poſt votivum pacis abii & redii domum. Quum domi eram, dictum mihi eſt e Cælo, luſtra illa tria Univerſalia ſupra & infra, & poſtea videbimus illa in manu tua; dicebatur in manu, quia omnia quæ homo intellectu luſtrat, apparent Angelis ſicut inſcripta manibus.

262. Poſt hæc luſtravi Primum Amorem univerſalem Inferni, qui erat Amor dominandi ex amore ſui, & poſtea illi correſpondentem amorem univerſalem Cæli, qui erat Amor dominandi ex Amore uſuum; non enim mihi licuit unum Amorem abſque altero luſtrare, quia Intellectus non percipit amorem unum abſque altero, ſunt enim oppoſiti; quare ut uterque percipiatur, ſiſtentur in oppoſito, unus contra alterum; facies enim pulchra & formoſa elucet ex oppoſita illi facie impulchra & deformi. Cum ventilavi Amorem dominandi ex amore ſui, datum eſt percipere, quod hic Amor eſſet ſumme infernalis, & inde apud illos qui in profundiſſimo Inferno ſunt; & quod Amor dominandi ex amore uſuum, eſſet ſumme cæleſtis, & inde apud illos qui in ſupremo Cælo ſunt. Quod Amor dominandi ex amore ſui ſumme infernalis ſit, eſt quia dominari ex amore ſui, eſt ex proprio, ac proprium hominis a nativitate eſt ipſum malum, & ipſum malum eſt e diametro contra Dominum; quapropter illi, quo plus in illud malum progrediuntur, eo plus negant Deum & Sancta Eccleſiæ, & adorant ſe & naturam; illi, qui in illo malo ſunt, explorent quæſo id in ſe, & videbunt: Amor etiam hic talis eſt, ut quantum ei relaxantur fræna, quod fit dum impoſſibile non obſtat, tantum ruat e gradu in gradum, & uſque ad ſummum; & ibi nec terminatur, ſed ſi non datur gradus ſuperior, dolet & gemit. Hic Amor apud Politicos aſcendit uſque ut velint eſſe Reges & Imperatores, & ſi poſſibile, ut dominentur ſuper omnia mundi, & vocari reges regum & imperatores imperatorum; at idem Amor apud Canonicos aſcendit, uſque ut velint eſſe dii, & quantum poſſibile, ut dominentur ſuper omnia Cæli, & vocari dii deorum. Quod hi & illi corde non agnoſcant aliquem Deum, videbitur in ſequentibus. At viciſſim illi, qui volunt dominari ex amore uſuum, hi non volunt dominari ex ſe, ſed ex Domino, quoniam Amor uſuum eſt ex Domino, & eſt Ipſe Dominus; hi dignitates non aliter ſpectant, quam media ad faciendum uſus, hos ponunt longe ſupra dignitates, at priores ponunt dignitates longe ſupra uſus.

263. Cum hæc meditatus ſum, dictum mihi eſt per Angelum a Domino, jam jam videbis & confirmaberis ex viſu qualis infernalis ille Amor eſt: & tunc ſubito aperuit ſe terra ad ſiniſtrum, & vidi aſcendentem ex Inferno diabolum,

cui super capite erat pileus quadratus depressus super frontem usque ad oculos, facies plena pustulis sicut ardentis febris, oculi truces, pectus tumens in rhombum; ex ore eructabat fumum sicut furnus, lumbi ei erant plane igniti, loco pedum erant tali ossei absque carne; & ex corpore ejus exhalabatur calor putidus & immundus. Illo viso territus sum, & clamavi ad illum, ne accede, dic unde es; & respondit rauce, sum ex inferis, & ibi in Societate cum ducentis, quæ omnium societatum supereminentissima est; ibi omnes sumus imperatores imperatorum, reges regum, duces ducum, & principes principum; non aliquis ibi est nude imperator, neque nude rex, dux & princeps; sedemus ibi super thronis thronorum, & inde mandata in universum orbem, & ultra, emittimus: tunc dixi illi, videsne quod ex phantasia supereminentiæ insanias; & respondit, quomodo potes ita loqui, quia nobis prorsus videmur, & quoque agnoscimur a consociis, tales; hoc audito, non volui adhuc dicere, insanis, quia ex phantasia insanivit: & datum est mihi cognoscere, quod ille diabolus, cum in mundo vixit, fuerit modo curator alicujus domus; & quod tunc in tantum elatus spiritu fuerit, ut præ se omne Genus humanum spreverit, ac indulserit phantasiæ, quod dignior esset rege, & quoque imperatore; ex quo fastu negaverat Deum, ac reputaverat omnia sancta Ecclesiæ sicuti nihili pro se, sed aliquid pro stupida plebe. Tandem quæsivi illum, vos ducenti ibi, quamdiu gloriamini ita inter vos; dixit in æternum, sed quod illi e nobis, qui cruciant alios propter negatam supereminentiam, subsidant; licet enim nobis gloriari, sed non alicui malum inferre; quæsivi iterum, scisne qualis sors est subsidentibus; dixit, quod subsidant in quendam carcerem, ubi vocantur viliores vilibus seu vilissimi, & laborant; tunc dixi ad diabolum illum, cave itaque tu, ne etiam subsidas.

264. Post hæc iterum aperuit se terra, sed ad dextrum, & vidi exsurgentem alium Diabolum, super cujus capite erat sicut cidaris, circumvoluta spiris tanquam colubri, cujus caput e vertice eminuit, facies ei erat leprosa a fronte ad mentum, & quoque utraque manus, lumbi erant nudi & atri sicut fuligo, per quam ignis sicut foci furve transparuit, & tali pedum sicut duæ viperæ: prior Diabolus hoc viso conjecit se super genua, & adoravit illum; quæsivi, cur ita, dixit, est ille deus cæli & terræ, estque omnipotens; & tunc quæsivi hunc, quid tu dicis ad hoc, respondit, quid dicam, est mihi omnis potestas super Cælum & Infernum, sors omnium animarum est in mea manu; & quæsivi iterum, quomodo potest ille, qui est imperator imperatorum, ita se submittere, & tu adorationem recipere; respondit, est usque meus servus, quid imperator coram Deo, est in dextra mea fulmen excommunicandi: & tunc dixi illi, quomodo potes ita insanire, fueras in Mundo solum Canonicus, & quia phantasia laborasti, quod tibi etiam fuerunt claves, ac inde potestas ligandi & solvendi, spiritum tuum in hunc gradum vesaniæ evexeras, ut nunc credas, quod sis ipse Deus: ad hæc indignatus juravit quod sit, & quod Domino non sit aliqua potestas in Cælo, quia omnem transtulerat in nos; non opus habemus, quam ut mandemus, ac Cælum & Infernum reverenter obediunt; si mittimus aliquem in infernum, diaboli statim recipiunt illum,

lum, similiter Angeli illum, quem mittimus in Cælum. Quæsivi porro, quot estis in Societate vestra, dixit, trecenti, & omnes ibi sumus dii, ego autem deus deorum. Post hæc aperuit se terra sub pedibus utriusque, & subsiderunt profunde in sua inferna; & datum est videre, quod sub Infernis illorum essent ergastula, in quæ deciderent illi, qui damna aliis inferunt; cuivis enim in Inferno relinquitur sua phantasia, & quoque gloriatio in illa, sed non licet malum facere alteri: quod tales sint ibi, est quia homo tunc est in suo spiritu, ac spiritus, postquam separatus est a corpore, venit in plenam libertatem agendi secundum ejus affectiones & inde cogitationes. Postea datum est inspicere in illorum inferna, ac Infernum, ubi erant imperatores imperatorum ac reges regum, erat plenum omni immunditie, ac illi visi sunt sicut variæ feræ truculentis oculis: similiter in altero inferno, ubi erant dii & deus deorum, & in hoc apparuerunt diræ aves noctis, quæ vocantur ochim & Ijim, volantes circum illos; imagines phantasiæ illorum ita mihi visæ sunt. Ex his patuit, qualis est Amor sui Politicus, & qualis est Amor sui Ecclesiasticus, quod hic sit ut velint esse dii, ille autem ut velint esse imperatores; & quod ita velint, & quoque affectent, quantum fræna amoribus istis relaxantur.

265. Postea apertum est Infernum, ubi vidi duos, unum sedentem super scamno, tenentem pedes in Canistro pleno serpentibus, qui visi sunt sursum per pectus usque ad collum subrepentes; & alterum sedentem super Asino ignito, ad cujus latera repebant serpentes rubri, elevantes colla & capita, & sequentes equitantem. Dictum est mihi, quod essent Papæ, qui dominio abdicaverunt Imperatores, ac male loquuti & male egerunt cum illis Romæ, quo supplicantes & adorantes illos venerunt: at quod canistrum, in quo visi sunt serpentes, & quod asinus ignitus cum colubris ad latera, essent repræsentationes illorum amoris dominandi ex amore sui, & quod similia non appareant aliis, quam qui e longinquo illuc spectant. Erant aliqui Canonici præsentes, quos interrogavi, num iidem illi Papæ essent, dicebant, quod cognoscant illos, & sciant quod illi sint.

266. Postquam hæc tristia & atrocia mihi visa sunt, circumspexi, & vidi duos Angelos non procul a me stantes & colloquentes, unus amictus erat toga lanea fulgente ex flammea purpura, & tunica ex splendente bysso sub illa; alter similibus ex coccino cum cidari, cui aliqui pyropi a dextro latere inserti erant; ad hos accessi, & ex pace salutavi; & reverenter quæsivi, cur vos hic infra estis; & respondebant, demisimus nos huc e Cælo ex mandato Domini ad loquendum tecum de beata sorte illorum, qui volunt dominari ex amore usuum; nos sumus cultores Domini, ego Princeps societatis, alter summus Sacerdos ibi; & dixit Princeps, quod esset servus suæ societatis, quia inserviret illi faciendo usus; & alter dixit, quod esset minister Ecclesiæ ibi, quia inserviendo illis ministraret sancta ad usus animarum illorum; & quod ambo in perpetuis gaudiis sint ex felicitate æterna, quæ a Domino in illis est; & quod omnia in Societate illa sint splendida & magnifica, splendida ex auro & lapidibus pretiosis, & magnifica ex palatiis & paradisis; causa est, quia amor noster dominandi non est ex amore sui, sed ex amore usuum, & quia

amor uſuum eſt a Domino, ideo omnes uſus boni in Cælis ſplendent & fulgent; & quia omnes in noſtra Societate in hoc amore ſumus, ideo athmoſphæra ibi apparet aurea, ex luce ibi quæ trahit ex flammeo Solis, ac flammeum Solis correſpondet iſti amori: his dictis apparuit etiam mihi ſimilis ſphæra circum illos, & ſentitum eſt aromaticum ex illa, quod etiam dixi illis, & petii, ut aliquid plus adjiciant dictis de amore uſus; & continuabant dicendo; dignitates, in quibus ſumus, quidem ambivimus, ſed propter nullum alium finem, quam ut poſſemus plenius facere uſus, & latius extendere illos; & quoque circumfundimur honore, & acceptamus illum, non propter nos, ſed propter bonum ſocietatis; confratres enim & conſocii, qui ex vulgo ibi ſunt, vix ſciunt aliter quam quod honores dignitatum noſtrarum ſint in nobis, & inde quod uſus quos facimus, ſint e nobis; ſed nos aliter ſentimus, ſentimus quod honores dignitatum ſint extra nos, & quod ſint ſicut amictus quibus inveſtimur, ſed quod uſus, quos præſtamus, ſint ex amore illorum intra nos a Domino, & hic amor beatitudinem ſuam accipit ex communicatione per uſus cum aliis; & ab experientia ſcimus, quod quantum facimus uſus ex amore illorum, tantum increſcat amor ille, & cum amore ſapientia, ex qua fit communicatio; at quod quantum retinemus uſus in nobis, & non communicamus, tantum pereat beatitudo; & tunc uſus fit ſicut cibus reconditus in ventriculo, & non circumſparſus nutrit corpus & ejus partes, ſed manet indigeſtus, ex quo fit nauſea: verbo, totum Cælum non eſt niſi quam continens uſus a primis ad ultima: quid uſus niſi actualis amor proximi, & quid continet cælos niſi hic amor. His auditis interrogavi, quomodo poteſt aliquis ſcire, num uſus faciat ex amore ſui, vel num ex amore uſuum; omnis homo tam bonus quam malus facit uſus, & facit uſus ex quodam amore; ponatur quod in Mundo ſit Societas compoſita ex meris diabolis, & ſocietas compoſita ex meris Angelis; & opinor quod diaboli in ſua ſocietate ex igne amoris ſui, & ex ſplendore gloriæ ſuæ, facturi ſint tot uſus, quot Angeli in ſua; quis ergo poteſt ſcire ex quo Amore, & ex qua origine ſunt uſus: duo angeli ad hæc reſponderunt, diaboli faciunt uſus propter ſe & propter famam, ut evehantur ad honores, aut lucrentur opes; at Angeli non faciunt uſus propterea, ſed propter uſus ex amore illorum; homo non poteſt diſcernere illos uſus, ſed Dominus diſcernit illos; omnis qui credit in Dominum, & fugit mala ut peccata, ille facit uſus ex Domino; at omnis qui non credit in Dominum, nec fugit mala ut peccata, facit uſus ex ſe & propter ſe: hoc diſcrimen eſt inter uſus a diabolis, & inter uſus ab Angelis. Duo Angeli his dictis abiverunt, & e longinquo viſi ſunt vecti in curru igneo ſicut Elias, & in cælum ſuum ſublati.

267. ALTERUM MEMORABILE. Poſt aliquod temporis ſpatium intravi quendam Lucum, & ibi ambulavi in meditatione de illis, qui in concupiſcentia & inde phantaſia poſſidendi illa quæ Mundi ſunt; & tunc ad aliquam diſtantiam a me vidi binos Angelos inter ſe colloquentes, & per vices me aſpicientes; quare acceſſi propius, & me appropinquantem alloquuti dicebant, percipimus in nobis, quod mediteris quod nos loquimur, ſeu quod nos loquamur quod tu medita-

meditaris, quod est ex communicatione affectionum reciproca; quæsivi itaque quid loquerentur, dicebant de Phantasia, de Concupiscentia, & de Intelligentia; & nunc de illis, qui delectant se ex visione & imaginatione possessionis omnium Mundi; & tunc rogavi, ut mentem suam expromerent de tribus illis, de Concupiscentia, Phantasia & Intelligentia; & exorsi sermonem dicebant, quod unusquisque in Concupiscentia sit interius ex nativitate; sed in Intelligentia exterius ex educatione; & quod nemo in Intelligentia, minus in sapientia sit interius, ita quoad spiritum, nisi a Domino; omnis enim detinetur a concupiscentia mali, ac tenetur in intelligentia secundum aspectum ad Dominum, & simul conjunctionem cum Ipso; absque eo homo non est nisi quam concupiscentia; at usque hic in externis seu quoad corpus est in intelligentia ex educatione; homo enim concupiscit honores & opes, seu eminentiam & opulentiam; & hæc duo non assequitur nisi appareat moralis & spiritualis, ita intelligens & sapiens; ac ita apparere discit ab infantia; quæ causa est, quod ut primum inter homines seu in cætus venit, invertat spiritum suum, ac removeat illum a concupiscentia, & ex decoris & honestis, quæ ex infantia didicit, & in memoria corporis retinet, loquatur & agat; & quam maxime caveat, ne aliquid ex concupiscentiæ vesania, in qua est ejus spiritus, emanet: inde est omnis homo, qui non interius a Domino ducitur, simulator, sycophanta, hypocrita, & sic aparens homo, & tamen non homo; de quo potest dici, quod ejus crusta seu corpus sapiat, ac ejus nucleus seu spiritus insaniat; tum quod externum ejus sit humanum ac inrernum ferinum; tales occipitio spectant sursum, & frontispicio deorsum, ita ambulant sicut gravedine obsessi capite pendente cum vultu prono ad terram; illi dum exuunt corpus, & fiunt spiritus, & tunc manumittuntur, fiunt suæ concupiscentiæ vesaniæ; nam illi qui in amore sui sunt, cupiunt dominari super universum, imo extendere ejus limites illuc ad amplificandum dominium, nusquam vident finem; illi qui in amore mundi sunt, cupiunt possidere omnia ejus, ac dolent & invident, si aliqui thesauri apud aliquos latent reconditi; quare tales ne mere concupiscentiæ fiant, & sic non homines, datur illis in Mundo spirituali cogitare ex timore jacturæ famæ, & sic honoris & lucri, ut & ex timore legis & ejus pænæ, & quoque datur impendere mentem in aliquod studium seu opus, per quæ tenentur in externis & sic in statu intelligentiæ, utcunque interius delirant & insaniunt. Post hæc quæsivi, num omnes illi qui in concupiscentia sunt, etiam in ejus phantasia sint; respondebant quod illi in phantasia suæ concupiscentiæ sint, qui interius in se cogitant, & nimium indulgent suæ imaginationi, loquendo secum; hi enim separant spiritum suum pæne a nexu cum compore, & ex visione inundant intellectum, & fatue oblectant se sicut ex possessione universali: in hoc delirium immittitur homo post mortem, qui spiritum suum a corpore abstraxit, & non ex delitio delirii voluit recedere; cogitando aliquid ex religione de malis & falsis, & minime aliquid de effræno amore sui, quod sit destructivus amoris in Dominum, ac de effræno amore mundi, quod sit destructivus amoris erga proximum.

268. Post hæc supervenit binos Angelos & quoque me desiderium videndi

 illos,

illos, qui in concupiscentia visionaria seu phantasia possessionis omnium opum ex amore mundi sunt; & percepimus quod desiderum illud inspiraretur ob finem ut cognoscerentur: Domicilia illorum erant sub terra pedum nostrorum, at supra infernum; quare aspeximus nos mutuo, & diximus, eamus; ac visa est apertura, & ibi scala, per hanc descendimus, & dictum est, quod adeundi sint ab oriente, ne intremus in nimbum phantasiæ illorum, ac inumbremur quoad intellectum, & tunc simul quoad visum; & ecce visa est domus structa ex calamis, sic rimosa, stans in nimbo, qui sicut fumus continue effluxit per rimas trium parietum; intravimus, & visi sunt quinquaginta hic & quinquaginta ibi sedentes super scamnis, & aversi ab Oriente & Meridie prospiciebant ad occidentem & septentrionem; ante quemlibet erat mensa, & super mensa crumenæ distentæ, & circum crumenas copia nummorum aureorum; & quærebamus, sunt illa opes omnium Mundi, dicebant, non omnium Mundi, sed omnium Regni; sonus loquelæ illorum erat sibilaris, & ipsi apparebant facie rotunda, quæ rutilabat sicut squama cochleæ, ac pupilla oculi in plano viridi quasi fulgurabat, quod erat ex luce phantasiæ: stetimus in medio illorum, & diximus, creditis quod omnes opes Regni possideatis, & responderunt, possidemus; dein quæsivimus, quis vestrum; dicebant, quisque, & quæsivimus, quomodo quisque, estis multi, dicebant, quisque ex nobis scit, quod omnia ejus mea sint, non licet alicui cogitare, minus dicere, mea non sunt tua, sed licet cogitare & dicere, tua sunt mea: nummi super Mensis apparebant sicut ex auro puro, etiam coram nobis; sed cum immisimus lucem ab oriente, erant granula auri, quæ per communem unitam phantasiam ita magnifecerunt; dicebant quod oporteat quemcunque qui intrat, secum ferre aliquid auri, quod in frustula, & hæc in granula secant, & per vim phantasiæ unanimam in nummos grandioris formæ amplificant: & tunc diximus, fuistisne nati homines rationis, unde ista fatuitas visionaria vobis est; dixerunt, scimus quod vanitas imaginaria sit, sed quia jucundat interiora mentis nostræ, intramus huc, & delitiamur sicut ex possessione omnium; at hic non moramur nisi per aliquot horas, quibus exactis egredimur, & toties mens sana nobis redit; sed usque oblectamentum visionarium nostrum alternis supervenit, ac facit ut per vices reintremus, & per vices egrediamur; sic alternis sapimus & insanimus. Scimus etam quod dura sors maneat illos, qui astu surripiunt aliis sua bona; quæsivimus quæ sors, dicebant, absorbentur, ac nudi intruduntur in aliquem infernalem carcerem, ubi tenentur laborare pro veste & pro cibo, ac postea pro aliquibus obulis, quos colligunt, in quibus ponunt gaudium cordis sui; sed si malum faciunt sodalibus, dabunt partem obulorum suorum in mulctam.

269. Postea ex his inferis ascendimus Meridiem, ubi fuimus prius, ac Angeli ibi plura memoratu digna narrabant de Concupiscentia non visionaria seu phantastica, in qua omnis homo est ex nativitate; quod illi dum in ea sunt, sint sicut fatui, & tamen sibi ipsis videantur sicut summe sapientes; & quod a fatuitate illa remittantur per vices in Rationale, quod apud illos in externis est; in quo statu vident, agnoscunt, & confitentur insaniam suam, sed usque

e Statu

e ſtatu rationali ſuo in ſtatum inſanum ſuum diſcupiunt, & quoque ſe in hunc immittunt, ſicut a coacto & injucundo in liberum & jucundum; ita concupiſcentia interius oblectat illos, & non intelligentia. Sunt tres Amores univerſales, ex quibus a creatione conflatus eſt omnis homo, Amor proximi, qui etiam eſt amor faciendi uſus, Amor mundi, qui etiam eſt amor poſſidendi opes, ac Amor ſui, qui etiam eſt amor imperandi ſuper alios: Amor proximi ſeu faciendi uſus, eſt amor ſpiritualis; Amor autem mundi ſeu amor poſſidendi opes, eſt amor materialis; at Amor ſui, ſeu amor imperandi ſuper alios, eſt amor corporeus; homo eſt homo, dum Amor proximi ſeu amor faciendi uſus facit Caput, ac Amor mundi facit Corpus, & Amor ſui facit Pedes: at ſi Amor mundi facit caput, homo non eſt homo, aliter quam ſicut gibboſus; at cum Amor ſui facit caput, non eſt homo ſtans ſuper pedibus, ſed ſuper palmis capite deorſum & clunibus ſurſum: quando Amor proximi facit Caput, & reliqui duo amores faciunt ordine Corpus & Pedes, apparet ille homo e Cælo facie angelica, cum pulchra iride circum caput; at ſi amor mundi facit caput, apparet ille e cælo facie pallida ſicut mortui cum circulo flavo circum caput; ſi vero amor ſui facit caput, apparet ille e Cælo facie furva, cum circulo albo circum caput: ad hæc quæſivi, quid repræſentant circuli circum capita, reſpondebant, repræſentant intelligentiam; circulus albus circum caput faciei furvæ, repræſentat, quod intelligentia ejus in externis ſit, ſeu circum illum, at inſania in internis ſeu in illo; etiam homo, qui talis eſt, ſapit dum in corpore eſt, at inſanit dum in ſpiritu; & nullus homo ſapit ſpiritu, niſi a Domino, quod fit cum denuo ſeu e novo ab Ipſo generatur & creatur. His dictis, aperiebatur terra ad ſiniſtrum, & per aperturam vidi aſſurgentem Diabolum cum circulo albo lucido circum caput, & ſciſcitavi quis es, dixit, ſum Lucifer filius auroræ, & quia ſimilem me feci Altiſſimo, dejectus ſum: at non fuit ille Lucifer, ſed credidit ſe eſſe illum; & dixi, cum dejectus es, quomodo potes reſurgere ex inferno, & reſpondit, ſum ibi diabolus, at hic ſum angelus lucis; videſne caput meum ſphæra lucida circumcinctum, & quoque ſi vis, videbis, quod ſim ſupramoralis inter morales, ſuprarationalis inter rationales, imo ſupra ſpiritualis inter ſpirituales; poſſum etiam concionari, & quoque concionatus ſum; quæſivi, quid concionatus es, dixit contra defraudatores, contra adulteros, & contra omnes amores infernales, imo tunc me Luciferum vocavi diabolum, ac pejeravi contra me illum, ac propterea laudibus evectus ſum uſque ad cælum; inde eſt, quod vocatus ſim filius auroræ; & quod ipſe miratus ſum, cum ſuper pulpito eram, non cogitavi aliter, quam quod recte & rite loquerer; ſed cauſam mihi detexi, quia in externis fui, & hæc tunc erant ſeparata ab internis meis; & tametſi hoc mihi detexi, uſque non potui immutare me, quia præ faſtu meo non ſpectavi ad Deum: dein quæſivi, quomodo potuiſti ita loqui, cum es ipſe defraudator, ipſe adulter, & ipſe diabolus; reſpondit, ſum alius cum in externis ſeu in corpore ſum, & alius cum in internis ſeu in ſpiritu, in corpore ſum angelus, ſed in ſpiritu diabolus, nam in corpore ſum in intellectu, in ſpiritu autem ſum in voluntate, ac intellectus me fert ſurſum,

at voluntas me fert deorsum; & cum in intellectu sum, cingulum album circumvelat caput meum; at dum intellectus se prorsus emancipat voluntati, & fit ejus, quod est sors nostra ultima, tunc nigrescit cingulum, ac perit; quo facto non possumus amplius in lucem hanc ascendere: postea de duplici suo statu, externo & interno, loquutus est plus rationaliter quam aliquis alter; sed subito, cum vidit Angelos apud me, inflammatus est facie & voce, & factus est niger, etiam quoad cingulum circum caput, & per aperturam, per quam surrexit, delapsus est in infernum. Adstantes ex illis visis fecerunt hoc conclusum, quod homo talis sit, qualis est ejus amor, & non qualis est ejus intellectus; quoniam amor intellectum facile aufert in suas partes & emancipat. Tunc quæsivi Angelos, unde talis rationalitas est diabolis; & dicebant, est ex gloria amoris sui, nam amor sui circumcingitur gloria, & gloria elevat intellectum usque in lucem cæli; nam intellectus apud unumquemvis hominem elevabilis est secundum cognitiones, sed non voluntas nisi per vitam secundum Ecclesiæ & rationis vera; inde est, quod ipsi Athei, qui in gloria famæ sunt ex amore sui, & inde fastu propriæ intelligentiæ, gaudeant rationalitate sublimiore, quam multi alii, sed tunc cum in cogitatione intellectus sunt, non autem cum in affectione voluntatis, & affectio voluntatis possidet internum hominis, at cogitatio intellectus externum ejus. Porro dixit Angelus causam, cur homo conflatus est ex tribus supradictis amoribus, videlicet ex amore usus, ex amore mundi, & ex amore sui, quæ est, ut homo cogitet ex Deo, tametsi sicut ex se; dixit quod suprema in homine versa sint sursum ad Deum, media extrorsum ad mundum, ac infima deorsum ad se; & quia hæc versa sunt deorsum, cogitat homo sicut a se, cum tamen a Deo.

270. Tertium memorabile. Quodam mane post somnum profundavit se cogitatio mea in aliqua arcana Amoris conjugialis, & demum in hoc ,, *In quanam regione Mentis humanæ resìdet Amor vere conjugialis, & inde in quanam Frigus conjugiale:* scivi quod Regiones mentis humanæ sint tres, una supra alteram, & quod in infima regione habitet naturalis amor, in superiore spiritualis amor, & in suprema cælestis amor, & quod in unaquavis regione sit Conjugium boni & veri; & quia bonum est amoris, & verum est sapientiæ, quod in unaquavis regione sit conjugium amoris & sapientiæ; & quod hoc conjugium sit idem cum conjugio voluntatis & intellectus, quoniam Voluntas est receptaculum amoris, ac Intellectus receptaculum sapientiæ. Cum in profundo hujus cogitationis eram, ecce vidi duos Cygnos volantes versus septentrionem, & mox duas Aves paradisiacas volantes versus meridiem, & quoque duos Turtures volantes in Oriente; & cum sequutus aspectu volatus, vidi quod bini Cygni flecterent suam viam a Septentrione ad Orientem, similiter binæ Aves Paradisiacæ a Meridie, & quod congregarent se cum binis Turturibus in Oriente; & simul volarent ad quoddam eminens Palatium ibi, circum quod erant oleæ, palmæ & fagi; in Palatio erant tres series fenestrarum, una supra alteram; & cum adverti, vidi Cygnos involare in palatium per fenestras apertas in infima serie, Aves paradisiacas per fenestras apertas

apertas in media ferie, & Turtures per feneftras apertas in fuprema ferie. Hoc vifo, adftitit Angelus, & dixit, intelligis vifa illa, & refpondi, aliquid parum; dixit, quod Palatium illud repræfentet habitationes Amoris conjugialis, quales funt in Mentibus humanis; quod fuprema pars ejus, in quam fe receperunt Turtures, repræfentet fupremam regionem mentis, ubi habitat amor conjugialis in amore boni cum fua fapientia; media pars, in quam fe receperunt Aves paradifiacæ, mediam regionem, ubi habitat amor conjugialis in amore veri cum fua intelligentia; ac infima pars, in quam fe receperunt Cygni, infimam regionem mentis, ubi habitat amor conjugialis in amore jufti & recti cum fua fcientia; tria Paria alitum etiam fignificant illa, Par turturum amorem conjugialem fupremæ regionis, Par avium paradifiacarum amorem conjugialem mediæ regionis, & Par cygnorum amorem conjugialem infimæ regionis; fimilia fignificant tria genera arborum circum circa Palatium, oleæ, palmæ, & fagi: nos in Cælo fupremam regionem mentis vocamus Cæleftem, mediam Spiritualem, ac infimam Naturalem; ac percipimus illas ficut habitationes in domo, unam fupra alteram, & afcenfus ab una in alteram per gradus ficut per fcalas; & in unaquavis parte ficut duo conclavia, unum pro amore, alterum pro fapientia, & anterius ficut Cubiculum, ubi Amor cum fua fapientia, aut bonum cum fuo vero, aut quod idem, ubi voluntas cum fuo intellectu, in toro fe confociant; in illo Palatio exftant ficut effigiata omnia arcana amoris conjugialis. His auditis, accenfus defiderio videndi illud, quæfivi num alicui detur intrare & videre illud, quia eft Palatium repræfentativum; refpondit, quod non aliis quam qui in Cælo tertio funt, quia illis omne Repræfentativum amoris & fapientiæ fit reale; ab illis audivi quæ tibi retuli, & quoque hoc, quod Amor vere conjugialis habitet in fuprema regione in medio amoris mutui, in thalamo feu conclavi voluntatis, & quoque in medio perceptionum fapientiæ in thalamo feu conclavi intellectus, & quod confocientur toro in Cubiculo quod antrorfum eft, & in Oriente; & quæfivi, cur duo Thalami, dixit, quod Maritus fit in Thalamo intellectus, & quod Uxor fit in Thalamo voluntatis; & quæfivi, cum Amor conjugialis ibi habitat, ubi tunc frigus conjugiale, refpondit, quod etiam in fuprema regione, fed folum in Thalamo intellectus, claufo Thalamo voluntatis ibi; Intellectus enim cum fuis veris, poteft, quoties lubet, afcendere per fcalam cochlearem in fupremam regionem in fuum thalamum, fed fi voluntas cum fui amoris bono non fimul in confocium thalamum afcendit, clauditur hic, & fit frigus in altero, & hoc eft *Frigus conjugiale.* Intellectus, dum tale frigus ad uxorem eft, e fuprema regione fpectat deorfum ad infimam, & quoque, fi non timor illum retrahit, defcendit, ut ibi ex igne illicito calefcat. His dictis, voluit adhuc plura de Amore conjugiali ex effigiebus ejus in illo Palatio recenfere; fed dixit, fatis hac vice, inquire primum num hæc fint fupra communem intellectum, fi funt, quid plura, at fi non funt, detegentur plura.

DE CAUSIS APPARENTIS AMORIS, AMICITIÆ, ET FAVORIS IN CONJUGIIS.

271. Quoniam de Caufis frigorum & feparationum actum eft, ex ordine fequitur, ut de Caufis apparentis amoris, amicitiæ & favoris in Conjugiis, etiam agatur: notum enim eft, quod tametfi frigora feparant conjugum animos hodie, ufque cohabitent, & procreent; quod non fieret, nifi etiam darentur amores apparentes, ac alternis fimiles aut æmuli caloris genuini amoris: quod apparentiæ illæ fint neceffitates & utilitates, & quod abfque illis domus non confifterent, & inde nec Societates, in fequentibus videbitur. Præter hæc, aliqui confcientiofi poffunt laborare idea, quod diffidentiæ mentium inter fe & conjugem, & inde abalienationes internæ, fint in illorum culpa, ac imputentur, & quod propter id doleant corde; fed quia diffidentiæ internæ non in illorum manu funt ad opitulandum, fatis eft illis per apparentes amores & favores, fedare ex confcientia oboritura incommoda; inde etiam poteft redire amicitia, in qua ab ejus parte latet amor conjugialis, tametfi non ab alterius. Sed hæc Tranfactio propter numerum varietatum hujus materiæ, diftinguetur in articulos, ut priores; hujus Articuli funt hi. I. *Quod in Mundo naturali pæne omnes conjungi poffint quoad affectiones externas, non autem quoad internas fi hæ diffident & apparent.* II. *Quod in Mundo fpirituali omnes conjungantur fecundum affectiones internas, non autem fecundum externas, nifi hæ unum agant cum internis.* III. *Quod fint externæ affectiones, fecundum quas Matrimonia communiter contrahuntur in Mundo.* IV. *Sed quod, fi non internæ affectiones infunt, quæ conjungunt mentes, Matrimonia in domo folvantur.* V. *Quod tamen Matrimonia in Mundo ad finem vitæ utriufque permanfura fint.* VI. *Quod in Matrimoniis, in quibus internæ affectiones non conjungunt, dentur externæ, quæ fimulant internas, & confociant.* VII. *Quod inde apparens amor, aut apparens amicitia, & favor inter conjuges.* VIII. *Quod Apparentiæ hæ fint fimulationes conjugiales, quæ laudabiles, quia utiles & neceffariæ.* IX. *Quod hæ fimulationes conjugiales apud Spiritualem hominem conjunctum Naturali fapiant ex juftitia & judicio.* X. *Quod hæ fimulationes conjugiales apud naturales homines fapiant ex prudentia, propter varias caufas.* XI. *Quod fint propter emendationes, & propter accommodationes.* XII. *Quod fint propter ordinem fervandum in rebus domefticis; & propter mutuum auxilium.* XIII. *Quod fint propter curam infantum & erga liberos unicordem.* XIV. *Quod fint propter pacem in domo.* XV. *Quod fint propter famam extra domum.* XVI. *Quod fint propter varios favores exfpectatos a conjuge, aut ab ejus cognatis; & fic propter timores jacturæ illorum.* XVII. *Quod fint propter excufationes nævorum, & inde evitationes infamiæ.* XVIII. *Quod fint propter reconciliationes.* XIX. *Quod fi apud uxorem non ceffat favor, dum facultas apud virum, fieri poffit amicitia æmulans conjugialem, dum fenefcunt.* XX. *Quod variæ fpecies apparentis amoris & amicitiæ dentur inter conjuges, quorum unus eft fubjugatus, & inde fubjectus alteri.* XXI. *Quod dentur Conjugia infer-*

nalia

nalia in Mundo inter conjuges, qui interius ſunt infenſiſſimi hoſtes, & exterius ſicut conjunctiſſimi amici. Sequitur nunc horum Explicatio.

272. I. QUOD IN MUNDO NATURALI PÆNE OMNES CONJUNGI POSSINT QUOAD AFFECTIONES EXTERNAS, SED NON QUOAD AFFECTIONES INTERNAS SI HÆ DISSIDENT ET APPARENT; cauſa eſt, quia homo in Mundo præditus eſt corpore materiali, & hoc refertum eſt cupiditatibus, & hæ ſunt ibi ſicut feces, quæ ſe ad fundum, cum clarificatur muſtum vini, præcipitant; ex talibus conſiſtunt materiæ, ex quibus corpora hominum in Mundo conflata ſunt; inde eſt, quod internæ affectiones, quæ ſunt mentis, non appareant, & apud multos ex illis vix granum tranſpareat; corpus enim illas vel abſorbet, & ſuis fecibus involvit, vel ex ſimulatione edocta ab infantia alte a conſpectu aliorum abſcondit; & per id ſe mittit in ſtatum cujusvis affectionis, quam in altero animadvertit, & ejus affectionem ad ſe allicit, & ſic ſe conjungunt; quod ſe conjungant, eſt quia unicuivis affectioni eſt ſuum jucundum, & jucunda animos colligant. Aliter vero fieret, ſi affectiones internæ ſicut externæ, coram viſu in facie & geſtu, & coram auditu in ſono loquelæ apparerent, aut illarum jucunda ſentirentur nare ſeu odorarentur, ſicut fit in Mundo ſpirituali; tunc ſi diſſiderent uſque ad diſcordias, ſepararent animos ab invicem, & ſecundum perceptionem antipathiæ in longinquum ſe removerent. Ex his patet, quod in Mundo naturali pæne omnes conjungi poſſint quoad affectiones externas, ſed non quoad affectiones internas, ſi hæ diſſident & apparent.

273. II. QUOD IN MUNDO SPIRITUALI OMNES CONJUNGANTUR SECUNDUM AFFECTIONES INTERNAS, NON AUTEM SECUNDUM EXTERNAS, NISI HÆ UNUM AGANT CUM INTERNIS; cauſa eſt, quia tunc rejectum eſt materiale corpus, quod omnium affectionum formas recipere & proferre potuit, ut nunc ſupra dictum eſt, & homo nudatus ab illo corpore, eſt in ſuis affectionibus internis, quas corpus ejus prius abſcondidit; inde eſt, quod non modo ibi ſentiantur homogeneitates & heterogeneitates, ſeu ſympathiæ & antipathiæ, ſed illæ etiam appareant in faciebus, loquelis, & geſtibus; quare ibi ſimilitudines conjunguntur, & diſſimilitudines ſeparantur: hæc cauſa eſt, quod univerſum Cælum ſecundum omnes varietates affectionum amoris boni & veri a Domino ordinatum ſit, & ex oppoſito Infernum ſecundum omnes varietates affectionum amoris mali & falſi. Quoniam Angelis & Spiritibus æque ſunt affectiones internæ & externæ, ſicut hominibus in Mundo, & quoniam affectiones internæ non poſſunt ibi abſcondi ab externis, tranſparent & ſe manifeſtant, inde utræque apud illos rediguntur in ſimilitudinem & correſpondentiam, poſt quam affectiones internæ illorum per externas effigiantur in faciebus, percipiuntur in ſonis loquelæ, & quoque apparent in geſtibus morum. Quod Angelis & Spiritibus ſint affectiones internæ & externæ, eſt quia illis eſt mens & corpus, ac affectiones & inde cogitationes ſunt mentis, ac ſenſationes & inde voluptates ſunt corporis. Accidit ibi ſæpe, quod poſt mortem amici conveniant, & amicitiarum ſuarum in Mundo priori recordentur, & tunc credant, quod amicitiæ vitam ut prius conſociaturi ſint; ſed cum in

Cælo percipitur consocietas illa, quæ est modo affectionum externarum, fit separatio secundum internas; & tunc e conventu illo aliqui relegantur in septentrionem, & aliqui in occidentem, & singuli ad distantias inter se, ut se nusquam videant amplius, nec cognoscant; nam in locis commorationis illorum, immutantur faciebus, quæ affectionum internarum illorum fiunt effigies. Ex his patet, quod in Mundo Spirituali omnes conjungantur secundum affectiones internas, & non secundum externas, nisi hæ unum agant cum internis.

274. III: QUOD SINT EXTERNÆ AFFECTIONES, SECUNDUM QUAS MATRIMONIA COMMUNITER CONTRAHUNTUR IN MUNDO; est quia affectiones internæ raro consuluntur, & si consuluntur, usque non videtur similitudo illarum in fœmina, hæc enim ex nativa dote retrahit internas in penetralia mentis suæ. Affectiones externæ, quæ viros ad contrahendum matrimonia, inducunt, sunt plures; prima affectio hujus sæculi est rei familiaris amplificatio per opes, tam ut locupletentur, quam ut suppetant copiæ; altera est aspiratio ad honores, vel ut magnipendantur, vel ut in amplificato statu fortunæ sint: præter has sunt variæ pellectiones & concupiscentiæ; hæ nec dant locum explorandi convenientias affectionum internarum. Ex his paucis patet, quod Matrimonia communiter contrahantur in Mundo secundum affectiones externas.

275. IV: SED QUOD SI NON INTERNÆ AFFECTIONES, QUÆ CONJUNGUNT MENTES, INSUNT, MATRIMONIA IN DOMO SOLVANTUR; dicitur in domo, quia privatim inter illos; quod fit, dum primi calores accensi tempore desponsationis, & flagrantes dum instant nuptiæ, successive postea propter discrepantiam affectionum internarum, defervescunt, & demum abeunt in frigora; quod tunc affectiones externæ, quæ induxerunt & allectaverunt illos ad matrimonium, disparentur, ut nec amplius conjungant, notum est. Quod frigora oboriantur ex variis causis internis, externis, & accidentalibus, quæ omnes ex dissimilitudine internarum inclinationum trahunt rivos, in superiore Capite confirmatum est. Ex his patet veritas, quod nisi externis affectionibus insunt internæ, quæ conjungunt mentes, matrimonia in domo solvantur.

276. V: QUOD TAMEN MATRIMONIA IN MUNDO AD FINEM VITÆ PERMANSURA SINT. Hoc affertur, ut evidentius coram ratione sistatur necessitas, utilitas, & veritas, quod Amor conjugialis, ubi non genuinus est, usque affectandus sit, seu ut appareat sicut sit; aliter foret, si conjugia inita non essent pacta usque ad finem vitæ, sed solubilia ex arbitrio, sicut fuerunt apud Gentem Israeliticam, quæ sibi libertatem dimittendi uxores ex quacunque causa arrogavit; ut patet ex his apud Matthæum „ *Accesserunt Pharisæi, dicentes ad Jesum, licetne homini dimittere uxorem ex quacunque causa; & cum Jesus respondit, quod non liceat dimittere uxorem, & aliam ducere, nisi propter scortationem, retulerunt, quod usque Moses præceperit dare libellum repudii, & dimittere; & discipuli dixerunt, si sic est causa hominis cum uxore, non expedit matrimonium contrahere*, XIX. 3 ad 10. Cum itaque fædus conjugii est fædus vitæ, sequitur, quod apparentiæ amoris & amicitiæ inter conjuges sint necessitates. Quod Matrimonia contracta usque ad finem vitæ in Mundo permansura sint, est ex Lege Divina, & quia ex hac, etiam est ex lege rationali, & inde

inde ex Lege civili; ex Lege Divina, quod non liceat dimittere uxorem, & ducere aliam, nisi propter scortationem, ut supra; ex Lege rationali, quia fundatur super spirituali, sunt enim Lex Divina & Rationalis una Lex; ex hac & illa simul, seu per hanc ex illa, ad multum numerum videri possunt enormitates, & Societatum destructiones, & dissolutiones conjugiorum, seu dimissiones uxorum ex beneplacito maritorum, ante mortem; enormitates illæ & destructiones societatum quoad aliquam copiam possunt in MEMORABILI de Origine Amoris conjugialis ex congregatis e novem Regnis ventilata, n. 103 ad 115, videri; quibus plures rationes superaddere non opus est. Sed hæ Causæ non obstant, quin propter suas causas permittantur Separationes, de quibus supra n. 252, 253, 254; & quoque Concubinatus, de quibus in Secunda Parte.

277. VI. QUOD IN MATRIMONIIS, IN QUIBUS INTERNÆ AFFECTIONES NON CONJUNGUNT, DENTUR EXTERNÆ, QUÆ SIMULANT INTERNAS, ET CONSOCIANT. Per affectiones internas intelliguntur inclinationes mutuæ, quæ in utriusque mente sunt e Cælo; at per affectiones externas intelliguntur inclinationes, quæ in utriusque mente sunt e Mundo; hæ affectiones seu inclinationes quidem æque sunt mentis, sed occupant inferiorem ejus regionem, illæ autem superiorem: at quia utræque sedem suam in mente sortiuntur, potest credi, quod similes sint & conveniant; sed tametsi non similes sunt, usque possunt apparere sicut similes, at apud quosdam existunt sicut convenientiæ, & apud quosdam sicut blandæ simulationes. Est quædam Communio a primo fædere conjugii utrique implantata, quæ, tametsi animis diffident, usque insita manet; ut Communio possessionum, & in multis communio usuum, & variarum necessitatum domus, & inde quoque cogitationum, & quorundam arcanorum, est quoque communio tori, & communio amoris infantum; præter plura, quæ quia fæderi conjugiali, etiam mentibus illorum, inscripta sunt. Ex his sunt imprimis externæ affectiones, quæ assimilant internas; illæ autem quæ modo simulant illas, sunt partim ex eadem origine, & partim ex alia; sed de utrisque agitur in sequentibus.

278. VII. QUOD INDE SIT APPARENS AMOR, APPARENS AMICITIA, ET FAVOR INTER CONJUGES. Apparentes amores, amicitiæ & favores inter conjuges, consequuntur ex fædere conjugiali usque ad finem vitæ pacto, & ex communione conjugiali inde confæderatis inscripta, ex qua affectiones externæ assimilantes internas enascuntur, ut mox supra indigitatum est; & præterea ex causis, quæ sunt utilitates & necessitates; ex quibus partim existunt affectiones externæ conjunctivæ, vel simulatoriæ, per quas amor externus apparet sicut internus, & amicitia externa sicut interna.

279. VIII. QUOD APPARENTIÆ HÆ SINT SIMULATIONES CONJUGIALES, QUÆ LAUDABILES, QUIA UTILES ET NECESSARIÆ. Dicuntur simulationes, quia dantur inter illos qui diffident mentibus, & ex diffidentiis illis interius in frigore sunt; quando usque in externis, sicut oportet & decet, consociam vitam vivunt, tunc cohabitationis illorum consortia vocari possunt simulationes, sed conjugiales, quæ quia laudabiles sunt propter usus, prorsus distingvuntur a

 simu-

ſimulationibus hypocriticis; proſpiciuntur enim per illas omnia illa bona, quæ in ordine ab Articulo XI ad XXmum infra enumerantur; quod ſint laudabiles propter neceſſitates, eſt quia alioquin exularent illa bona; & tamen cohabitatio ex fœdere & lege injuncta eſt, & hæc inde ut debitum utrique inſidet.

280. IX: QUOD HÆ SIMULATIONES CONJUGIALES APUD SPIRITUALEM HOMINEM CONJUNCTUM NATURALI SAPIANT EX JUSTITIA ET JUDICIO: cauſa eſt, quia Spiritualis homo ex juſtitia & judicio agit quod agit, quare hic non videt ſimulationes has abalienatas ab affectionibus internis ſuis, ſed cum illis copulatas; ille enim ſerio agit, & ſpectat emendationem ut finem, & ſi hanc non conſequitur, ſpectat accommodationem, propter ordinem in domo, propter mutuum auxilium, propter curas infantum, propter pacem & tranquillitatem; ad hæc ex juſtitia fertur, & ex judicio dat in effectum. Quod homo ſpiritualis cum naturali ita cohabitet, eſt quia ſpiritualis ſpiritualiter agit, etiam cum naturali.

281. X: QUOD HÆ SIMULATIONES CONJUGIALES APUD NATURALES HOMINES SAPIANT EX PRUDENTIA PROPTER VARIAS CAUSAS. Inter duos conjuges, quorum unus eſt ſpiritualis, alter vero naturalis; per Spiritualem intelligitur qui amat ſpiritualia, & ſic ſapit ex Domino; & per Naturalem intelligitur, qui ſolum amat naturalia, & ſic ſapit ex ſe; quando duo illi conjugio ſunt conſociati, amor conjugialis apud ſpiritualem eſt calor, & apud naturalem eſt frigus; quod calor & frigus non poſſint ſimul eſſe, & quod calor non poſſit incendere illum qui in frigore eſt, niſi hoc prius diſſipetur, nec frigus influere in illum, qui in calore eſt, niſi hic prius amoveatur, patet; inde eſt, quod inteſtinus amor non dabilis ſit inter conjuges, ſpiritualem & naturalem; ſed quod poſſit dari amor inteſtini æmulus a parte conjugis ſpiritualis, ut in ſuperiori Articulo dictum eſt: at vero inter duos conjuges naturales non dabilis eſt amor inteſtinus, quia friget uterque, ſi calent eſt ex incaſto; hi tamen uſque poſſunt ſeparatis animis in domo cohabitare, & quoque effingere vultus ſicut amoris & amicitiæ inter ſe, utcunque mentes inter ſe diſcordant: apud hos affectiones externæ, quæ ut plurimum ſunt opum & poſſeſſionum, aut honoris & dignitatum, poſſunt ſicut ardere; & quia ardor ille inducit timorem pro jactura illarum, ideo ſunt ſimulationes conjugiales illis neceſſitates, quæ imprimis ſunt, quæ in Articulis XV. XVI. XVII, infra afferuntur; reliquæ cauſæ cum his enumeratæ poſſunt aliquid commune habere cum cauſis apud ſpiritualem hominem, de quibus ſupra n. 280, ſed modo ſi prudentia apud naturalem hominem ſapit ex intelligentia.

282. XI: QUOD SINT PROPTER EMENDATIONES, ET PROPTER ACCOMMODATIONES. Quod Simulationes conjugiales, quæ ſunt apparentiæ amoris & amicitiæ inter conjuges animis diffidentes, ſint propter emendationem, eſt quia Spiritualis homo fœdere matrimoniali copulatus cum Naturali, nihil aliud intendit quam emendationem vitæ; quod ab illo fit per ſermones ſapientiæ & elegantiæ, & per favores genio alterius adblandientes; at ſi hæc vane in ejus aures & mores cadunt, intendit accommodationes, propter conſervationem ordinis in rebus domeſticis, propter mutua auxilia, & propter infantes & liberos,

res, & similia alia; nam dicta & acta, quæ a spirituali homine procedunt, sapiunt ex justitia & judicio, ut supra n. 280, ostensum est. Apud conjuges, autem, ex quibus non unus est spiritualis, sed ambo sunt naturales, simile potest dari, sed propter alios fines; si propter emendationem & accommodationem, est finis vel ut alter redigatur ad similitudinem suorum morum, ac ut suis desideriis subordinetur, vel propter aliqua officia, ut fiant inservientia suis, vel propter pacem intra domum, aut famam extra domum, vel propter favores speratos a conjuge, aut ab ejus agnatis, præter fines alios; sed hi apud quosdam sunt ex prudentia rationis illorum, apud quosdam ex civilitate nativa, apud quosdam ex jucundis cupiditatum a nativitate familiarium, quarum jacturam timet, præter plures, ex quibus assumpti favores sicut amoris conjugialis fiunt plus aut minus simulatorii. Dantur etiam favores sicut amoris conjugialis extra domum, & nulli intra domum, sed hi pro fine spectant famam utriusque, & si non hanc, sunt lusorii.

283. XII: Quod sint propter ordinem servandum in rebus domesticis; et propter mutuum auxilium. Unaquævis domus, ubi etiam liberi, horum instructores, & domestici alii, est una societas æmulans magnam; hæc etiam ex illis, sicut commune ex partibus, coexistit; & quoque sicut salus societatis magnæ dependet ex ordine, ita salus societatis hujus parvæ ex ordine; quare quemadmodum interest personis magistratus dispicere & prospicere, ut fit & servetur ordo in Societate composita, ita conjugibus in singulari sua: sed hic ordo non dabilis est, si maritus & uxor animis diffident, per id enim mutua consilia & auxilia in diversum trahuntur, ac dividuntur sicut animi, & sic discinditur forma parvæ societatis; quare ad servandum ordinem, & per illum ad prospiciendum sibi & simul domui, aut domui & simul sibi, ne in pessum eant, & in perniciem ruant, necessitas postulat, ut dominus & domina concordent, ac unum faciant; quod si non potest fieri propter discrimen mentium, usque ut bene sit, oportet & quoque decet, ut id fiat per repræsentativam amicitiam conjugialem; quod inde concordiæ in domibus consarciantur propter necessitates & inde utilitates, notum est.

284. XIII: Quod sint propter curam infantum, et erga liberos, unicordem. Quod simulationes conjugiales, quæ sunt apparentiæ amoris & amicitiæ, instar vere conjugialium, propter infantes & liberos inter conjuges sint, perquam notum est; communis horum amor facit, ut conjux spectet conjugem benigne & faventer: amor infantum & liberorum apud matrem & patrem se conjungunt, sicut cor & pulmo in pectore; amor illorum apud matrem est sicut cor ibi, & amor erga illos apud patrem est sicut pulmo ibi; causa comparationis est, quia cor correspondet amori, & pulmo intellectui, & amor ex voluntate est apud matrem, & amor ex intellectu est apud patrem. Apud homines spirituales est conjunctio conjugialis per illum amorem ex justitia & judicio; ex justitia, quia Mater gestaverat illos utero, cum dolore pepererat illos, & postea cura indefessa lactat, nutrit, mundat, amicit & educat illos.

285. XIV: Quod sint propter pacem in domo. Simulationes conjugiales;

les ſeu amicitiæ externæ propter pacem & tranquillitatem domi, ſunt præcipue viris, ob naturale characteriſticon illorum, quod ex intellectu agant quod agunt; ac intellectus, quia eſt cogitans, verſat varia, quæ animum reddunt inquietum, diſtrahunt, & turbant; quare ſi domi foret intranquillitas, fieret, quod vitales illorum ſpiritus elangueſcerent, ac interior illorum vita quaſi letho occumberet, & ſic ſanitas & mentis & corporis illorum peſſumdaretur; horum periculorum & plurium aliorum timores obſiderent mentes virorum, niſi pro ſedatione turbarum intellectus illorum domi apud uxores forent azyla: præterea pax & tranquillitas ſerenant mentes & diſponunt illas ad grate recipiendum benevolentias oblatas ab uxoribus, quæ omnem operam impendunt ad ſedandum nubes mentium, quas perſpicaciter apud maritos obſervant; ac illa inſuper amænant præſentias illarum; inde patet, quod ſimulatio amoris ſicut vere conjugialis propter pacem & tranquillatem domi ſit neceſſitas & quoque utilitas: accedit, quod apud uxores non ſint ſimulationes ſicut apud viros, ſed ſi inſtar illarum apparent, ſunt realis amoris, quia natæ ſunt amores intellectus virorum, quare favores maritorum benigne acceptant, ſi non ore uſque corde.

286. XV: Quod sint propter famam extra domum. Fortunæ virorum ut plurimum dependent a fama, quod ſint juſti, ſinceri & recti; & hæc fama etiam dependet ab uxore, quæ ſcit ejus vitam familiarem; quare ſi diffidentiæ mentium illorum in apertas inimicitias, rixas, & odii minas, erumperent, & hæ ab uxore & ejus amicis, aque domeſticis evulgarentur, facile verterentur in vituperia, quæ nomini ejus dedecori & infamiæ forent; ad talia evitanda non ſuppetit alia copia, quam vel ut ſimulate faveat uxori, vel ut ſeparentur quoad domum.

287. XVI: Quod sint propter varios favores exspectatos a conjuge, aut ab ejus cognatis, et sic propter timores jacturæ illorum. Hoc fit imprimis in conjugiis diſſimilis ſtatus & conditionis, de quibus videatur ſupra n. 250; ſicut cum ducitur uxor opulenta, & hæc recondit ſuos nummos in crumenis, aut gazas in hypothecis; & plus ſi audacter inſtat, quod ex debito mariti ſit, ex ſuo cenſu & reditu ſuſtentare domum; quod inde ſint coactæ ſimilitudines amoris ſicut conjugialis, communiter notum eſt. Similia fiunt cum uxore ducta, cujus parentes, cognati & amici, in officiis dignitatis, in negotiis lucri, & in operis mercium ſunt, qui de ſtatu ejus proſperiori poſſunt diſponere; quod propter hæc etiam ſint ſimulationes amoris ſicut conjugialis, communiter notum eſt. Quod hæc & illa ſint propter timores jacturæ illorum patet.

288. XVII: Quod sint propter excusationes nævorum, et inde evitationes infamiæ. Nævi, propter quos conjuges timent infamiam, ſunt plures, quidam fontici, & quidam non fontici; ſunt nævi mentis, & nævi corporis leviores enumeratis in Capite priori, n. 252 & 253, quæ cauſæ ſeparationis ſunt; quare intelliguntur nævi, qui propter infamiam ab altero conjuge ſilentio premuntur: præter hos, apud aliquos ſunt contingentia crimina, quæ pœnis legis, ſi evulgarentur, ſubjecta ſunt; ut taceatur defectus copiæ, fami-

ex qua viri ex ſolito gloriantur. Quod talium excuſationes ad evitandum infamiam, ſint cauſæ ſimulationis amoris & amicitiæ cum conjuge, abſque ulteriore confirmatione, patet.

289. XVIII: QUOD SINT PROPTER RECONCILIATIONES. Quod inter conjuges, qui diſcordant mentibus ex variis cauſis, ſint alternæ diffidentiæ & confidentiæ, abalienationes & conjunctiones, imo rixationes & compoſitiones, ita reconciliationes, tum etiam quod apparentes amicitiæ reconcilient, in Mundo notum eſt. Dantur etiam reconciliationes, quæ fiunt poſt diſceſſiones, quæ non ſunt ita alternæ & tranſitoriæ.

290. XIX: QUOD SI APUD UXOREM NON CESSAT FAVOR, DUM FACULTAS APUD VIRUM, FIERI POSSIT AMICITIA ÆMULANS CONJUGIALEM CUM SENESCUNT. Primaria cauſarum ſeparationis animorum inter conjuges, eſt favor deficiens apud uxorem, ceſſante facultate apud virum, & inde amor; nam ſimiliter ſicut calores communicant inter ſe, etiam frigora: quod ex defectu amoris apud utrumque, ceſſet amicitia, & ſi pernicies rei familiaris in domo non timetur, etiam favor, a ratione & ab experientia conſtat. Si itaque vir tacite ſibi imputat cauſam, & uſque uxor in caſto favore erga illum perſeverat, poteſt inde reſultare amicitia, quæ quia eſt inter conjuges, apparet ſicut amor æmulans conjugialem. Quod amicitia tanquam illius amoris detur inter conjuges ſenes, ex illorum contuberniis, commerciis, & conſortiis tranquillis, ſecuris, amabilibus, & comitate plenis, experientia teſtatur.

291. XX: QUOD VARIÆ SPECIES APPARENTIS AMORIS ET AMICITIÆ DENTUR INTER CONJUGES, QUORUM UNUS EST SUBJUGATUS, ET INDE SUBJECTUS ALTERI. Quod poſt exacta prima tempora conjugii inter conjuges oboriantur æmulationes de jure & poteſtate; de jure, quod ſecundum ſtatuta pacti fœderis ſit æqualitas, & cuivis dignitas in officiis ſuæ functionis; & de poteſtate, quod inſiſtatur a viris in omnibus rebus domi ſuperioritas, quia ſunt viri, & fœminis ſit inferioritas, quia ſunt fœminæ, inter cognita in Mundo hodierno ſunt. Tales æmulationes hodie familiares non aliunde fluunt, quam ex nulla conſcientia de amore vere conjugiali, & ex nulla perceptione ſenſus de beatitudinibus illius amoris; ex quarum abſentia pro amore illo eſt cupido, quæ mentitur illum amorem; ex hac cupidine, remoto genuino amore, profluit ambitus de poteſtate, qui quibuſdam ineſt ex jucundo amoris dominandi, quibuſdam implantatus eſt a ſciis fœminis ante nuptias, & quibuſdam eſt ignotus: Viri qui in hoc ambitu ſunt, & poſt æmulationis vices imperium obtinent, redigunt uxores vel in poſſeſſionem ſui juris, vel in obſequia ſui arbitrii, vel in mancipia, quiſque ſecundum ambitus illius gradum & qualificatum ſtatum inſitum & latentem apud ſe; ſi autem Uxores in hoc ambitu ſunt, & poſt æmulationis vices imperium obtinent, redigunt maritos ſuos vel in æqualitatem juris ſecum, vel in obſequia ſui arbitrii, vel in mancipia; at quoniam apud uxores, poſt obtentos imperii faſces ab illis, remanet cupido quæ mentitur amorem conjugialem, refrænata ex lege & ex timore ſeparationis legitimæ, ſi poteſtatem ſuam ultra fas in nefas extendunt, ideo conſociam vitam cum maritis agunt. Qualis autem amor & amicitia inter dominam uxorem & ma-

ritum servum, tum qualis inter dominum maritum & uxorem servam, intercedit, non potest paucis verbis describi; imo si differentiæ illarum conferrentur in species, & hæ recenserentur, non sufficerent paginæ; sunt enim variæ & diversæ, variæ secundum ambitus naturam apud viros, similiter variæ apud uxores; & diversæ virorum ab illis, quæ sunt apud fæminas; viri tales enim in nulla amicitia amoris sunt nisi fatua, & uxores in amicitia amoris spurii ex cupidine. Qua autem arte uxores potestatem super viros sibi comparant, in nunc sequente Articulo dicetur.

292. XXI: QUOD DENTUR CONJUGIA INFERNALIA IN MUNDO INTER CONJUGES, QUI INTERIUS SUNT INFENSISSIMI HOSTES, ET EXTERIUS SICUT CONJUNCTISSIMI AMICI. Vetor quidem ab uxoribus talis sortis, quæ in Spirituali Mundo sunt, conjugia illa in lucem publicam sistere; timent enim ne illarum ars obtinendi potestatem super viros simul propaletur, quam tamen summopere cupiunt occultandam: sed quia excitor a Viris in illo Mundo ad detegendum causas sui intestini odii & quasi furoris illati in corda illorum contra uxores, ex clandestinis artibus illarum, velim solum adducere hæc sequentia. Dixerunt viri, quod illis nesciis, contraxerint pro uxoribus terrificum timorem, ex quo non potuerunt aliter quam subjectissime obedire arbitriis illarum, & nutibus illarum obsequi plusquam vilissimi servi, sic ut facti sint sicut vappæ; & quod ita facti sint pro uxoribus non modo illi, qui in nulla dignitate constituti sunt, sed etiam qui in magna, imo strenui & præclari duces; & dixerunt quod post contractum illum terrorem non potuerint in ullo ausu esse fari cum uxoribus nisi amice, & facere illis nisi quod placiti illarum est, tametsi odium internecinum in cordibus suis contra illas foverent; & adhuc, quod usque uxores cum illis comiter loquantur & agant, & quibusdam suis petitis obtemperanter auscultent. Nunc quia ipsi Viri permirati sunt, unde tale antipathicum in internis illorum, & tale sicut sympathicum in externis, obortum est, exploraverunt causas a fæminis, quibus secre a illa ars fuit nota; & inquierunt, quod ex ore illarum hauserint, quod Mulieres alte apud se recondant scientiam, qua callent viros jugo sui imperii, si volunt, subjicere; & quod hoc fiat apud uxores rudes per increpationes & alternas faventias; apud alias per vultus duros & inamænos continue, & apud similes aliter: at apud uxores politas per obnixitates petitionum per vices nunquam intermissas, & per resistentias pertinaces contra maritos si dura ab illis patiuntur, insistentes juri suæ æqualitatis ex lege, ex quo audacter obstinant se: imo quod si ejicerentur domo, redeant ex lubitu, ac instent similia; sciunt enim, quod viri ex sua natura nequaquam possint obnixitatibus suarum uxorum resistere, & quod post cessionem arbitriis illarum se submittant; & quod tunc uxores, sub imperio suo, civilia & blanda maritis exhibeant: causa genuina dominationis uxorum per hunc astum est, quod vir ex intellectu agat, & fæmina ex voluntate, & quod voluntas possit obstinare se, non autem intellectus: dictum mihi est, quod pessimæ hujus farinæ, quæ ambitu dominandi penitus inescatæ sunt, obnixitatibus suis possint tenaciter inhærere usque ad vitæ agonem. Audivi etiam excusationes a mulieribus illis, cur in exercitium hujus artis intraverint; dixerunt

runt, quod in illud non intravissent, nisi præviderint supremum contemptum, & futuram rejectionem, & inde exitium suum, si a maritis subjugarentur, & quod sic ex necessitate hæc sua arma capesserint: his addiderunt hoc monitum pro viris, ut uxoribus sua jura relinquant, & dum alternis in frigoribus sunt, non reputent illas ut viles infra ancillas; dicebant etiam quod plures ex suo sexu non sint in statu exercendi illam artem ex connata timiditate; sed adjeci, ex connata modestia. Ex his nunc notum factum est, quæ conjugia intelliguntur per conjugia infernalia in Mundo inter conjuges, qui interius sunt infensissimi hostes, & exterius sicut conjunctissimi amici.

✻ ✻ ✻ ✻ ✻ ✻ ✻

293. His adjicientur DUO MEMORABILIA; PRIMUM hoc: Quondam per fenestram spectavi ad Orientem, & vidi septem Mulieres sedentes super Roseto ad quendam fontem, bibentes aquam; intendi fortiter aciem oculi ad videndum quid facerent, ac intensio aciei oculi mei affecit illos; quare una ex illis nutu invitavit me; & ego exivi domo, & propere accessi; & cum aderam, urbane quæsivi, undenam essent; & dixerunt, sumus Uxores, & hic colloquimur de Delitiis amoris conjugialis, & ex multa confirmatione concludimus, quod illæ delitiæ etiam sint delitiæ sapientiæ; quod responsum ita oblectavit animum meum, ut viderer mihi in spiritu & inde in perceptione plus interius ac illustrius esse, quam alioquin prius; quare dixi ad illas, permittite vices interrogationis de amænitatibus his, & annuerunt; & interrogavi, quomodo vos uxores scitis, quod delitiæ amoris conjugialis sint eædem cum delitiis sapientiæ; & responderunt, hoc scimus ex correspondentia sapientiæ apud maritos cum delitiis amoris conjugialis apud nos; nam delitiæ hujus amoris apud nos se exaltant & diminuunt, ac prorsus se qualificant secundum sapientiam apud maritos nostros; his auditis quæsivi, dicens, scio quod blandiloquia maritorum, ac hilaritates mentis illorum, afficiant vos, & quod vos toto pectore delitiemini ex illis, sed miror quod dicatis, quod sapientia illorum id efficiat; at dicite mihi, quid sapientia, & quæ sapientia; ad hæc uxores indignatæ respondebant, putas quod nos non sciamus, quid sapientia & quæ sapientia, cum tamen super illam apud maritos nostros continue reflectimus, & illam quotidie ex ore illorum discimus; nam nos uxores cogitamus de statu maritorum nostrorum a mane usque ad vesperam, vix in die intercedit horula intercalaris, seu in qua cogitatio intuitiva nostra ab illis plane recedit, seu est absens; vicissim mariti de nostro statu perparum aliquid in die cogitant; inde est, quod sciamus quæ illorum sapientia delitiatur in nobis; vocant mariti Sapientiam illam sapientiam spiritualem rationalem, ac spiritualem moralem; Sapientiam spiritualem rationalem dicunt esse intellectus & cognitionum, ac Sapientiam spiritualem moralem dicunt esse voluntatis & vitæ; at ambas illas conjungunt & faciunt unam, & statuunt quod hujus sapientiæ amænitates e mentibus illorum transcribantur in delitias in pectoribus nostris, & a nostris in pectora illorum, & sic ad sapientiam originem suam, redeant: & tunc quæsivi, num

ſciant aliquid plus de ſapientia maritorum delitiante in vobis, dixerunt, ſcimus; eſt Sapientia ſpiritualis, & inde rationalis & moralis; ſapientia ſpiritualis eſt agnoſcere Dominum Salvatorem pro Deo Cæli & Terræ, & ab Ipſo, quod fit per Verbum ac prædicationes inde, comparare ſibi Eccleſiæ vera, unde ſpiritualis rationalitas; & ab Ipſo vivere ſecundum illa, unde ſpiritualis moralitas; has duas vocant mariti Sapientiam, quæ in genere operatur amorem vere conjugialem: audivimus ab illis etiam cauſam, quod per illam ſapientiam aperiantur interiora mentis & inde coporis illorum, unde exiſtit liber tranſitus a primis uſque ad ultima pro vena amoris, ex cujus affluxu, ſufficientia, & virtute, pendet & vivit amor conjugialis. Sapientia maritorum noſtrorum ſpiritualis rationalis & moralis in ſpecie quoad conjugium pro fine & ſcopo habet amare ſolam uxorem, & exuere omnem concupiſcentiam ad alias; & quantum hoc fit, tantum exaltatur amor ille quoad gradum, ac perficitur quoad quale, & quoque tantum diſtinctius & exquiſitius ſentimus delitias in nobis correſpondentes jucundis affectionum & amœnis cogitationum maritorum noſtrorum. Poſtea quæſivi, num ſciant quomodo fit communicatio, dixerunt, in omni conjunctione per amorem erit actio, receptio, & reactio; ſtatus delitioſus amoris noſtri eſt agens ſeu actio, ſtatus ſapientiæ maritorum eſt recipiens ſeu receptio, & quoque eſt reagens ſeu reactio ſecundum perceptionem, & hæc reactio a nobis percipitur cum delitiis in pectore ſecundum ſtatum jugiter expanſum & præparatum ad recipiendum illa, quæ cum virtute apud maritos, ita quoque cum ſtatu extremo amoris apud nos aliqua ratione cohærent & inde procedunt. Porro dixerunt, cave ne per delitias, quas memoravimus, intelligas delitias illius amoris ultimas, de his nuſquam aliquid loquimur, ſed de delitiis pectoralibus noſtris, quarum perpetua correſpondentia eſt cum ſtatu ſapientiæ maritorum noſtrorum. Poſt hæc apparuit e longinquo tanquam Columba volans cum folio arboris in ore, ſed ſicut appropinquavit, loco columbæ viſus eſt Puerulus cum charta in manu, & ad nos accedens illam mihi porrexit, & dixit, lege illam coram his Virginibus fontis; & legi hæc, dic Terricolis cum quibus es, quod detur amor vere conjugialis, cujus delitiæ ſunt myriades, de quibus vix aliquas adhuc novit orbis; at cognoſcet, cum Eccleſia ſe deſponſat ſuo Domino, ac nubit; & tunc quæſivi, cur puer ille vocavit vos Virgines fontis, reſpondebant, vocamur Virgines cum ad hunc fontem ſedemus, quoniam ſumus affectiones veritatum ſapientiæ maritorum noſtrorum, & affectio veri vocatur virgo, fons etiam ſignificat verum ſapientiæ, ac roſetum, ſuper quo ſedemus, delitias ejus: tunc una ex ſeptem illis, nectebat ſertum ex roſis, & conſperſit illud aqua fontis, ac poſuit illud ſuper pileo pueri circum capitellum ejus, & dixit, recipe delitias intelligentiæ, ſcias quod pileus ſignificet intelligentiam, ac ſertum ex roſeto hoc delitias; ac puer his decoratus abiit, & e longinquo rurſus viſus eſt ſicut columba volans, ſed cum coromento ſuper capite.

294. Secundum Memorabile. Poſt aliquot dies iterum vidi ſeptem illas Uxores in Roſario, ſed non in eodem in quo prius; erat Roſarium magnificum, cujus inſtar nuſquam videram prius; erat rotundum, ac roſæ ibi formabant

bant ſicut Arcum Irideum, roſæ ſeu flores purpurei coloris circulum ejus extimum, ac aliæ flavi aurei coloris interiorem proximum, ac intra hunc aliæ cyanei coloris, ac intimum praſſini ſeu nitentis viridis coloris; & intra irideum hoc Roſarium erat parvulus Lacus aquæ limpidæ. Septem illæ uxores prius vocatæ Virgines fontis, ſedentes ibi me viſum in feneſtra iterum vocabant ad ſe, & cum aderam dicebant, num uſquam videris formoſius ſuper terra, & dixi nuſquam, & dicebant, quod tale momento creetur a Domino, & quod repræſentet aliquod novum in terra, nam omne creatum a Domino repræſentat, ſed quid hoc, divina ſi potes; nos divinamus delitias amoris conjugialis. Hoc audito, dixi, quid delitiæ amoris conjugialis, de quibus ex ſapientia, & quoque facundia, tam multa prius loquutæ eſtis; poſtquam abivi a vobis, narravi ſermonem veſtrum uxoribus in noſtra regione commorantibus, & dixi, quod inſtructus nunc ſciam, quod vobis ſint delitiæ pectorales oriundæ ex amore conjugiali veſtro, quas maritis veſtris ſecundum ſapientiam illorum poteſtis communicare, & quod ideo maritos veſtros oculis ſpiritus veſtri continue a mane uſque ad veſperam intueamini, ac ſtudeatis flectere & perducere animos illorum ad ſapiendum, propter finem ut delitias illas aucupemini; memoravi etiam quid per ſapientiam intelligitis, quod ſapientiam ſpiritualem rationalem & moralem; & quoad conjugium, ad amandum ſolam uxorem, & ad exuendum omnem concupiſcentiam ad alias: ſed ad hæc uxores regionis noſtræ reſpondebant cum riſu, dicentes, quid hoc, illa dicta ſunt nauci, nos non ſcimus quid amor conjugialis, ſi aliquis eſt maritis, uſque non aliquis eſt nobis; unde tunc ejus delitiæ apud nos; imo ad delitias, quas vocatis ultimas, quandoque violenter renuimus, ſunt enim nobis inamænæ, vix aliter quam violationes; imo non videbis, ſi attenderis, ſignum talis amoris in faciebus noſtris; quare nugaris aut jocaris ſi cum ſeptem illis uxoribus etiam tu dixeris, quod a mane uſque ad veſperam cogitemus de maritis noſtris, ac continue attendamus ad placita & lubita illorum, propter finem ut tales delitias captemus ex illis: hæc a dictis illarum retinui, ut illa vobis referam, quoniam repugnant, & quoque plane contrariantur ſermoni, quem juxta fontem a vobis audivi, & tam avide hauſi, & quoque credidi. Ad hæc reſponderunt Uxores ſedentes in Roſario, amice, neſcis ſapientiam & prudentiam uxorum, quia viris illam prorſus abſcondunt, & abſcondunt illam non propter alium finem, quam ut amentur; eſt enim cuilibet viro, qui non ſpiritualiter, ſed modo naturaliter rationalis & moralis eſt, frigus ad uxorem, hoc apud illum in intimis latet; hoc uxor ſapiens & prudens exquiſite & acute animadvertit, & tantum ex amore ſuo conjugiali celat, ac intrahit in pectus, & ibi recondit tam penitus, ut non minimum ejus appareat in facie, nec in ſono, nec in geſtu; cauſa eſt, quia quantum apparet, tantum frigus viri conjugiale effundit ſe ab intimis mentis ejus, ubi reſidet, in ultima ejus, ac inducit corpori totalem frigeſcentiam, & inde niſum ſeparationis a toro & a cubiculo. Tunc quæſivi, unde tale frigus, quod vocatis frigus conjugiale, reſponderunt, eſt ex inſania illorum in ſpiritualibus, & omnis qui in ſpiritualibus inſanit, friget intime ad uxorem, & calet intime ad meretrices; & quia amor

conjugialis & amor ſcortatorius ſunt ſibi oppoſiti, ſequitur quod amor conjugialis fiat frigus, dum amor ſcortatorius eſt calor; & vir, cum frigus apud illum regnat, non ſuſtinet aliquem ſenſum amoris, & ſic non aliquem afflatum ejus, ab uxore; quare uxor tam ſapienter & prudenter illum celat, & quantum illum celat negando & renuendo, tantum vir ab influa ſphæra meretricia refocillatur & reparatur; inde eſt, quod uxori talis viri non ſint delitiæ pectorales, quales ſunt nobis, ſed modo voluptates, quæ a parte viri vocandæ ſunt voluptates inſaniæ, quia ſunt voluptates amoris ſcortatorii. Omnis uxor caſta amat ſuum maritum, etiam incaſtum, ſed quia ſapientia eſt unice recipiens amoris ejus, ideo uxor omnem operam impendit, ut inſaniam ejus vertat in ſapientiam, hoc eſt, ut non concupiſcat alias præter ſe; quod facit mille modis, maxime cavens, ne aliqui eveſtigentur a viro, nam probe ſcit, quod amor non poſſit cogi, ſed quod inſinuetur in libero: quare datum eſt mulieribus cognoſcere ex viſu, ex auditu, & ex tactu, omnem ſtatum animi virorum ſuorum, at viciſſim non datum eſt viris cognoſcere ullum ſtatum animi uxorum ſuarum. Caſta uxor poteſt aſpicere virum auſtero vultu, alloqui illum aſpera voce, & quoque iraſci & rixari, & uſque tamen in corde fovere blandum & tenerum amorem erga illum; ſed quod iracundiæ ac diſſimulationes illæ pro fine habeant ſapientiam & inde receptionem amoris apud maritum, patet manifeſte ex eo, quod momento poſſit reconciliari; præterea ſunt talia uxoribus media celandi amorem cordi ac medullis illarum inſitum, propter cauſam, ne frigus conjugiale apud virum erumpat, & quoque caloris ejus ſcortatorii focum exſtinguat, & ſic a ligno virente faciat illum ſiccum ſtipitem. Poſtquam ſeptem illæ uxores hæc & ſimilia plura eloquutæ ſunt, venerunt mariti illarum cum botris in manibus, quorum aliqui erant ſaporis delicati, & aliqui ſaporis tetri; & dicebant uxores, cur etiam apportaſtis uvas malas ſeu labruſcas; reſpondebant mariti, quia percepimus in animabus noſtris, cum quibus veſtræ unitæ ſunt, quod cum viro iſto loquutæ ſitis de amore vero conjugiali, quod ejus delitiæ eſſent delitiæ ſapientiæ, & quoque de amore ſcortatorio, quod ejus delitiæ eſſent voluptates inſaniæ; hæ ſunt uvæ tetri ſaporis ſeu labruſcæ, illæ autem ſunt uvæ delicati ſaporis; & confirmabant ſermonem uxorum ſuarum; addentes, quod voluptates inſaniæ in externis appareant ſimiles delitiis ſapientiæ, ſed non in internis, prorſus ſicut uvæ bonæ & uvæ malæ quas apportavimus; eſt enim tam caſtis quam incaſtis ſimilis ſapientia in externis, ſed prorſus diſſimilis in internis. Poſt hæc iterum venit Puerulus cum membrana in manu, & mihi porrexit, dicens, lege, & legi hæc; ſcitote quod delitiæ amoris conjugialis aſcendant ad Cælum ſupremum, ac ſe in via & ibi cum delitiis omnium amorum cæleſtium conjungant, & ſic intrent ſuam felicitatem, quæ in æternum perſiſtit; cauſa eſt, quia delitiæ illius amoris ſunt etiam delitiæ ſapientiæ. Et quoque ſcitote, quod voluptates amoris ſcortatorii deſcendant uſque ad infernum infimum, ac ſe in via & ibi cum voluptatibus omnium amorum infernalium conjungant, & ſic intrent ſuam infelicitatem, quæ conſiſtit in ærumna omnium jucunditatum cordis; cau-

ſa

fa eft, quia voluptates illius amoris funt etiam voluptates infaniæ. Poft hæc abiverunt mariti cum uxoribus, & comitati funt puerulum ufque ad viam afcenfus ejus in cælum, & cognofcebant Societatem, e qua miffus eft, quod effet focietas Cæli novi, cum quo Ecclefia nova in terris conjuncta erit.

DE DESPONSATIONIBUS ET NUPTIIS.

295. De Defponfationibus & Nuptiis, & quoque de Solennibus circa illas, hic agitur præcipue ex ratione intellectus; nam illa, quæ in hoc Libro fcripta funt, pro fine habent, ut Lector ex Rationali fuo videat veritates, & fic confentiat, ita enim fpiritus ejus convincitur; & illa, in quibus fpiritus convincitur, fortiuntur locum fupra illa, quæ abfque confulta ratione intrant ex autoritate & ejus fide, nam hæc non penitius ineunt caput, quam in memoriam, & ibi fe commifcent cum fallaciis & falfis, ita infra rationalia quæ funt intellectus; unufquifque homo poteft ex his loqui ficut rationaliter, fed præpoftere; cogitat enim tunc ficut vadit cancer, vifu fequente caudam; aliter fi ex intellectu; dum ex hoc, tunc vifus rationalis ex memoria eligit convenientia, per quæ in fe fpectatam veritatem confirmat. Hæc caufa eft, quod in hoc Capite adducantur plura, quæ receptæ confuetudines funt; ficut quod electio fit viris; quod confulendi fint parentes; quod pignora danda fint; quod fœdus conjugiale ante nuptias pangendum fit; quod id a facerdote confecrandum fit; tum quod nuptiæ celebrandæ; præter plura, quæ adducuntur propter finem, ut homo ex rationali fuo videat, quod talia infcripta fint amori conjugiali, ut ejus requifita, quæ promovent & complent illum. Articuli, in quos hæc Lucubratio diftinguitur, funt in fuo ordine fequentes. I. *Quod Viro fit electio, & non Fæminæ.* II. *Quod Virum oporteat ambire & rogare Fæminam de conjugio fecum, & non viciffim.* III. *Quod Fæminam oporteat confulere Parentes, aut illos qui loco parentum funt, & dein apud fe deliberare, antequam confentit.* IV. *Quod poft declarationem confenfus pignora danda fint.* V. *Quod confenfus per folennem defponfationem firmandus & conftabiliendus fit.* VI. *Quod per defponfationem præparetur uterque ad amorem conjugialem.* VII. *Quod per Defponfationem unius mens conjungatur menti alterius, ut fiat conjugium fpiritus, antequam fit corporis.* VIII. *Quod ita fiat apud illos, qui de conjugiis cafte cogitant, aliter qui de illis incafte.* IX. *Quod intra tempus defponfationis non liceat corporaliter conjungi.* X. *Quod poft exactum tempus defponfationis fieri debeant nuptiæ.* XI. *Quod ante celebrationem nuptiarum Fœdus conjugiale pangendum fit in præfentia teftium.* XII. *Quod Conjugium a Sacerdote confecrandum fit.* XIII. *Quod Nuptiæ cum feftivitate celebrandæ fint.* XIV. *Quod poft nuptias conjugium fpiritus etiam fiat corporis, & fic plenum.* XV. *Quod talis fit amoris conjugialis ordo cum fuis modis a primo ejus calore ad primam ejus facem.* XVI. *Quod Amor conjugialis abfque ordine & hujus modis præcipitatus exurat medullas, & confumnetur.* XVII. *Quod ftatus mentium utriufque in fucceffivo ordine procedentes influant in ftatum conjugii; attamen aliter apud fpirituales, & aliter apud naturales.*

rales. XVIII. *Quia datur ordo successivus, & ordo simultaneus, & hic est ex illo & secundum illum.* Sequitur nunc horum explicatio.

296. I: QUOD VIRO SIT ELECTIO, ET NON FÆMINÆ, est quia vir natus est ut sit intellectus, fæmina autem ut sit amor; tum quia apud viros communiter est amor sexus, apud fæminas autem amor unius e sexu; ut & quia viris non indecens est loqui de amore, & propalare illum, & fæminis hoc indecens est; attamen usque fæminis est arbitrium electionis unius ex procis. Quod spectat primam causam, quod viris sit electio, quia nati sunt ad intellectum, est quia intellectus potest perspicere convenientias & disconvenientias, ac discernere illas, & ex judicio eligere conducibile; aliter apud fæminas, quia natæ sunt ad amorem, his perspicacia illius lucis non est, & inde illis determinationes ad conjugium non forent nisi ex inclinationibus sui amoris; si scientia discernendi viros a viris illis est, usque fertur amor illarum ad apparentias. Quod spectat alteram causam, cur viris & non fæminis est electio, quod apud viros communiter sit amor sexus, & apud fæminas amor unius e sexu, & illis, quibus est amor sexus, est libera circumspectio, & quoque determinatio; aliter fæminis, quibus insitus est amor ad unum e fexu; ut confirmeris, quære, si libet, viros ex obviis de conjugio monogamico, & de conjugio polygamico, & raro offendes aliquem, qui non pro polygamico responsurus est, & hic quoque est amor sexus; at quære fæminas de conjugiis illis, & pæne omnes, præter prostibula, rejecturæ sunt conjugia polygamica; ex quibus cluit, quod fæminis sit amor unius e sexu, ita amor conjugialis. Quoad tertiam causam, quod viris non indecens sit loqui de amore, & propalare illum; & quod hoc fæminis sit indecens, ex se patet; inde etiam sequitur, quod viris sit declaratio, & si declaratio etiam electio. Quod fæminis sit arbitrium electionis ex procis, notum est; sed hæc species electionis est stricta & limitata, virorum autem extensa & illimitata.

297. II. QUOD VIRUM OPORTEAT AMBIRE ET ROGARE FÆMINAM DE CONJUGIO SECUM, ET NON VICISSIM. Hoc est consequens post electionem; & præterea ambire & rogare fæminas de conjugio, est in se honestum & decorum viris, non autem fæminis; si fæminæ ambirent & rogarent, non modo vituperarentur, sed etiam post rogationes reputarentur ut viles, aut post conjugium ut libidines, cum quibus non dantur contubernia, nisi frigida & fastidiosa; quare sic conjugia verterentur in scenas tragicas; etiam uxores in laudem sibi vertunt, quod ad instantias rogationis virorum se sicut victas tradiderint: quis non prævidet, quod fæminæ, si ambirent viros, raro acceptarentur, vel indigne repudiarentur, vel pellicerentur ad lascivias, & quoque pudicitiam suam prostituerent. Præterea viris non aliquis amor sexus innatus est, ut supra evictum est, & absque amore illo, non est interior vitæ amænitas, quare ad exaltandum vitam suam per illum amorem, incumbit viris adblandiri fæminis, civiliter, officiose & humiliter ambiendo & rogando de dulci illo additamento vitæ suæ ab illis; venustas faciei, corporis & morum illius sexus, præ virili, addit quoque se ut voti debitum.

298. III. QUOD FÆMINAM OPORTEAT CONSULERE PARENTES, AUT ILLOS QUI LOCO

LOCO PARENTUM SUNT, ET DEIN APUD SE DELIBERARE, ANTEQUAM CONSENTIT. Quod Parentes consulendi sint, est quia illi ex judicio, scientia & amore, deliberant & consulunt; ex *Judicio*, quia in ætate provecta sunt, & hæc ætas pollet illo, & perspicit conformitates & inconvenientias. Ex *Scientia*, tam de proco quam de filia; de proco comparant sibi cognitiones, & de filia sciunt; quare juncto oculo de utroque simul concludunt. Ex *Amore*, quia consulere bonis filiæ, & prospicere ejus domui, est quoque suæ & sibi.

299. Aliter prorsus fierit, si filia ex se, inconsultis parentibus, aut illis qui loco illorum sunt, ad clientem procum consentit; non enim ex judicio, scientia, & amore, rem illam, quæ est futuræ salutis ejus, ad lancem potest expendere; non ex *Judicio*, quia hoc ejus de vita conjugiali adhuc in ignorantia est, & non in statu conferendi rationes inter se, ac perspiciendi mores virorum ex geniis illorum: non ex *Scientia* seu cognitione, quia pauca ultra domestica apud parentes, & apud aliquas sodales, cognoscit; & ad expiscandum talia, quæ familiaria & propria suo proco sunt, inepta est: neque ex *Amore*, quia hic filiarum, in prima illarum nubili ætate, & quoque in altera, paret concupitis ex sensibus, & nondum desideriis ex mente elimata. Quod tamen filiam oporteat rem illam apud se deliberare, antequam consentit, est causa, ne invita feratur ad copulam cum viro inamato; sic enim non accedit consensus a parte ejus, & tamen hic facit conjugium, ac initiat spiritum ejus in amorem illum; ac consensus invitus seu extorsus non initiat spiritum, sed potest corpus; & sic vertit castitatem, quæ residet in spiritu, in libidinem, ex qua amor conjugialis in primo suo calore vitiatur.

300. IV: QUOD POST DECLARATIONEM CONSENSUS, PIGNORA DANDA SINT. Per pignora intelliguntur dona, quæ post consensus sunt confirmationes, testificationes, primi favores, & lætitiæ. Quod dona illa sint *Confirmationes*, est quia sunt tesseræ consensuum; quare dicitur, dum utrinque ad aliquid consentitur, da mihi tesseram, & de duobus, qui spospondérunt conjugium, & firmaverunt sponsiones per munera, quod sint oppignorati, ita confirmati. Quod sint *Testificationes*, quia pignora illa sunt sicut continui oculares testes mutui amoris, sunt inde etiam recordationes ejus, imprimis si sunt annuli, myrothecæ, & alligamenta, quæ ad conspectum appenduntur; est in illis aliqua imago repræsentativa animorum sponsi & sponsæ. Quod pignora illa sint *Primi favores*, est quia amor conjugialis spondet sibi sempiternum favorem, cujus primitiæ sunt illa dona. Quod sint amoris *Lætitiæ*, notum est; mens enim ad conspectum illorum exhilaratur, & quia amor inest, sunt favores illi chariores & pretiosiores quibuscunque donis, est sicut corda in illis sint. Quoniam pignora illa sunt stabilimenta amoris conjugialis, ideo donationes post consensus etiam apud Antiquos receptæ usu fuerunt, & post acceptationes declarati sunt sponsi & sponsæ. At sciendum est, quod in arbitriis sit, munera illa conferre ante actum desponsationis, vel post illum; si ante, sunt confirmationes & testificationes consensus ad desponsationem; si post illum, sunt etiam ad nuptias.

301. V: QUOD CONSENSUS PER SOLENNEM DESPONSATIONEM FIRMANDUS ET

CONSTABILIENDUS SIT. Causæ desponsationum sunt hæ; 1. Ut post illas duorum animæ inclinent ad se mutuo. 2. Ut amor universalis ad sexum determinetur ad unum seu unam e sexu. 3. Ut affectiones interiores mutuo cognoscantur, & per applicationes in hilaritate interna amoris conjungantur. 4. Ut utriusque spiritus ineant conjugium, ac plus & plus consocientur. 5. Ut sic amor conjugialis a primo suo calore rite progrediatur usque ad flammam nuptialem; consequenter. 6. Ut amor conjugialis a spirituali sua origine justo ordine procedat & succrescat. Status disponsationis assimilari potest statui veris ante æstatem; & amænitates internæ illius status efflorescentiis arborum ante fructificationes. Quoniam initiationes & progressiones amoris conjugialis procedunt in ordine propter influxum illarum in effectivum amorem, qui inchoat a nuptiis, ideo in Cælis etiam desponsationes sunt.

302. VI. QUOD PER DESPONSATIONEM PRÆPARETUR UTERQUE AD AMOREM CONJUGIALEM. Quod unius mens seu spiritus per desponsationem præparetur ad unionem cum alterius mente seu spiritu, aut quod idem est, quod unius amor cum alterius amore, constat ex argumentis in antecedente Articulo allatis. Præter illa memorandum est hoc; quod amori vere conjugiali inscriptus sit hic ordo, quod ascendat & descendat; ascendit a primo suo calore progressive sursum versus animas nisu ad conjunctiones ibi, & quod per aperitiones mentium jugi interiores; & non datur amor, qui aperitiones illas intensius molitur, seu qui interiora mentium fortius & habilius aperit, quam amor conjugialis, anima enim utriusque id intendit; at iisdem momentis quibus amor ille versus animas ascendit, etiam versus corpus descendit, & per id se investit. At sciendum est, quod amor conjugialis in descensu talis sit, qualis est in altitudine, ad quam ascendit; si in altitudine est, descendit ille castus, at si non in altitudine est, descendit ille incastus; causa est, quia inferiora mentis sunt incasta, at superiora ejus sunt casta; inferiora enim mentis adhærent corpori, sed superiora se separant ab illis; verum plus de his videatur infra n. 305. Ex his paucis constare potest, quod utriusque mens per desponsationem præparetur ad amorem conjugialem, tametsi diversimode secundum affectiones.

303. VII: QUOD PER DESPONSATIONEM UNIUS MENS CONJUNGATUR MENTI ALTERIUS, UT FIAT CONJUGIUM SPIRITUS, ANTEQUAM FIT CORPORIS Hoc, quia est consectarium ex supradictis n. 301. 302, absque confirmationibus ex ratione ulterius adducendis pertransitur.

304. VIII: QUOD ITA FIAT APUD ILLOS, QUI DE CONJUGIIS COGITANT CASTE, ALITER QUI DE ILLIS INCASTE. Apud castos, qui sunt, qui ex religione de conjugiis cogitant, præcedit conjugium spiritus, & sequitur corporis; & illi sunt, apud quos amor ascendit versus animam, & ex altitudine inde descendit, de quibus supra n. 302, horum animæ ab amore illimitato sexus se separant, & addicant seu uni, cum quo seu cum qua sempiternam ac æternam unionem, & ejus crescentes beatitudines, spectant ut fomenta spei continue recreantis mentes illorum. Sed aliter prorsus apud incastos, qui sunt qui non ex religione de conjugiis & horum sanctitate, cogitant; apud hos est conjugium corporis, & nullum spiritus; si aliquid conjugii spiritus apparet, durante statu despon-

desponsationis, usque hoc, si ascendit per elevationem cogitationum de illo, attamen recidit ad concupiscentias, quæ e carne sunt in voluntate ejus, & sic ex incastis ibi præceps se demittit in corpus, ac inquinat ultima ejus amoris ardore illecebroso; ex quo sicut in principio arsit, ita subito deardet, & abit in frigus brumæ; unde acceleratur defectus. Desponsationis status apud hos vix ad aliud juvat, quam ut concupiscentias suas impleant lascivis, & ex illis conjugiale amoris intaminent.

305. IX: Quod intra tempus desponsationis non liceat corporaliter conjungi; ita enim ordo, qui inscriptus est amori conjugiali, perit. Sunt enim in Mentibus humanis tres regiones, quarum suprema vocatur cælestis, media spiritualis, & infima naturalis; in infima hac nascitur homo, at in superiorem ejus, quæ vocatur spiritualis, ascendit per vitam secundum vera religionis, & in supremam per conjugium amoris & sapientiæ: in regione infima, quæ vocata est naturalis, resident omnes concupiscentiæ mali, & lasciviæ; in regione autem superiore, quæ vocata est spiritualis, non sunt aliquæ concupiscentiæ mali & lasciviæ, in hanc enim homo inducitur a Domino, cum renascitur; in suprema autem, regione, quæ vocata est cælestis, est castitas conjugialis in suo amore; in hanc elevatur homo per amorem usuum, & quia ex conjugiis sunt præstantissimi usus, per amorem vere conjugialem: ex his in compendio videri potest, quod amor conjugialis a primitiis sui caloris e regione infima elevandus sit in regionem superiorem, ut fiat castus, ac ut sic ex casto demittatur per regionem mediam & infimam in corpus; quod cum fit, a casto descendente purificatur infima hæc regio a suis incastis; inde fit ultimum illius amoris etiam castum: nunc si successivus hujus amoris ordo præcipitatur per conjunctiones corporis ante suum tempus, sequitur, quod homo ex regione infima, quæ ex nativitate est incasta, agat; quod inde inceptet & oriatur frigus pro conjugio, ac neglectus cum fastidio pro conjuge, notum est. Sed usque dantur varia discrimina eventuum ex conjunctionibus præcocibus; tum etiam ex nimia protractione, & quoque ex nimia festinatione temporis desponsationum; sed illa propter pluralitatem & varietates ægre produci possunt.

306. X: Quod post exactum tempus desponsationis fieri debeant nuptiæ. Dantur Solemnia, quæ modo sunt formalia, & dantur Solennia, quæ simul etiam sunt essentialia; inter hæc sunt Nuptiæ; quæ quod sint inter essentialia, quæ solenniter manifestanda sint, & formaliter celebranda, confirmant hæ causæ; 1. Quod Nuptiæ faciant finem status prioris inaugurati per desponsationem, qui principaliter fuit status spiritus, ac initium status posterioris inaugurandi per conjugium, qui simul est spiritus & corporis; intrat enim tunc spiritus in corpus, & ibi agit; quare eo die exuunt statum & quoque nomen sponsi & sponsæ, ac induunt statum & nomen conjugum & consortium tori. 2. Quod Nuptiæ sint introductio ac introitus in statum novum, qui est ut virgo fiat uxor, & juvenis maritus, ac uterque una caro; quæ fiunt, dum amor per ultima unit illos: quod conjugium actualiter mutet virginem in uxorem, ac juvenem in maritum, in prioribus demonstra-

tum eſt, tum etiam quod conjugium uniat duos in unam formam humanam, ut non ſint duo amplius ſed una caro: 3. Quod Nuptiæ ſint ingreſſus ad plenariam ſeparationem amoris ſexus ab amore conjugiali, quod fit dum per copiam plenam conjunctionis fit conſtricta addicatio amoris unius ad amorem alterius. 5. Apparet, ſicut Nuptiæ modo faciant interſtitium inter duos illos ſtatus, & ſic quod ſolum ſint formalia, quæ poſſunt omitti; ſed uſque eſt in illis etiam hoc eſſentiale, quod novus ille præmemoratus ſtatus tunc ex fœdere ineundus ſit, ac quod conſenſus in præſentia teſtium declarandus, & quoque a ſacerdote conſecrandus, præter alia, quæ conſtabiliunt illum. Quoniam eſſentialia inſunt nuptiis, & quoniam non prius quam poſt illas ſit legitimum conjugium, ideo etiam Nuptiæ celebrantur in Cælis, videatur ſupra n. 21: & poſt illa, n. 27 ad 41.

307. XI: Quod ante celebrationem nuptiarum fœdus conjugiale pangendum sit in præsentia testium. Oportet, ut fœdus conjugiale pangatur antequam celebrantur nuptiæ, ut amoris vere conjugialis ſtatuta & leges cognoſcantur, & illorum recordentur poſt nuptias; tum ut ſit vinculum ad juſtum conjugium mentes conſtringens; nam poſt aliqua initiamenta conjugii per vices redit ſtatus præcedens deſponſationem, in quo perit recordatio, & ſubit oblivio fœderis pacti; imo ex allectamentis ab incaſtis ad incaſta fit obliteratio ejus, & ſi tunc revocatur in memoriam, fit vituperatio ejus: ſed ad has tranſgreſſiones avertendas ipſa Societas tutelam illius fœderis in ſe ſuſcepit, & indixit pœnas fractoribus ejus. Verbo, fœdus antenuptiale manifeſtat ſancita amoris vere conjugialis, ſtabilit illa, ac libertinos ad obſequium illorum adſtringit: accedit, quod per fœdus hoc, jus propagandi liberos, ac liberis jus hæreditandi bona parentum, fiat legitimum.

308. XII: Quod conjugium a sacerdote consecrandum sit: cauſa eſt, quia conjugia in ſe ſpectata ſunt ſpiritualia, & inde ſancta; deſcendunt enim ex cœleſti conjugio boni & veri, ac conjugialia correſpondent Divino Conjugio Domini & Eccleſiæ; & inde illa ſunt ab Ipſo Domino, & ſecundum ſtatum Eccleſiæ apud contrahentes: nunc quia Eccleſiaſticus Ordo in terris miniſtrat illa quæ Sacerdotii ſunt apud Dominum, hoc eſt, quæ Ipſius amoris ſunt, ita quoque illa quæ Benedictionis ſunt, oportet, ut conjugia a Miniſtris Ipſius conſacrentur; & quia tunc etiam ſunt Capita teſtium, ut conſenſus fœderis ab illis etiam audiatur, acceptetur, firmetur, & ſic conſtabiliatur.

309. XIII. Quod Nuptiæ cum festivitate celebrandæ sint. Cauſæ ſunt, quia amor antenuptialis, qui fuit ſponſi & ſponſæ, tunc deſcendit in illorum corda, & per circumſparſionem ejus inde univerſim in corpus, delitiæ conjugii ſentiuntur, ex quibus illorum mentes feſtiva cogitant, & quoque ſe in feſtivates, quantum licet & decet, ſe emittunt; quibus ut faveatur, intereſt ut feſtivitates mentium illorum in communione fiant, & ſic ipſi in amoris conjugialis gaudia introducantur.

310. XIV. Quod post Nuptias conjugium spiritus etiam fiat corporis, et sic plenum. Omnia quæ in corpore fiunt ab homine, influunt ex ſpiritu ejus; notum enim eſt, quod os non loquatur ex ſe, ſed quod mentis cogitatio,

gitatio per illud; tum quod non manus agant & pedes ambulent ex se, sed quod mentis voluntas per illa; consequenter, quod mens loquatur per suum organum, & quod mens agat per sua organa in corpore; inde patet, quod qualis mens est, tales sint loquelæ oris, & talia facta corporis: ex his ut conclusum sequitur, quod mens per continuum influxum struat corpus ad conformes & synchronas activitates secum; quare corpora hominum interius spectata non sunt nisi formæ mentium exterius organizatæ ad efficiendum nutus animæ. Hæc prædicta sunt, ut percipiatur, unde est, quod mentes seu spiritus, primum inter se uniendæ sint sicut conjugio, antequam etiam corpore tenus, videlicet, ut conjugia, dum fiunt corporis, sint spiritus; consequenter ut conjuges se mutuo ament ex spiritu, & inde corpore. Ex his nunc spectemus conjugium: cum amor conjugialis conjungit mentes duorum, ac format illas in conjugium, tunc etiam conjungit & format corpora illorum ad illud, nam, ut dictum est, forma mentis est etiam interius forma corporis, cum sola differentia, quod hæc exterius organizata sit ad efficiendum illud, ad quod interior forma corporis a mente determinatur: Mens autem formata ex amore conjugiali, non solum est interius in toto corpore circum circa ubivis, sed insuper est interius in organis generationi dicatis, quæ in sua regione infra reliquas corporis regiones situata sunt, in his terminantur formæ mentis apud illos qui conjugiali amore uniuntur; consequenter affectiones & cogitationes mentium illorum determinantur illuc: in hoc differunt activitates mentium ex aliis amoribus, hi non pervadunt illuc: conclusum ex his fit, quod qualis est amor conjugialis in mentibus seu spiritibus duorum, talis fit interius in illis suis organis. Quod autem conjugium spiritus post nuptias etiam fiat corporis, ita plenum, ex se patet; consequenter, quod si conjugium in spiritu est castum, ac trahit ex sanctitate ejus, simile fit dum in suo pleno est, in corpore; ac vicissim si conjugium in spiritu est incastum.

311. XV: Quod hic sit amoris conjugialis ordo cum suis modis a primo ejus calore ad primam ejus facem. Dicitur a primo ejus calore ad primam ejus facem, quia calor vitalis est amor, ac conjugialis calor seu amor, successive crescit, & tandem sicut inflammam seu facem: dicitur ad primam suam facem, quia intelligitur status primus post nuptias, quando amor ille ardet; sed qualis sit post hanc facem, in ipso conjugio, descriptum est in Transactionibus, quæ antecedunt; in hac autem lucubrationis parte ordo ejus a primo carcere ad primam hanc metam explanatus est. Quod omnis ordo procedat a primis ad ultima, & quod ultima fiant prima sequentis alicujus ordinis, tum quod omnia medii ordinis sint ultima prioris, ac prima posterioris, & quod sic fines per causas in effectus continue procedant, ex cognitis & visibilibus in Mundo sufficienter coram ratione potest confirmari ac illustrari; sed quia hic de ordine, in quo amor procedit a sua statione prima ad suam metam, unice agitur, prætereuntur illa, & modo de hoc dicitur, quod qualis hujus amoris ordo est a primo suo calore ad primam suam facem, talis ut plurimum sit & insit in progressione sua postea; in hac enim

se evolvit, qualis in se fuit primus calor; qui si castus, castum ejus corroboratur in progressionibus; si autem incastus, incastum ejus augescit progrediendo, usque dum omni casto, in quo a tempore desponsationis fuit ab extra & non ab intra, orbatur.

312. XVI. QUOD AMOR CONJUGIALIS ABSQUE ORDINE ET HUJUS MODIS PRÆCIPITATUS EXURAT MEDULLAS, ET CONSUMMETUR. A quibusdam in Cælo ita dicitur; & per medullas intelligunt interiora mentis & corporis: quod hæc ab amore conjugiali præcipitato exurantur, hoc est, consummentur, est quia amor ille tunc inchoat a flamma, quæ exedit ac corrumpit illa adyta, in quibus ut in suis principiis amor conjugialis residebit, & a quibus inchoabit; hoc fit, si vir & fæmina absque ordine præcipitant conjugium, non spectando ad Dominum, non consulendo rationem, rejiciendo desponsationem, & modo obtemperando carni; a cujus ardore si inchoat ille amor, fit ille externus & non internus, ita non conjugialis; & hic vocari potest crustaceus non nucleatus, seu carneus macer & siccus, quia exinanitus genuina sua essentia. Plura de his videantur supra n. 305.

313. XVII. QUOD STATUS MENTIUM UTRIUSQUE IN SUCCESSIVO ORDINE PROCEDENTES INFLUAAT IN STATUM CONJUGII; ATTAMEN ALITER APUD SPIRITUALES, ET ALITER APUD NATURALES. Quod status ultimus sit qualis est ordo successivus, ex quo ille formatur & existit, est canon, qui in Literato orbe propter veritatem suam agnoscendus est; sic enim detegitur, quid influxus est, & quid operatur: per influxum intelligitur, omne id quod præcedit, & componit sequens, & per sequentia ordine ultimum; sicut omne quod præcedit apud hominem & componit sapientiam ejus; seu omne quod præcedit apud Politicum, & componit prudentiam ejus; seu omne quod præcedit apud Theologum, & componit eruditionem ejus; similiter omne quod procedit ab infantia, & componit virum; tum quod in ordine procedit a semine & virgulto, & facit arborem, ac postea quod a flore & facit fructum ejus: Consimiliter omne quod præcedit & procedit apud sponsum & sponsam, & facit conjugium illorum; ita intelligitut influxus. Quod omnia illa quæ præcedunt in mentibus forment series, & quod series colligent se, una juxta alteram, & una post alteram, & quod hæ simul componant ultimum, est adhuc in Mundo ignotum; sed quia est veritas e Cælo, hic adducitur; per illam enim aperitur, quid influxus operatur, & quale est ultimum, in quo series modo dictæ successive formatæ coexistunt. Ex his videri potest, quod status mentium utriusque in successivo ordine procedentes influant in statum conjugii: sed conjuges post conjugium sunt prorsus in ignorantia de successivis, quæ animis illorum ex antecedentibus insinuata insunt; at usque illa sunt, quæ amori conjugiali dant formam, ac faciunt statum mentium illorum, ex quo inter se agunt. Quod alius status ex alio ordine formetur apud Spirituales, quam apud Naturales, est quia Spirituales justo ordine procedunt, ac Naturales injusto; Spirituales enim spectant ad Dominum, ac Dominus providet & ducit ordinem; at Naturales spectant ad se, & inde inverso ordine procedunt; quare

horum

horum ſtatus conjugii eſt intrinſecus plenus incaſtis; & quot incaſta, tot frigora, & quot hæc, tot obſtructiones vitæ intimæ, ex quibus obturatur vena, & exſiccatur fons.

314. XVIII. Quia ordo datur successivus, et ordo simultaneus, et hic est ex illo et secundum illum. Hoc ut cauſa confirmativa præcedentium adducitur. Quod ſucceſſivum ſit, & quod ſimultaneum, notum eſt; ſed quod ordo ſimultaneus ſit ex ſucceſſivo, & ſecundum hunc, ignotum eſt; aſt quomodo ſucceſſiva ſe inferunt in ſimultanea, & qualem ibi ordinem formant, perquam difficile eſt ſiſtere ad perceptionem, quoniam nondum aliqua idea inſerviens elucidationi de eo apud eruditos adeſt; & quia prima idea de hoc arcano non poteſt inferri per pauca, ac fuſe hic inferre illam, abſtraheret mentes a viſu apertiori de Amore conjugiali; ſatis ad illuſtrandum ſervire poſſunt illa, quæ de binis illis ordinibus, ſucceſſivo & ſimultaneo, & de in-
„ fluxu illius in hunc, in Doctrina Novæ Hierosolymæ de Scriptura Sa-
„ cra, in compendio allata ſunt, ubi hæc „ Datur in Cælo & in Mundo
„ Ordo ſucceſſivus & Ordo ſimultaneus; in Ordine ſucceſſivo ſequitur unum
„ poſt alterum a ſupremis uſque ad infima; in Ordine autem ſimultaneo eſt
„ unum juxta alterum ab intimis uſque ad extima: Ordo ſucceſſivus eſt ſicut
„ Columna cum gradibus a ſummo ad imum; at Ordo ſimultaneus eſt ſicut
„ opus cohærens a centro ad ſuperficiem. Ordo ſucceſſivus fit in ultimo ſi-
„ multaneus hoc modo; ſuprema ordinis ſucceſſivi fiunt intima ordinis ſimul-
„ tanei; ac infima ordinis ſucceſſivi fiunt extima ordinis ſimultanei; eſt com-
„ parative ſicut Columna graduum ſubſidens fit corpus cohærens in plano.
„ Ita formatur ſimultaneum a ſucceſſivis; & hoc in omnibus & ſingulis Mun-
„ di ſpiritualis, ac in omnibus & ſingulis Mundi naturalis" videatur ibi n. 38, 65; & perplura de his in Sapientia Angelica de Divino Amore et Divina Sapientia, n. 205 ad 229. Simile eſt cum Ordine ſucceſſivo ad conjugium, & cum Ordine ſimultaneo in conjugio, videlicet quod hic ſit ex illo, & ſecundum illum. Qui influxum ordinis ſucceſſivi in ſimultaneum novit, poteſt comprehendere cauſam, quod Angeli in manu hominis poſſint videre omnes mentis ejus cogitationes & intentiones: & quoque quod Uxores ex manibus maritorum ſuper ſuis pectoribus ſentiant illorum affectiones, cujus rei mentio aliquoties in Memorabilibus facta eſt; ratio eſt, quia Manus ſunt ultima hominis, in quæ determinantur ventilata & concluſa mentis ejus, ac ibi faciunt ſimultaneum: ideo etiam in Verbo dicitur, quod inſcriptum ſit manibus.

✠ ✠ ✠ ✠ ✠ ✠ ✠

315. His adjiciam duo memorabilia; primum hoc. Quondam non procul a me vidi Meteoron; vidi Nubem diviſam in nubeculas, quarum aliquæ cæruleæ, & aliquæ opacæ; & vidi illas inter ſe quaſi collidentes; radii ſtriatim transmicabant illas, qui nunc viſi ſunt acuti ſicut mucrones, nunc obtuſi ſicut enſes fracti; ſtriæ illæ nunc excurrebant obviam, nunc retrahebant ſe in ſe, plane ſicut pugiles; ita diverſicolores illæ nubeculæ apparebant quaſi inter ſe

se dimicarent, sed ludebant. Et quia hoc Moteoron non procul a me visum est, sustuli oculos, ac intendi aciem, & vidi pueros, juvenes & senes intrantes in Domum, quæ erat exstructa ex marmore, & substructa ex porphyrite; super hac domo erat illud phænomenon; & tunc unum ex intrantibus alloquutus quæsivi, quid ibi; & respondit, est Gymnasium, ubi juvenes initiantur in varia quæ sapientiæ sunt: hoc audito, intravi cum illis, eram in spiritu, hoc est, in simili statu in quo sunt homines Mundi Spiritualis, qui vocantur spiritus & Angeli; & ecce in Gymnasio illo anterius visa est Cathedra, in medio scamna, ad latera circum circa sedilia, & supra introitum Orchestra; Cathedra erat pro juvenibus qui ad Problema illa vice proponendum responderunt, scamna pro auditoribus, sedilia ad latera pro illis qui prius sapienter responderunt, & Orchestra pro Senioribus, qui essent arbitri & judices; in medio Orchestræ erat suggestum, ubi sedit vir sapiens, quem vocabant Archididascalum, qui proposuit problemata, ad quæ juvenes e Cathedra responderent; & postquam congregati sunt, surrexit vir ex suggesto, & dixit, respondete nunc quæso ad hoc Problema, & solvite illud si potestis, Quid Anima, et qualis illa. His auditis obstupescebant omnes, & murmurabant, & aliqui e Cætu super scamnis, exclamabant, quis hominum usque a Saturnino ævo ad hoc nostrum ulla rationis cogitatione videre & assequi potuit, quid Anima, & adhuc minus qualis illa; estne hoc supra omnium intellectus sphæram; sed ad hæc retulerunt ex Orchestra, hoc non est supra Intellectum, sed in illo & coram illo, respondete modo; & surrexerunt Juvenes illo die electi, qui ascenderent Cathedram, & ad problema responderent; erant quinque; qui a Senioribus explorati ac inventi sagacitate pollentes, & tunc ad latera cathedræ super toris sedentes; & hi postea in ordine, in quo sedebant, ascenderunt; & quisque cum ascenderet induebat tunicam ex serico opalini coloris, & super illa togam ex molli lana, cui flores erant intexti, & insuper pileum, super cujus vertice erat rosarium incinctum parvis sapphiris. Et vidi Primum ita indutum ascendentem, qui dixit,,, Quid anima & qualis illa, a die Creationis non revelatum est ulli, est arcanum in thesauris Solius Dei; sed hoc detectum est, quod Anima in homine sicut Regina resideat; verum ubinam ejus aula est, eruditi Vates divinarunt; quidam quod sit in parvo tuberculo inter Cerebrum & Cerebellum, quod vocatur Glandula pinealis; in hac finxerunt sedem Animæ, ex causa, quia totus homo regitur ex binis illis Cerebris, & illud tuberculum disponit illa; quare quod disponit cerebra ad nutum, hoc etiam disponit totum hominem a capite ad calcem: & dixit, hoc inde sicut verum aut verosimile apparuit multis in Mundo, sed post sæculum hoc ut figmentum est rejectum. Postquam hæc dixerat, exuit togam, tunicam & pileum, quæ secundus ex electis assumsit, ac intravit cathedram; hujus enuntiatum de Anima erat; quod in universo Cælo & in universo Mundo nesciatur quid Anima & qualis illa; hoc scitur quod sit, & quod in homine sit, sed ubi, divinatur; hoc certum est quod sit in Capite, quoniam Intellectus ibi cogitat, & Voluntas ibi intendit, & antrorsum in Capitis facie sunt quinque hominis Sensoria; his & illis non aliud dat vitam quam Anima

Anima quæ intus in Capite residet; at ubinam ejus Curia est ibi, non ausim effari, sed consensi cum illis, qui ei assignarunt sedem in tribus Ventriculis Cerebri, nunc cum illis qui in Corporibus striatis ibi, nunc cum illis qui in Substantia medullari utriusque Cerebri, nunc cum illis qui in Substantia corticali, nunc cum illis qui in Dura matre; non enim defuerunt calculi sicut albi ex confirmationibus pro unaquavis sede. Calculi pro tribus Ventriculis in Cerebro, fuerunt, quod illi sint receptacula spirituum animalium & lympharum omnium Cerebri: calculi pro corporibus striatis fuerunt, quod hæc faciant Medullam per quam exeunt nervi, & per quam utrumque Cerebrum continuatur in Spinam, & ex hac & ex illa emanant fibræ ex quibus totum Corpus contextum est: calculi pro Substantia medullari utriusque Cerebri fuerunt, quod illa sit collectio & congeries omnium fibrarum, quæ sunt initiamenta totius hominis: calculi pro substantia corticali fuerunt, quod ibi sint fines primi & ultimi, & inde principia omnium fibrarum, & sic sensuum & motuum: calculi pro dura Matre fuerunt, quod illa sit tegumentum commune utriusque Cerebri, & inde per quoddam continuum extendat se super cor & super viscera corporis. Quod me attinet, non arbitror plus de uno quam de altero, vos, quæso, arbitramini & eligite quid potius. His dictis e Cathedra descendit, & tradidit Tertio tunicam, togam, & pileum, qui scandens Cathedram loquutus est hæc; Quid mihi Juveni cum tam sublimi theoremate; provoco ad Eruditos sedentes hic ad latera, provoco ad Sapientes vos in Orchestra, imo provoco ad supremi Cæli Angelos, num quisquam ex sua rationali luce potest aliquam de Anima ideam sibi sumere; at de Sede ejus in homine possum ego sicut alii vaticinari; & vaticinor quod sit in Corde & inde in Sanguine; & hoc meum vaticinium est, quia Cor sanguine suo regit & Corpus & Caput; emittit enim magnum vas Aorta vocatum in Universum Corpus, ac emittit vasa Carotides vocata in universum Caput; inde universalis consensus est, quod Anima ex Corde per sanguinem sustentet, nutriat, vivificet universum systema organicum & Corporis & Capitis: ad fidem hujus assertionis accedit, quod in Scriptura Sacra toties dicatur Anima & Cor, ut quod amaturus sis Deum ex tota Anima & ex toto Corde; & quod Deus creet in homine novam Animam & novum Cor, Deutr. V: 5. Cap. X: 11. Cap. XI: 14. Cap. XXVI: 16. Jerem. XXXII. 41. Matth. XXII. 3. Marc. XII: 30, 33. Luc. X: 27. & alibi, ac aperte quod Sanguis sit Anima carnis, Levit. XVII: 11, 14. His auditis aliqui extulerunt vocem, dicentes, docte, docte, erant ex Canonicis. Post hæc Quartus hujus vestibus indutus, & ingressus Cathedram, dixit; suspicor etiam ego, quod non aliquis tam subtili & limato ingenio sit, ut dispicere possit, quid Anima, & qualis illa; quare arbitror, quod apud illum, qui vult rimari illam, subtilitas supervacuis teratur; sed usque a pueritia permansi in fide sententiæ, in qua fuerunt Antiqui, quod Anima hominis sit in ejus toto, & in hujus omni parte, & sic quod tam in Capite & in singulis ejus, quam in Corpore & in singulis ejus; & quod vanum a Neutericis inventum fuerit, designare ei sedem alicubi, & non ubivis; est quoque Anima substantia spiritualis, de qua non prædicatur exten-

sio nec locus, sed habitatio & impletio: quis etiam non intelligit vitam, dum nominat animam, estne vita in toto & in qualibet parte; his dictis favebant multi in Auditorio. Post hunc surrexit Quintus, ac iisdem insignibus ornatus, e Cathedra edidit hoc: Non moror dicere, ubi est Anima, num in aliqua parte, vel num ubivis in toto; sed ex meo promo & condo aperiam mentem de hoc, quid Anima & qualis illa; Anima non cogitatur ab aliquo, nisi sicut purum quid, quod assimilari potest ætheri aut aeri aut vento, in quo vitale est ex rationalitate, quæ homini est præ bestiis: opinionem hanc fundavi super hoc, quod homo dum exspirat, dicatur efflare seu emittere Animam seu spiritum; inde etiam Anima post mortem vivens creditur esse talis halitus, in quo est vita cogitativa, quæ vocatur Anima; quid aliud potest anima esse. Sed quia audivi ex Orchestra dicentes, quod problema de Anima, quid illa & qualis illa est, non sit supra intellectum, sed in illo & coram illo, rogo & precor, ut æternum hoc Arcanum vos ipsi aperiatis: & Seniores in Orchestra inspexerunt Archididascalum, qui illud proplema proposuerat, qui ex nutibus intellexit, quod vellent ut descenderet & doceret; & actutum ille ex suggestu descendit, pertransivit Auditorium, & ingressus est Cathedram, & ibi exporrigens manum dixit; auscultate quæso, quis non credit Animam esse intimam & subtilissimam Essentiam hominis, & quid Essentia absque Forma aliud quam ens rationis, quare anima est Forma, sed qualis forma dicetur; est forma omnium amoris & omnium sapientiæ; omnia amoris vocantur affectiones, & omnia sapientiæ vocantur perceptiones: hæ ex illis & sic cum illis faciunt unam formam, in qua innumerabilia in tali ordine, serie & cohærentia sunt, ut vocari possint unum; & vocari possunt unum, quia non potest inde aliquid auferri, nec ad illud aliquid addi, ut sit talis; quid anima humana nisi talis forma; suntne omnia Amoris & omnia Sapientiæ essentialia illius formæ, & hæc apud hominem sunt in Anima & ex Anima in capite & corpore: vos vocamini Spiritus & Angeli, & credidistis in Mundo, quod Spiritus & Angeli sint sicut venti aut ætheres, & sic mentes & animi; & nunc clare videtis, quod vere, realiter & actualiter sitis homines, qui in Mundo vixistis & cogitavistis in materiali corpore, & scivistis quod corpus materiale non vivat & cogitet, sed substantia spiritualis in illo corpore, & hanc vocavistis animam, cujus formam nescivistis, & tamen nunc vidistis & videtis illam; vos omnes estis Animæ, de quarum immortalitate tam multa audivistis, cogitavistis, dixistis & scripsistis; & quia estis formæ amoris & sapientiæ a Deo, non potestis mori in æternum: Anima itaque est forma humana, de qua ne hilum potest auferri, & ad quam ne hilum potest addi, ac est intima forma omnium formarum universi corporis; & quia formæ quæ extra sunt ab intima accipiunt & essentiam & formam, ideo estis, sicut apparetis coram vobis & nobis, Animæ; verbo Anima est ipse homo, quia est intimus homo, quare ejus forma est plene & perfecte forma humana; verum non est vita, sed est proximum receptaculum vitæ a Deo, & sic habitaculum Dei. His dictis adplaudebant multi, sed aliqui dicebant, expendemus. Ego tunc abivi domum; & ecce super Gymnasio illo, loco prioris Meteori apparuit

ruit Nubes candida abſque ſtriis ſeu radiis inter ſe dimicantibus; quæ nubes penetrans tectum intravit, ac illuſtravit parietes; & audivi, quod viderint Scripturas, ac inter alias etiam hanc „ *Jehovah Deus inſpiravit in nares hominis* ANIMAM VITARUM, *& factus eſt Homo in* ANIMAM VIVENTEM, Gen. II: 7.

316. ALTERUM MEMORABILE. Quondam in animi requie & jucunda mentis pace ambulans vidi e longinquo Lucum, in cujus medio erat Porticus tendens ad Palatiolum; & vidi Virgines & Juvenes, ac Maritos & Uxores intrantes; illuc etiam in ſpiritu acceſſi, & quendam in introitu ſtantem cuſtodem interrogavi, num etiam liceat intrare; aſpexit me, & dixi, cur aſpicis me; reſpondit, aſpicio te, ut videam, num jucundum pacis, quod in facie tua eſt, trahat aliquid ex jucundo amoris conjugialis; eſt poſt Porticum hunc Hortulus, & in medio ejus Domus, ubi ſunt duo novitii Conjuges, ad quos hodie veniunt amicæ & amici, felicia optandi cauſa; illos, quos admitto intrare, ego non cognoſco; ſed mihi dictum eſt, quod cognoſcerem illos ex faciebus illorum, ſi in illis viderim jucundum Amoris conjugialis, hos admitterem, & non alios; omnes Angeli ex faciebus poſſunt videre jucunda cordis aliorum, & jucundum illius amoris, quod in facie mea vidit, erat quod meditarer de Amore conjugiali; hæc meditatio elucebat ex oculis meis, & inde intravit in interiora faciei meæ, quare dixit ad me, quod liceat intrare. Porticus per quem intravi, erat ex arboribus fructiferis per ramos mutuo connexis, quæ faciebant utrinque parietem continenter arboreum; per Porticum intrabam Hortulum, qui ſpirabat amænum ex virgultis & floribus; virgulta & flores erant paria & paria; & audivi, quod tales hortuli appareant circum domos ubi ſunt & fuerunt nuptiæ, & quod inde appellentur Hortuli nuptiales. Intravi poſtea domum, ubi vidi binos conjuges tenentes ſe manibus, & ex amore vere conjugiali inter ſe loquentes; & tunc ex faciebus illorum datum eſt videre effigiem amoris conjugialis, & ex colloquio illorum vitale ejus. Poſtquam ego inter plures nuncupaveram vota, & felicia illis optaveram, exivi in Hortulum nuptialem, & vidi ad dextrum latus ejus Cætum ex juvenibus, in quem omnes qui exiverunt Domo accurrebant; quod omnes illuc accurrerent, erat cauſa, quia ibi ſermo fuit de Amore conjugiali; & hic ſermo attrahit omnium animos quadam vi occulta ad ſe; auſcultavi tunc Sapientem de illo loquentem, & quæ auſcultavi, in ſumma erant hæc. Quod Divina Domini *Vide supra n. 229.*
Providentia ſingulariſſima & inde univerſaliſſima ſit de Conjugiis & in Conjugiis in Cælis, quia omnia felicia Cæli ex jucundis Amoris conjugialis ſcaturiunt, ſicut aquæ dulces ex dulci vena fontis; & quod ideo provideatur a Domino ut naſcantur Paria Conjugialia, & quod hæc jugiter educentur ad conjugia, neſciente hoc eſt puella & puero; & quod poſt exactum tempus illa tunc virgo nubilis, & ille tunc juvenis ad nuptias habilis, ſicut ex fato alicubi conveniant, & ſe mutuo videant; & quod tunc illico ſicut ex quodam inſtinctu cognoſcant, quod ſint compares, & ex quodam dictamine intus in ſe cogitent, Juvenis quod hæc mea ſit, & Virgo quod hic meus ſit; & quod poſtquam hoc aliquandiu inſiderat mentibus utriuſque, ex deliberato ſe alloquantur ac deſponſent: dicitur ſicut ex fato, & ſicut ex inſtinctu, & intelligitur

ex Divina Providentia, quia hæc, dum nescitur, apparet ita. Quod nascantur Paria conjugialia, ac educentur ad Conjugia, nesciente utroque, confirmavit per similitudinem conjugialem in utriusque faciebus visibilem; tum per unionem animorum & mentium intimam & æternam, quæ non dabiles sunt, quales in Cælo, absque prævisο & proviso a Domino. Postquam Sapiens hæc loquutus est, & Cætus applausit; dixit porro, quod in singularissimis apud hominem tam masculum, quam fæminam, sit Conjugiale; sed usque aliud Conjugiale apud masculum & aliud apud fæminam, tum quod in Conjugiali masculino sit conjunctivum cum Conjugiali fæminino, ac vicissim, etiam in singularissimis; hoc confirmavit per conjugium voluntatis & intellectus in unoquovis, quæ duo agunt simul in singularissima mentis & in singularissima corporis; ex quibus videri potest, quod in unaquavis substantia etiam minima sit Conjugiale: & quod hoc patescat ex substantiis compositis quæ ex substantiis simplicibus conflata sunt, ut quod duo sint oculi, duæ aures, duæ nares, duæ genæ, duo labia, duo brachia cum manibus, duo lumbi, duo pedes, ac intus in homine duo hæmisphæria cerebri, duo ventriculi cordis, duo lobi pulmonis, duo renes, duo testes, & ubi non duo sunt, usque divisa sunt in duo; quod duo sint, est quia unum est voluntatis & alterum intellectus, quæ agunt in se mirabiliter, ut sistant unum; quare duo oculi faciunt unum visum, duæ aures unum auditum, duæ nares unum olfactum, duo labia unam loquelam, duæ manus unum laborem, duo pedes unum gressum, duo hæmisphæria cerebri unum habitaculum mentis; duæ cameræ cordis unam vitam corporis per sanguinem; duo lobi pulmonis unam respirationem; & sic porro; at masculinum & fæmininum unita per amorem vere conjugialem, faciunt unam vitam plene humanam. Dum hæc dicebantur, apparuit fulmen a dextris quod rubuit, & fulmen a sinistris quod canduit, utrumque erat mite, ac per oculos intrabant in mentes, & has quoque illustrabant; & post illa etiam tonitruabat, quod erat lene murmur e Cælo angelico defluens & accrescens. His auditis & visis dixit Sapiens, hæc mihi in signum & monitum sunt, ut sermoni meo superaddam hæc, quod dextrum ex paribus illis significet bonum illorum, & quod sinistrum significet verum illorum; & quod hoc sit ex conjugio boni & veri, quod homini in communi & in omni singulari ejus inscriptum est, ac bonum se refert ad voluntatem, & verum ad intellectum, ac utrumque simul ad unum; inde est, quod in Cælo dexter oculus sit bonum visus, ac sinister verum ejus, tum quod dextra auris sit bonum auditus, ac sinistra verum ejus, ut & quod dextra manus sit bonum potentiæ hominis, ac sinistra verum ejus; & similiter in paribus reliquis; & quoniam Dextrum & Sinistrum illarum significationum sunt, dixit Dominus,,, Si dexter oculus scandalizaverit te, erue illum; & si dextra manus scandalizaverit te, amputa illam; per quod intellexit, si bonum fiat malum, quod hoc ejiciendum sit; tum quod dixerit ad Discipulos, ut emitterent rete in dextram partem navigii, & quod, dum ita fecerunt, ingentem multitudinem piscium ceperint; per quod intellexit, ut docerent bonum charitatis, & quod sic colligerent homines. Post hæc dicta, iterum apparebant duo illa fulmina, prioribus mitiora;

&

& videbatur tunc, quod fulmen finiftrum traheret fuum candorem ex rutilo igne fulminis dextri; quibus vifis, dixit, hoc eft fignum confirmativum fermonis mei e Cælo, quia igneum in Cælo eft bonum, & candidum ibi eft verum; & quod vifum fit quod fulmen finiftrum traheret fuum candorem ex rutilo igne fulminis dextri, fignum demonftrativum eft, quod candor lucis feu lux non aliud fit quam fplendor ignis. His auditis, omnes a fulminibus illis, & a fermone de illis, accenfi bono & vero lætitiæ, domum abibant.

DE CONJUGIIS ITERATIS.

317. In ventilationem poteft venire, num Amor conjugialis, qui eft unius viri cum una uxore, poft mortem conjugis poffit feparari, aut tranfcribi, aut fuperinduci; tum etiam num Conjugia iterata aliquid commune obtineant cum Polygamia, & fic num vocari poffint Polygamiæ fucceffivæ; præter plura, quæ fcrupulos fcrupulis fe addere folent apud ratiocinatores; ut itaque fcrutiniorum magiftri, qui in umbra de his conjugiis ratiocinantur, videant aliquam lucem, operis pretium cenfui fore, fequentes Articulos de illis ad judicium fiftere, qui funt. I. *Quod poft mortem conjugis iterum contrahere matrimonium, dependeat a præcedente amore conjugiali.* II. *Quod etiam a ftatu conjugii, in quo vixerant.* III. *Quod illis, quibus non fuit amor vere conjugialis, nihil obftet & obfit, quin matrimonium iterato contrahant.* IV. *Quod illi, qui inter fe in amore vere conjugiali vixerant, iteratum conjugium non velint; nifi propter caufas feparatas ab amore conjugiali.* V. *Quod alius fit ftatus conjugii juvenis cum virgine, & alius juvenis cum vidua.* VI. *Quod etiam alius ftatus conjugii fit vidui cum virgine, & alius vidui cum vidua.* VII. *Quod varietates & diverfitates horum conjugiorum quoad amorem & ejus attributa, excedant omnem numerum.* VIII. *Quod ftatus viduæ gravior fit ftatu vidui.* Sequitur nunc horum Explicatio.

318. I. Quod post mortem conjugis iterum contrahere matrimonium dependeat a præcedente amore conjugiali. Eft amor vere conjugialis ficut lanx, qua inclinationes ad conjugia iterata ponderantur; quantum amor conjugialis præcedens ad illum amorem accedit, tantum inclinatio ad iteratum conjugium recedit, at quantum amor præcedens recedit ab illo amore, tantum inclinatio ad alterum conjugium folet accedere: caufa in propatulo eft, quia amor conjugialis eft in fimili gradu conjunctio mentium, quæ in vita corporis unius manet poft obitum alterius, & hæc tenet inclinationem ficut trutinam in bilance, & facit fuperpondium fecundum veri amoris appropriationem: fed quia acceffio ad hunc amorem raro hodie fit nifi ad aliquot paffus, ideo fcala fuperpondii inclinationis ut plurimum attollit fe ad æquationem, & ex hac nutat & protendit ad alteram partem, hoc eft, ad conjugium. Contrarium eft apud illos, quorum amor præcedens in conjugio priori ab amore vere conjugiali receffit; caufa eft, quia receffio ab illo in fimili gradu eft disjunctio mentium, quæ etiam in vita corporis unius manet poft obitum alterius,

us, & hæc intrat voluntatem ab alterius disjunctam, & facit inclinationem ad conjunctionem novam; pro qua cogitatio illata ab inclinatione voluntatis infert spem de unitiore, & sic jucundiore cohabitatione. Quod inclinationes ad iterata conjugia trahant suum ortum ex statu præcedentis amoris, notum est, & quoque ratio hoc videt; amori enim vere conjugiali inest timor jacturæ, & post jacturam dolor, & hic dolor & ille timor est in ipsis intimis mentium; inde est, quod quantum ex illo amore inest, tantum anima inclinet & voluntate & cogitatione, hoc est, intentione, ut sit in subjecto cum quo & in quo fuit; ex his sequitur, quod mens in libra teneatur ad alterum conjugium secundum gradum amoris in quo fuit in priori; ex hoc est, quod post mortem iidem reuniantur, ac similiter, ut in Mundo, se mutuo ament: sed, ut supra dictum est, hodie est ille amor rarus, & sunt pauci, qui digito attingunt illum, & illi qui non attingunt, & plus qui ab illo procul recedunt, hi sicut cupiverunt separationem in vita conforte anteacta, quæ frigida fuit, ita post mortem cupiunt conjunctionem cum alia seu alio: sed de his & illis plura in sequentibus.

319. II: QUOD POST MORTEM CONJUGIS ITERUM CONTRAHERE MATRIMONIUM DEPENDEAT ETIAM A STATU CONJUGII, IN QUO VIXERANT. Per statum conjugii non hic intelligitur status amoris, de quo in antecedente Articulo, quia hic facit inclinationem internam ad conjugium aut a conjugio, sed status conjugii, qui facit inclinationem externam ad illud aut ab illo; & hic status cum suis inclinationibus est multiplex; sicut. 1. Si Infantes in domo sunt, & illis nova Mater prospicienda est. 2. Si Infantes adhuc plures in voto sunt. 3. Si Domus ampla est, ac instructa famulitiis utriusque sexus. 4. Si administrationes continentes foris abstrahunt mentem a familiaribus domi, & inde absque nova Domina timetur ærumna & casus. 5. Si mutua auxilia & officia poscunt, ut in variis negotiis & operis. 6. Præterea a genio conjugis separati aut separatæ, pendet, num post primum conjugium possit aut non possit vivere solus seu absque conforte. 7. Conjugium præcedens etiam vel dat timorem pro vita conjugiali, vel dat favorem pro illa. 8. Audivi, quod amor polygamicus, & amor sexus, tum libido deflorationis, ac libido varietatis, quorundam animos in cupidinem ad iterata conjugia induxerint; ut & quorundum animos, timores legis & famæ, si mæchantur: præter plura alia, quæ inclinationes externas ad matrimonium promovent.

320. III. QUOD ILLIS, QUIBUS NON FUIT AMOR VERE CONJUGIALIS, NIHIL OBSTET ET OBSIT, QUIN MATRIMONIUM ITERATO CONTRAHANT. Illis, quibus non fuit amor conjugialis, non est aliquod vinculum spirituale seu internum, sed modo vinculum naturale seu externum; & si non vinculum internum continet externum in suo ordine & tenore, hoc non persistit aliter quam sicut fascia ablato ligaculo, quæ diffluit secundum jactum seu ventum: causa est, quia naturale ortum suum ducit a spirituali, & in sua existentia non aliud est quam congeries ex spiritualibus congregata; quare si naturale separatur a suo spirituali, quod produxit & quasi genuit illud, non continetur amplius interius, sed modo exterius a spirituali, quod circumdat & vincit illud

lud

lud in communi, & non illud colligat & colligatum tenet in singulari: inde est, quod naturale separatum a spirituali apud duos conjuges, non faciat aliquam conjunctionem mentium, & sic non voluntatum, sed solum conjunctionem aliquarum affectionum externarum, quæ cohærent cum sensibus corporis. Quod talibus nihil obstet & obsit, quin matrimonia iterata possint contrahere, est quia essentialia conjugii non illis fuerunt, & inde illis nec post separationem per mortem aliqua insunt; ideo tunc in pleno arbitrio sunt, sensuales suas affectiones ligare, si viduus cum quacunque, & si vidua cum quocunque lubet & licet: ipsi nec aliter de conjugiis quam naturaliter cogitant, & quam ex commodis propter varias necessitates & utilitates externas, quæ per mortem iterum possunt per aliam personam loco prioris restaurari; & forte si cogitationes illorum interiores, sicut in Mundo spirituali, perspicerentur, non inveniretur in illis aliqua distinctio inter conjunctiones conjugiales & inter copulationes extraconjugiales. Quod his liceat conjugia iterum & iterum pangere, est supradicta causa; quia conjunctiones solum naturales post mortem ex se dissolvuntur, ac diffluunt; externæ enim affectiones, per mortem sequuntur corpus, & tumulantur cum illo, remanentibus illis, quæ cum internis cohærent. At sciendum est, quod conjugia interius conjunctiva in terris ægre possint intrari, quia electiones similitudinum internarum ibi non possunt prospici a Domino sicut in Cælis, quia limitatæ sunt multis modis, ut ad compares statu & conditione, intra regionem, civitatem, & villam habitationis, ac ibi utplurimum externa consasciant illos, & sic non interna; quæ nec nisi quam post intervallum conjugii prodeunt, & modo, quando externis se ingerunt, noscuntur.

321. IV: QUOD ILLI, QUI INTER SE IN AMORE VERE CONJUGIALI VIXERANT, ITERATUM CONJUGIUM NON VELINT, NISI PROPTER CAUSAS SEPARATAS AB AMORE CONJUGIALI. Quod illi, qui in amore vere conjugiali vixerant, post mortem sui conjugis, iteratum conjugium non velint, sunt hæ causæ, 1. Quoniam quoad animas, & inde quoad mentes uniti sunt; & hæc unitio, quia spiritualis, est actualis adjunctio unius animæ & mentis ad alterius, quæ prorsus non potest dissolvi; quod spiritualis conjunctio talis sit, prius passim ostensum est. 2. Quod etiam uniti sint quoad corpora per receptionem propagationum animæ mariti ab uxore, & sic per insertionem ejus vitæ in suam, per quam virgo fit uxor; & vicissim per receptionem amoris conjugialis uxoris a marito, quæ disponit interiora mentis, & simul interiora & exteriora corporis ejus in statum receptibilem amoris, & perceptibilem sapientiæ, qui status illum a juvene facit maritum, de quibus videatur supra, n. 198. 3. Quod sphæra amoris ab uxore, ac sphæra intellectus a viro, jugiter effluat, & quod illa perficiat conjunctiones, & quod illa cum amæno suo spiraculo sit circum illos, ac uniat illos, videatur etiam supra n. 223. 4. Quod conjuges ita uniti in conjugio cogitent & spirent æternum, & quod super hac idea fundetur felicitas æterna illorum, videatur n. 216. 5. Ex his & illis est, quod non amplius duo sint, sed unus homo, quod est, una caro.

6. Quod

6. Quod tale unum non possit discerpi per mortem alterius, coram oculari visu spiritus, manifeste patet. 7. His adjicietur hoc novum; quod duo illi per mortem unius, usque non separentur; quoniam defuncti seu defunctæ spiritus cohabitat jugi cum spiritu nondum defuncti seu defunctæ, & id usque ad mortem alterius, quando iterum conveniunt & reuniunt se, ac tenerius quam prius se amant, quia in Spirituali Mundo. Ex his datur hoc consequens irrefragabile, quod illi, qui in amore vere conjugiali vixerant, iteratum conjugium non velint. Si autem contrahunt aliquod simile conjugii postea, fit propter causas separatas ab amore conjugiali; & hæ causæ sunt omnes externæ; ut si infantes in domo sunt, & illorum curæ prospiciendum est: si domus est ampla, instructa famulitiis utriusque sexus: si administrationes forinsecæ abstrahunt mentem a familiaribus domus: si mutua auxilia & officia sunt necessitates; & similia alia.

322. V: Quod alius status conjugii sit juvenis cum virgine, et alius juvenis cum vidua. Per status conjugii, intelliguntur status vitæ utriusque, mariti & uxoris, post nuptias, ita in conjugio, qualis tunc est cohabitatio, num interna animarum & mentium, quæ in principali idea est cohabitatio, vel num solum externa animorum, sensuum, & corporis. Status conjugii juvenis cum virgine, est ipse initialis ad genuinum conjugium, inter hos enim procedere potest amor conjugialis in suo justo ordine, qui est a primo calore ad primam facem, & deinde a primo semine apud juvenem, maritum, & a flore apud virginem uxorem, & sic germinare, crescere, & fructificare, ac in illa se mutuo introducere; sin aliter, juvenis non fuit juvenis, nec virgo fuit virgo, nisi in forma externa. Inter juvenem autem & viduam non datur similis initiatio a primitiis ad conjugium, nec similis progressio in conjugio, quoniam vidua plus sui arbitrii & juris est, quam virgo; quare juvenis alio visu adblanditur uxori viduæ, quam uxori virgini. Sed in his datur varietas & diversitas multa, quare id commune solum memoratur.

323. VI: Quod etiam alius status conjugii sit vidui cum virgine, et alius vidui cum vidua. Viduus enim jamdum in vitam conjugialem initiatus est, & virgo initianda est; & tamen amor conjugialis percipit & sentit, amœnum & jucundum suum in mutua initiatione; percipit & sentit juvenis maritus & virgo uxor in obvenientibus semper nova, ex quibus in continua quadam initiatione & inde amabili progressione sunt: aliter fit in statu conjugii vidui cum virgine; virgini uxori interna inclinatio est, at apud virum illa transiit; sed in his datur varietas & diversitas multa; similiter in conjugio inter viduum & viduam; quare præter notionem illam communem, non licet aliquid specifice adjungere.

324. VII: Quod varietates et diversitates horum conjugiorum quoad amorem et ejus attributa excedant omnem numerum. Est omnium varietas infinita, & quoque est diversitas infinita: per Varietates hic intelligitur inter illa quæ unius generis, aut unius speciei sunt, tum etiam inter genera, & inter species; at per Diversitates hic intelligitur inter illa, quæ in oppo-

opposito sunt: idea nostra de distinctione varietatum & diversitatum, illustrari potest per hoc: Cælum angelicum, quod cohæret ut unum, in infinita Varietate est, non datur unus ibi absolute similis alteri, non quoad animas & mentes, nec quod affectiones, perceptiones, & inde cogitationes, nec quoad inclinationes & inde intentiones, neque quoad sonos loquelæ, facies, corpora, gestus, & gressus, & plura; & usque, tametsi sunt myriades myriadum, a Domino ordinati sunt & ordinantur in unam formam, in qua est plenaria unanimitas & concordia; quæ non dabilis esset, nisi ab Uno ducantur omnes tam varii universaliter & singulariter; illa sunt, quæ per Varietates hic intelligimus. At per Diversitates intelligimus opposita varietatum illarum, quæ dantur in Inferno; omnes enim & singuli ibi e diametro oppositi sunt illis qui in Cælo sunt, & Infernum ex illis continetur ut unum per varietates inter se prorsus contrarias varietatibus in Cælo, ita per diversitates perpetuas. Ex his constat, quid per infinitam varietatem, & quid per infinitam diversitatem percipitur. Simile est cum Conjugiis, ut quod infinitæ varietates sint apud illos qui in Amore conjugiali sunt, ac infinitæ varietates inter illos qui in Amore scortatorio sunt; & inde, quod infinitæ diversitates sint inter hos & illos. Ex his hoc conclusum sequitur, quod varietates & diversitates in conjugiis cujuscunque generis & speciei, sive sint juvenis & virginis, sive juvenis cum vidua, sive vidui cum virgine, sive vidui cum vidua, excedant omnem numerum; quis potest infinitatem dispescere in numeros.

325. VIII: QUOD STATUS VIDUÆ SIT GRAVIOR STATU VIDUI. Causæ sunt externæ & internæ; Externæ in cujusvis luce sunt, ut. 1. Quod Vidua sibi & suæ domui non possit prospicere necessitates vitæ, nec acquisitas disponere, sicut vir, & sicut prius per virum & cum viro, 2. Quod nec se & domum suam possit, sicut oportet, tutari; vir enim fuit ejus, dum uxor, tutamen & sicut brachium; & dum ipsa fuit suum, usque confisa est suo viro. 3. Quod ex se inops consilii sit in talibus quæ interioris sapientiæ & inde prudentiæ sunt. 4. Quod Vidua sit absque receptione amoris, in quo ut fæmina est, ita in statu alieno ab innato & per conjugium inducto. Hæ causæ externæ, quæ sunt naturales, etiam trahunt originem ab internis, quæ spirituales sunt, ut omnia reliqua in mundo & in corpore, de quibus supra n. 220: causæ illæ externæ naturales percipiuntur a causis internis spiritualibus, quæ ex conjugio boni & veri procedunt, & principaliter ex his ejus; quod Bonum non possit prospicere, nec disponere aliquid nisi per verum; quod Bonum nec se possit tutari nisi per verum, proinde quod verum sit tutamen & sicut brachium boni; quod Bonum absque vero sit inops consilii, quia ei consilium, sapientia, & prudentia est per verum. Nunc quia Vir ex creatione est Verum, & Uxor a creatione est ejus Bonum, seu quod idem est, quia Vir ex creatione est Intellectus, & Uxor a creatione est Amor ejus, patet, quod causæ externæ seu naturales, quæ viduitatem fæminæ aggravant, trahant ortum ex causis internis seu spiritualibus. Hæ spirituales causæ sunt, quæ conjunctæ cum naturalibus, intelliguntur in Verbo per illa quæ de Viduis pluribus in locis dicuntur; quæ videantur in APOCALYPSI REVELATA, n. 764.

❀ ❀ ❀ ❀ ❀ ❀ ❀

Vr. Rel. n. 280.

326. His Adjiciam DUO MEMORABILIA; PRIMUM hoc. Postquam problema de Anima in Gymnasio ventilatum & solutum est, vidi exeuntes in ordine, & ante illos Archididascalum, post illum Seniores, in quorum medio erant quinque Juvenes qui responderunt, & post hos reliqui; & cum egressi sunt, secedebant ad latera circum domum, ubi erant Ambulacra circumcincta arbustis; & ibi congregati dividebant se in exiguas turmas, totidem consortia juvenum de rebus sapientiæ confabulantium, in quorum unoquovis erat unus Sapiens ex Orchestra. His e diversorio a me visis, factus sum in spiritu, ac in spiritu exivi ad illos, & accessi ad Archididascalum, qui nuper problema de Anima proposuerat: hic cum me vidit, dixit quis es, miratus sum cum vidi te in via accedentem, quod nunc incideris in conspectum meum, nunc excideris ex illo, seu quod nunc mihi visus sis, & subito non visus, certe non es in statu vitæ nostratium; ad hæc subridens respondi, non sum ludio, nec vertumnus, sed sum alternus, nunc in luce vestra, & nunc in umbra vestra, ita peregrinus & quoque indigena: ad hæc Archididascalus aspexit me, & dixit, loqueris aliena & mira; dic mihi quis es, & dixi, sum in Mundo, in quo vos fuistis, & e quo vos exivistis, qui vocatur Mundus naturalis, & quoque sum in Mundo, in quem vos venistis, & in quo estis, qui vocatur Mundus Spiritualis; inde est, quod sim in statu naturali, & simul in statu spirituali; in statu naturali cum hominibus telluris, & in statu spirituali cum vobis; & quando in statu naturali sum, non videor vobis, at quando in statu spirituali, videor; quod talis sim, datum est a Domino: tibi, vir illustrate, notum est, quod homo Mundi naturalis non videat hominem Mundi spiritualis, nec vicissim; quare cum immisi spiritum meum in corpus, non tibi visus sum, sed cum emisi illum e corpore, visus sum: docuisti etiam in Ludo Gymnasiaco, quos vos sitis animæ, & quod animæ videant animas, quia sunt formæ humanæ; & nosti, quod non videritis vos seu animas vestras in vestris corporibus, cum fuistis in Mundo naturali; at hoc existit propter discrimen, quod est inter Spirituale & Naturale. Ille cum audivit discrimen inter Spirituale & Naturale, dixit, quid discrimen, estne id sicut inter purum magis & minus, ita quid Spirituale nisi purius naturale; & respondi, discrimen non tale est, sed est quale inter prius & posterius, inter quæ ratio finita non datur; est enim prius in posteriori, ut causa in suo effectu, ac posterius est ex priori, ut effectus ex sua causa; inde est quod unum non appareat alteri. Ad hæc dixit Archididascalus, meditatus & ruminatus sum de hoc discrimine, sed huc usque in vanum; utinam id percepero; & dixi, non modo discrimen inter Spirituale & Naturale percipies, sed etiam videbis; & tunc dixi hæc, Tu es in statu spirituali dum apud tuos, at in statu naturali apud me, loqueris enim cum tuis Lingua Spirituali, quæ est communis omni spiritui & angelo, at cum me loqueris Lingua mea vernacula; nam omnis spiritus & angelus loquens cum homine loquitur ejus linguam propriam, ita cum Gallo gallicam, cum Anglo

glo anglicam, cum Græco græcam, cum Arabe arabicam, & sic porro: ut itaque scias discrimen inter Spirituale & Naturale quoad Linguas, fac ita; intra ad tuos, & loquere aliquid ibi, ac retine voces, & cum his in memoria redi, & coram me enuntia illas; ac fecit ita, & rediit ad me cum vocibus illis in ore, & effatus est illas, & non intellexit ullam, erant voces prorsus alienæ & peregrinæ, quæ non dantur in aliqua Lingua Mundi naturalis; per hanc experientiam aliquoties iteratam clare patuit, quod omnibus in Mundo spirituali sit Lingua spiritualis, quæ nihil commune cum aliqua Lingua Mundi naturalis obtinet, & quod omnis homo in illam Linguam post obitum ex se veniat: simul etiam tunc expertus est, quod ipse sonus Linguæ spiritualis a sono Linguæ naturalis differret in tantum, ut sonus spiritualis etiam altus ne hilum audiretur ab homine naturali, nec sonus naturalis ab homine spirituali. Postea, rogavi Archididascalum & circumstantes, ut intrarent ad suos, & scriberent aliquam sententiam super charta, ac cum charta illa exirent ad me, & legerent; fecerunt ita, & redierunt cum Charta in manu, at cum legerent, non potuerunt quicquam intelligere, quoniam Scriptura constabat modo ex aliquibus literis alphabeticis cum strophis supra, quarum unaquævis aliquem sensum rei significabat: quia unaquævis litera in Alphabeto significat ibi aliquem sensum, patet unde est, quod Dominus dicatur Alpha & Omega: cum illi iterum & iterum intrarent, scriberent, & redirent, comperti sunt, quod Scriptura illa involveret & comprehenderet innumera, quæ nusquam aliqua Scriptura naturalis posset exprimere; at dictum est, quod hoc sit, quia spiritualis homo cogitat incomprehensibilia & ineffabilia Naturali homini, & quod hæc in aliam Scripturam & in aliam Linguam influere & inferri nequeant. Tunc quia adstantes non voluerunt comprehendere, quod spiritualis cogitatio in tantum excederet naturalem, ut sit respective ineffabilis, dixi illis, facite experientiam, intrate in Societatem vestram spiritualem, & cogitate aliquam rem, ac retinete illam, & redite, & coram me expromite illam; ac intraverunt, cogitaverunt, retinuerunt, exiverunt, at cum expromerent rem cogitatam, non potuerunt; non enim invenerunt ullam ideam cogitationis naturalis adæquatam alicui ideæ cogitationis spiritualis; ita nec aliquam vocem exprimentem illas, nam ideæ cogitationis fiunt voces loquelæ; & tunc reintrabant & redibant & confirmabant se, quod ideæ spirituales essent supranaturales, inexpressibiles, ineffabiles, & incomprehensibiles Naturali homini; & quia tam supereminentes sunt, dicebant, quod spirituales ideæ seu cogitationes respective ad naturales, essent ideæ idearum, & cogitationes cogitationum, & quod ideo per illas exprimerentur qualitates qualitatum, & affectiones affectionum, consequenter quod cogitationes spirituales essent initia ac origines cogitationum naturalium; inde etiam patuit, quod sapientia spiritualis esset sapientia sapientiæ, ita imperceptibilis alicui sapienti in Naturali Mundo. Tunc dictum est illis e Cælo Tertio, quod adhuc sit sapientia interior seu superior, quæ vocatur cælestis, cujus respectus ad sapientiam spiritualem, similis est respectui hujus ad naturalem; & quod hæ in ordine secundum Cælos influant ex Divina Domini Sapientia, quæ est infinita.

327. His peractis dixi ad adstantes; ex his tribus experientiæ indiciis, vidistis, quale est discrimen inter Spirituale & Naturale, & quoque causam, cur Naturalis homo non appareat Spirituali, nec Spiritualis homo Naturali; tametsi quoad affectiones & cogitationes, & inde præsentias consociati sunt: inde est, quod tibi, Archididascale, in via nunc visus sim, & nunc non visus. Post hæc audita est vox e superiori Cælo ad Archididascalum, dicens, ascende huc, & ascendit, & rediit, & dixit, quod Angeli, sicut ipse, non prius noverint differentias inter Spirituale & Naturale, propter causam, quia non prius apud quendam hominem, qui in utroque Mundo simul fuit, aliqua copia relationis data est, ac differentiæ illæ absque relatione, non noscuntur.

328. Post hæc secessimus, ac iterum loquuti sumus de hac re, & dixi; quod discrimina illa non aliunde existant, quam quia vos, qui in Mundo spirituali estis, & inde spirituales, estis in substantialibus & non in materialibus, ac substantialia sunt initia materialium; vos estis in principiis & sic in singularibus, nos autem in principiatis & compositis; vos estis in particularibus, nos autem in communibus; & sicut communia non possunt intrare in particularia, ita nec possunt naturalia, quæ sunt materialia, intrare in spiritualia quæ sunt substantialia, prorsus sicut funis nauticus non potest intrare seu traduci per foramen acus netorii, aut sicut Nervus non potest intrare seu induci in unam ex fibris ex quibus ille est, nec fibra in unam ex fibrillis ex quibus illa est; hoc etiam in Mundo notum est, quare consensus Eruditorum est, quod non detur influxus naturalis in spirituale, sed spiritualis in naturale. Hæc nunc causa est, quod naturalis homo non possit cogitare illa quæ spiritualis homo, & inde nec loqui illa; quare Paulus illa quæ audivit ex Tertio Cælo, dicit ineffabilia. Accedit, quod spiritualiter cogitare sit absque tempore & spatio cogitare, & quod naturaliter, sit cum tempore & spatio; adhæret enim omni ideæ cogitationis naturalis aliquid e tempore & spatio, non autem alicui ideæ spirituali; causa est, quia spiritualis Mundus non est in spatio & tempore, sicut Mundus naturalis, sed est in duorum illorum apparentia: in hoc differunt etiam cogitationes & perceptiones; quare vos potestis cogitare de Dei Essentia & Omnipræsentia ab æterno, hoc est, de Deo ante Creationem Mundi, quoniam cogitatis de Dei Essentia ab æterno absque tempore, & de Ipsius Omnipræsentia absque spatio, & sic comprehenditis talia, quæ ideas Naturalis hominis transcendunt: & tunc narravi, quod semel cogitaverim de Dei Essentia & Omnipræsentia ab æterno, hoc est, de Deo ante Creationem Mundi, & quod quia nondum potui removere spatia & tempora ab ideis cogitationis meæ, anxius factus sum, intravit enim idea Naturæ pro Deo; sed dictum mihi est, remove ideas spatii & temporis, & videbis; & datum est removere, & vidi; & ab illo tempore potui cogitare Deum ab æterno, & prorsus non Naturam ab æterno, quia Deus in omni tempore est absque tempore, & in omni spatio est absque spatio, Natura autem in omni tempore est in tempore, & in omni spatio est in spatio; & Natura cum suo tempore & spatio non potuit non inchoare & oriri, non autem DeusQui est absque tempore

& ſpatio; quare Natura a Deo eſt, non ab æterno, ſed in tempore, hoc eſt, una cum ſuo tempore & ſimul ſpatio.

329. Poſtquam Archididaſcalus & reliqui a me abiverunt, aliqui pueri, qui etiam in Ludo Gymnaſiaco fuerunt, ſequebantur me domum, & ibi paulum adſtiterunt mihi ſcribenti; & ecce tunc videbant blattam currentem ſuper charta mea, & mirati quæſiverunt quid hoc animalculum tam velox; & dixi, quod dicatur Blatta, & de illa vobis dicam mirabilia; & dixi, quod in tam parvulo vivo ſint totidem membra & viſcera, quæ in Camelo; ut quod ſint cerebra, corda, fiſtulæ pulmonales, organa ſenſuum, motuum, & generationum, ventriculus, inteſtina, & plura; ac ſingula contexta ex fibris, nervis, vaſis ſanguineis, muſculis, tendinibus, membranis, & hæc ſingula ab adhuc purioribus, quæ alte intra aciem omnis oculi latent: dicebant tunc, quod uſque parvulum hoc vivum appareat illis non aliter quam ſicut ſubſtantia ſimplex; & dixi, ſunt tamen intus innumerabilia; hæc dico, ut ſciatis, quod ſimile ſit in omni objecto quod coram vobis apparet ſicut unum, ſimplex, & minimum, tam in actionibus quam in affectionibus & cogitationibus veſtris; poſſum affeverare vobis, quod unaquævis mica cogitationis, & unaquævis ſtilla affectionis veſtræ, ſit dividua uſque ad infinitum, & quod ſicut ideæ veſtræ dividuæ ſunt, ita vos ſapiatis: ſcitote, quod omne diviſum ſit plus & plus multiplex, & non plus & plus ſimplex, quia diviſum & diviſum propius & propius accedit ad infinitum, in quo infinite omnia ſunt; hoc novum prius inauditum vobis refero. His dictis, pueri a me abiverunt ad Archididaſcalum, & illum rogaverunt, ut in Gymnaſio aliquando proponeret aliquod novum inauditum ut problema, & dixit, quid; dixerunt, quod omne diviſum ſit plus & plus multiplex, & non plus & plus ſimplex, quia propius & propius accedit ad infinitum, in quo infinite omnia ſunt; & ſpoſpondit quod proponeret; & dixit, hoc video, quia percepi, quod una idea naturalis ſit continens innumerabilium idearum ſpiritualium; imo quod una idea ſpiritualis ſit continens innumerabilium idearum cæleſtium; inde eſt diſcrimen inter Sapientiam cæleſtem in qua ſunt Angeli tertii Cæli, & inter Sapientiam Spiritualem in qua ſunt Angeli ſecundi Cæli, ut & inter Sapientiam naturalem, in qua ſunt Angeli ultimi Cæli, & quoque homines.

330. Alterum Memorabile. Quondam audivi ventilationem amænam inter Viros, quæ erat de Sexu fæminino, num aliqua Mulier poſſit amare ſuum Virum, quæ conſtanter amat ſuam pulchritudinem, hoc eſt, quæ amat ſe ex ſua forma; convenerunt inter ſe primum, quod fæminis duplex pulchritudo ſit, una naturalis, quæ eſt faciei & corporis, & altera ſpiritualis quæ eſt amoris & morum; convenerunt etiam, quod binæ illæ Pulchritudines ſæpius ſint diviſæ in Mundo naturali, & quod ſemper ſint unitæ in Mundo ſpirituali, nam in hoc Mundo pulchritudo eſt forma amoris & morum, quare poſt mortem ſæpius contingit, quod Mulieres deformes fiant pulchritudines, ac Mulieres pulchræ fiant deformitates. Cum Viri hoc ventilabant, venerunt aliquæ Uxores, & dixerunt, admittite noſtram præſentiam, quia vos id quod ventilatis, docet ſcientia, nos autem id docet experientia; & quo-

que tam parum scitis de Amore uxorum, ut vix aliquid; num scitis, quod prudentia sapientiæ uxorum sit, amorem suum ad maritos in intimo pectoris sui, aut in medio cordis sui, recondere. Inchoabatur Ventilatio, & Primum Conclusum a Viris erat, quod omnis fæmina velit pulchra facie & pulchra moribus videri, quia nata est affectio amoris, & forma hujus affectionis est Pulchritudo, quare fæmina quæ non vult pulchra esse, non est fæmina quæ vult amare & amari, & inde non vere fæmina. Ad hæc uxores dixerunt, pulchritudo fæminæ habitat in molli teneritate, & inde in exquisita sensatione, inde est amor fæminæ ad virum, & amor viri ad fæminam; vos forte hoc non intelligitis. Alterum Conclusum Virorum erat, quod fæmina ante conjugium velit pulchra esse pro viris, at post conjugium, si casta est, pro solo Viro, & non pro viris. Ad hoc dixerunt uxores, Maritus postquam libaverat pulchritudinem naturalem uxoris, non videt illam amplius, sed videt ejus pulchritudinem spiritualem, & ex hac redamat, ac revocat naturalem, sed sub alia specie. Conclusum Tertium ventilationis illorum erat, quod si fæmina post conjugium vult similiter pulchra videri, sicut ante illud, amet viros & non virum, quia fæmina se amans ex pulchritudine sua, continue vult ut pulchritudo sua libetur, & quia hæc non amplius apparet viro, ut dixistis, vult ut a viris, coram quibus apparet; quod huic sit amor sexus, & non amor unius ex sexu, patet; ad hæc conticuerunt uxores, murmurabant tamen hæc, quæ mulier datur ita expers vanitatis, ut non velit pulchra videri etiam viris, simul dum suo unico. Audiebant hæc aliquæ Uxores e Cælo, quæ erant pulchræ, quia affectiones cælestes, & tria Conclusa virorum confirmabant; sed addiderunt, modo ament suam pulchritudinem & ejus ornatus, propter suos maritos, & ab illis.

331. Tres illæ uxores indignatæ, quod confirmata sint ex uxoribus e Cælo tria Conclusa virorum, dixerunt ad viros, vos inquisivistis, num mulier, quæ amat se ex pulchritudine sua, amet suum virum; nos vice versa ideo ventilabimus, num vir, qui se ex intelligentia sua amat, possit amare suam uxorem; adeste & audite; & fecerunt Primum Conclusum, Omnis uxor non amat virum suum ex facie, sed ex intelligentia in ejus officio & moribus, scitote itaque quod uxor uniat se cum Intelligentia viri, & sic cum Viro, quare vir si amat se ex sua intelligentia, retrahit illam ab Uxore in se, unde sit disunio & non unio; insuper amare suam intelligentiam, est sapere ex se, & hoc est insanire, quare est amare suam insaniam. Ad hæc viri dixerunt, forte uxor se unit cum virtute viri; ad hæc riserunt uxores, dicentes, virtus non deficit, dum vir amat uxorem ex intelligentia, at deficit si ex insania; intelligentia est amare solam uxorem, & huic amori non deficit virtus, at insania est non amare uxorem, sed sexum, & huic amori deficit virtus; comprehenditis hoc. Alterum Conclusum fuit; nos fæminæ nascimur in amorem intelligentiæ virorum, quare si viri amant suam propriam intelligentiam, non potest intelligentia uniri cum suo genuino amore, qui est apud uxorem; & si intelligentia viri non unitur cum suo genuino amore, qui est apud uxorem, intelligentia fit insania ex fastu, & amor conjugia-

jugialis sit frigus; quæ ergo fæmina potest unire amorem suum frigori, & quis vir potest unire insaniam fastus sui, amori intelligentiæ. At dixerunt viri, unde viro honor ab uxore, nisi magnifaciat intelligentiam suam; sed responderunt uxores, ex amore, quia Amor honorat, non potest honor separari ab amore, sed potest amor ab honore. Postea fecerunt TERTIUM CONCLUSUM, hoc; videmini sicut vos ametis uxores, & non videtis quod ab uxoribus amemini, & vos sic redametis; & quod intelligentia vestra sit receptaculum; si ergo amatis intelligentiam vestram in vobis, fit illa receptaculum vestri amoris, & amor proprii, quia non sustinet parem, nusquam fit conjugialis, sed quamdiu valet, tamdiu manet scortatorius; ad hæc viri conticuerunt; murmurabant tamen, quid Amor conjugialis. Audiebant illa aliqui Mariti in Cælo, & tria Conclusa uxorum inde confirmabant.

DE POLYGAMIA.

332. Si indagatur causa, cur Conjugia Polygamica e Christiano Orbe plane damnata sunt, illa a nemine, quacunque dote res acute ingenio perspiciendi præditus est, ut aperta videri potest, nisi prius instructus fuerit, QUOD DETUR AMOR VERE CONJUGIALIS: QUOD HIC NON DABILIS SIT, NISI QUAM INTER DUOS: QUOD NEC INTER DUOS NISI A SOLO DOMINO: ET QUOD HUIC AMORI INSCRIPTUM SIT CÆLUM CUM OMNIBUS EJUS FELICITATIBUS: hæ cognitiones nisi præcedant, & quasi primum lapidem ponant, nequicquam satagit mens educere ex intellectu aliquas rationes, quibus acquiescat, & super quibus subsistat, quemadmodum domus super suo lapide seu fundamento, cur Polygamia e Christiano Orbe damnata est. Notum est, quod institutio Conjugii monogamici fundata sit super Verbo Domini „ *Quod qui dimiserit uxorem, nisi propter scortationem, & aliam duxerit, adulterium committat; & quod ab initio seu a prima instauratione conjugiorum fuerit, ut duo fiant una caro; & quod homo non separaturus sit, quod Deus copulavit* " Matth. XIX: 3 ad 11. Sed tametsi Dominus illa ex Divina Conjugiis inscripta Lege dictavit, usque si non Intellectus potest suffulcire illam ex quadam sua ratione, potest usque ille per versationes sibi suetas, & per sinistras interpretationes, Divinam illam Legem circumducere, & deducere in obscurum ambiguum, & demum in affirmativum negativum; in affirmativum, quia ex Lege civili etiam est, & in negativum, quia non ex visu illorum rationali est: in hoc cadet Mens humana, nisi instructa prius fuerit de supra memoratis cognitionibus, intellectui pro introductione in suas rationes inserviendis; quæ sunt, quod detur Amor vere conjugialis; quod hic non dabilis sit, quam inter duos; quod nec inter duos nisi a Solo Domino; & quod huic amori inscriptum sit Cælum cum omnibus ejus felicitatibus. Sed hæc, & plura de damnatione Polygamiæ e Christiano Orbe, secundum sequentes Articulos in ordine demonstranda sunt: Articuli sunt hi, I. *Quod nisi cum una uxore non dari queat Amor vere conjugialis, consequenter nec vere conjugialis amicitia, confidentia, potentia, ac talis mentium conjunctio, ut duo sint una caro.* II. *Quod sic nisi cum una uxore non dari queant beatitudines*

dines cœlestes, faustitates spirituales, ac jucunditates naturales, quæ ab initio provisæ sunt illis, qui in amore vere conjugiali sunt. III. *Quod illa omnia non dari queant nisi a Solo Domino; & quod non dentur aliis, quam qui Ipsum Solum adeunt, & simul vivunt secundum præcepta Ipsius.* IV. *Consequenter, quod non dari queat amor vere conjugialis cum ejus felicitatibus, nisi quam apud illos qui ab Ecclesia Christiana sunt.* V. *Quod inde sit, quod Christiano non liceat nisi quam unam uxorem ducere.* VI. *Quod Christianus, si plures uxores ducit, non modo adulterium naturale, sed etiam adulterium spirituale, committat.* VII. *Quod Genti Israeliticæ permissum fuerit plures uxores ducere, quia apud illam non Ecclesia Christiana fuit, & inde nec dabilis amor vere conjugialis.* VIII. *Quod hodie Mahumedanis permissum sit plures uxores ducere, quia non agnoscunt Dominum Jesum Christum unum cum Jehovah Patre, & sic pro Deo Cæli & Terræ; & inde non possunt amorem vere conjugialem recipere.* IX. *Quod Cælum Mahumedanum sit extra Cælum Christianum, & quod illud in duos Cælos, inferius & superius, sit divisum; & quod non alii in Cælum illorum superius eleventur, quam qui abdicant pellices, & vivunt cum una uxore, & agnoscunt Dominum nostrum æqualem Deo Patri, Cui dominium super Cælum & Terram datum est.* X. *Quod Polygamia sit lascivia.* XI. *Quod apud Polygamos non dabilis sit conjugialis castitas, puritas & sanctitas.* XII. *Quod Polygami, quamdiu manent polygami, non fieri possint spirituales.* XIII. *Quod Polygamia non sit peccatum, apud quos illa est ex religione.* XIV. *Quod Polygamia non sit peccatum apud illos, qui in ignorantia sunt de Domino.* XV. *Quod ex his illi, tametsi polygami, salventur, qui agnoscunt Deum, & ex religione vivunt secundum leges justitiæ civiles.* XVI. *Sed quod nulli ex his & illis consociari possint cum Angelis in Christianis Cælis.* Sequitur nunc horum Explicatio.

333. I. QUOD NISI CUM UNA UXORE NON DARI QUEAT AMOR VERE CONJUGIALIS, CONSEQUENTER NEC VERE CONJUGIALIS AMICITIA, CONFIDENTIA, POTENTIA; ET TALIS MENTIUM CONJUNCTIO, UT SINT UNA CARO. Quod amor vere Conjugialis hodie tam rarus sit, ut communiter sit ignotus, supra aliquoties indigitatum est; quod tamen actualiter detur, in suo Capite, & post illud per vices in sequentibus, demonstratum factum est. Alioquin quis non scit, quod detur talis amor, qui omnes alios amores excellentia & amœnitate superscandit, adeo ut omnes amores respectu ejus sint parvi; quod excedat amorem sui, amorem mundi, imo amorem vitæ, experientiæ testantur; fueruntne & suntne, qui pro fœmina optata & rogata in sponsam, se prosternunt super genua, illam quasi deam adorant, & sicut vilissimi servi beneplacitis ejus se submittunt; indicium, quod ille amor excedat amorem sui. Fueruntne & suntne, qui pro fœmina optata & rogata in sponsam, nihili pendunt opes, imo gazas, si possiderent, & quoque qui prodigunt illas; indicium, quod ille amor excedat amorem Mundi. Fueruntne & suntne, qui pro fœmina optata & rogata in sponsam, ipsam vitam suam pro vili æstimant, & discupiunt mori, nisi pacifcatur se voto illorum; hoc quoque testantur plures rivalium dimicationes usque ad necem; indicium, quod ille amor excedat amorem vitæ. Fueruntne & suntne, qui pro fœmina optata & rogata in sponsam, ex nega-

tione

tione amentes facti ſunt. Quis non ex hoc inchoamento illius amoris apud plures, poteſt rationaliter concludere, quod amor ille ex ſua eſſentia ut ſupremus dominetur ſuper omnem alium amorem, & quod anima hominis tunc in illo ſit, ac ſpondeat ſibi cum optata & rogata beatitudines æternas; quis videre poteſt, ſi quaverſum diſquirat, aliam cauſam, quam quod addixerit animam ſuam & cor ſuum ad unam; nam ſi amaſio, dum in illo ſtatu eſt, optio daretur eligendi ex univerſo ſexu digniſſimam, opulentiſſimam, & formoſiſſimam, nonne deſpiceret optionem, & adhæreret electæ; cor enim ejus eſt ad unicam illam. Hæc dicta ſunt, ut agnoſcatis, quod amor conjugialis talis ſupereminentiæ detur, & quod detur dum una e ſexu unice amatur. Quis intellectus, qui rationes in nexu elimata acie intuetur, non poteſt inde deducere, quod ſi amator ab anima ſeu ab intimis conſtanter perſiſtit in amore ad illam, conſequeretur æternas illas beatitudines, quas ſibi ante conſenſum ſpoſpondit, & in conſenſu ſpondet: quod etiam conſequatur illas, ſi adeat Dominum, & ab Ipſo vivat veram religionem, ſupra oſtenſum eſt: quis alius a ſuperiori intrat vitam hominis, & gaudia cæleſtia interna indit, & in conſequentia transfert; & eo plus, dum etiam ſimul conſtantem virtutem donat. Quod talis amor non detur, nec dabilis, quia non apud ſe, ac apud hunc & illum eſt, non valet conſequentia.

334. Quoniam amor vere conjugialis conjungit duorum animas & corda, ideo etiam unitus eſt cum amicitia & per hanc cum confidentia, & facit utramque conjugialem, quæ ita eminent ſupra amicitias & confidentias alias, ut ſicut amor eſt amor amorum, ita quoque illa amicitia eſt amicitia amicitiarum, ſimiliter confidentia; quod etiam potentia, ſunt plures cauſæ, quarum aliquæ in Altero Memorabili poſt hoc Caput revelantur, ex qua perſeveratio amoris illius ſequitur. Quod per Amorem vere conjugialem duo conſortes fiant una Caro, in peculiari Capite, quod eſt a n. 156 ad 183, oſtenſum eſt.

335. II. Quod sic nisi cum una uxore non dari queant beatitudines cælestes, faustitates Spirituales, et jucunditates naturales, quæ ab initio provisæ sunt illis, qui in Amore vere conjugiali sunt. Dicuntur beatitudines cæleſtes, fauſtitates ſpirituales, & jucunditates naturales, quia Mens humana diſtincta eſt in tres Regiones, quarum ſuprema vocatur cæleſtis, ſecunda ſpiritualis, & tertia naturalis; ac tres illæ regiones apud illos, qui in amore vere conjugiali ſunt, apertæ ſtant, ac influxus ſequitur ordine ſecundum aperturas: & quia amænitates illius amoris in ſuprema regione eminentiſſimæ ſunt, percipiuntur illæ ut beatitudines, & quia in media regione minus eminentes ſunt, percipiuntur illæ ut fauſtitates, & demum in infima regione, ut jucunditates; quod illæ ſint, percipiantur, & ſentiantur, conſtat ex Memorabilibus, in quibus deſcribuntur. Quod omnes illæ felicitates ab initio proviſæ ſint illis, qui in amore vere conjugiali ſunt, eſt quia Infinitas omnium beatitudinum in Domino eſt, & Ipſe eſt divinus Amor, & amoris eſſentia eſt, ut velit omnia ſua bona communicare alteri, quem amat; quare una cum homine creavit illum amorem, ac illi inſcripſit facultatem recipiendi & percipiendi illa: quis tam hebes & vecors ingenio eſt, ut non poſſit videre, quod

aliquis amor sit, in quem a Domino illata sunt omnia beata, fausta, & jucunda, quæ usquam inferri possunt.

336. III. QUOD ILLA OMNIA NON DARI QUEANT, NISI A SOLO DOMINO; ET QUOD NON DENTUR ALIIS, QUAM QUI IPSUM SOLUM ADEUNT, ET VIVUNT SECUNDUM PRÆCEPTA IPSIUS. Hoc prius multis in locis demonstratum est; quibus adjungendum est, quod omnia illa beata, fausta & jucunda, non dari queant quam a Domino, & quod propterea non alius adeundus sit; quis alius, cum per Ipsum facta sunt omnia quæ facta, Joh. I: 3. cum Ipse est Deus Cœli & Terræ, Matth. XXVIII: 18. cum nusquam aliqua species Dei Patris visa sit, nec vox Ipsius audita, nisi per Ipsum, Joh. I: 18. Cap. V: 37. Cap. XIV: 6 ad 11. ex his & perplurimis aliis in Verbo, constat, quod conjugium amoris & sapientiæ, seu boni & veri, ex quo conjugia suam originem unice ducunt, ab Ipso Solo procedat. Quod Amor ille cum suis felicitatibus, non detur aliis, quam qui Ipsum adeunt, inde sequitur; & quod illis, qui vivunt secundum præcepta Ipsius, est quia cum illis per amorem conjunctus est, Joh. XIV: 21 ad 24.

337. IV. CONSEQUENTER, QUOD NON DARI QUEAT AMOR VERE CONJUGIALIS, NISI QUAM APUD ILLOS QUI AB ECCLESIA CHRISTIANA SUNT. Quod non detur Amor conjugialis, qualis in suo Capite, n. 57 ad 73, & in sequentibus illud, descriptus est, ita qualis est in sua essentia, nisi quam apud illos, qui ab Ecclesia Christiana sunt, est causa, quia ille Amor est a Solo Domino, & Dominus non alibi ita notus est, ut possit adiri ut Deus; tum quia amor ille est secundum statum Ecclesiæ apud unumquemvis, n. 130, & genuinus status Ecclesiæ non aliunde est quam a Domino, ita non apud alios, quam qui ab Ipso recipiunt illum: quod hæc duo sint illius amoris primordia, introductiones & constabilitiones, tali copia rationum evidentium & concludentium, hactenus firmatum est, ut prorsus supervacaneum sit aliquid superadjicere. Quod tamen usque Amor vere conjugialis in Orbe Christiano rarus sit, n. 58, 59. est quia pauci ibi adeunt Dominum, ac inter illos aliqui sunt, qui quidem credunt Ecclesiam, sed non vivunt illam; præter plura, quæ detecta sunt in APOCLAYPSI REVELATA, ubi plene discribitur status hodiernus Ecclesiæ Christianæ: sed nihilominus valet veritas, quod non dari queat amor vere conjugialis, nisi apud illos, qui ab Ecclesia Christiana sunt; quare etiam Polygamia inde prorsus damnata est; quod hoc etiam sit ex Divina Domini Providentia manifeste patet illis, qui de Providentia juste cogitant.

338. V. QUOD INDE SIT, QUOD CHRISTIANO NON LICEAT NISI UNAM UXOREM DUCERE. Hoc sequitur confirmatum ex confirmatis præcedentibus Articulis; quibus hoc adjiciendum est; quod genuinum Conjugiale mentibus Christianorum altius inscriptum sit, quam mentibus Gentium, quæ Polygamiam amplexæ sunt; & quod inde mentes Christianorum susceptibiliores illius amoris sint, quam mentes polygamorum; nam Conjugiale illud inscriptum est interioribus mentis Christianorum, quia agnoscunt Dominum & Divinum Ipsius, & exterioribus mentis illorum per Leges civiles.

339. VI. QUOD CHRISTIANUS, SI PLURES UXORES DUCIT, NON MODO ADUL-

TERIUM NATURALE, SED ETIAM ADULTERIUM SPIRITUALE, COMMITTAT. Quod Christianus, qui plures uxores ducit, adulterium naturale committat, est secundum Domini verba, quæ sunt, Quod non liceat dimittere uxorem, quia ab initio creati sunt ut sint una caro; & quod qui dimiserit absque justa causa, & aliam duxerit, adulterium committat, Matth. XIX: 3 ad 11. ita plus adhuc, qui non dimittit, sed retinet uxorem, & aliam superinducit. Hæc a Domino lata Lex de Conjugiis ducit internam causam ex Conjugio spirituali; nam quicquid Dominus loquutus est, in se spirituale fuit; quod intelligitur per hæc „ *Verba, quæ Ego loquor vobis, spiritus sunt & vita sunt*, Joh. V: 63. Spirituale quod inest, est hoc, quod per Polygamicum conjugium in Christiano Orbe, prophanetur Conjugium Domini & Ecclesiæ; similiter Conjugium boni & veri; & insuper Verbum, & cum Verbo Ecclesia; ac prophanatio illorum est Adulterium spirituale. Quod Prophanatio boni & veri Ecclesiæ ex Verbo correspondeat Adulterio, & quod inde sit Adulterium spirituale, & quod falsificatio boni & veri similiter, sed in minori gradu, videatur confirmatum in APOCALYPSI REVELATA, n. 134. Quod per Conjugia Polygamica apud Christianos, prophanaretur Conjugium Domini & Ecclesiæ, est quia Correspondentia datur inter Divinum illud Conjugium & inter conjugia Christianorum, de qua videatur supra n 53 ad 102; quæ correspondentia prorsus perit, si uxori adjungitur uxor, & cum illa perit, homo conjux non amplius est Christianus. Quod per Conjugia polygamica apud Christianos, prophanetur Conjugium boni & veri, est quia ex Spirituali hoc Conjugio derivantur conjugia in terris; & Christianorum conjugia a conjugiis aliarum gentium differunt in eo, quod sicut bonum amat verum ac verum bonum, ac unum sunt, ita uxor & maritus; quare si Christianus uxorem uxori adjungeret, conjugium illud Spirituale apud se discinderet, proinde originem sui conjugii prophanaret, & sic Adulterium spirituale committeret; quod conjugia in terris ex Conjugio boni & veri deriventur, videatur supra n. 116 ad 131. Quod Christianus per Conjugium polygamicum prophanaret Verbum & Ecclesiam, est quia Verbum in se spectatum est Conjugium boni & veri, & Ecclesia similiter, quantum hæc est ex Verbo; videatur supra n. 128 ad 131. Nunc, quoniam homo Christianus, quia Dominum novit, Verbum habet, & Ecclesia illi est a Domino per Verbum, patet quod illi præ homine non Christiano facultas sit, ut possit regenerari, & sic fieri spiritualis, & quoque consequi amorem vere conjugialem, nam cohærent. Quoniam illi ex Christianis, qui plures uxores ducunt, non modo adulterium naturale, sed etiam simul adulterium spirituale committunt, sequitur quod damnatio polygamorum Christianorum post mortem gravior sit damnatione illorum, qui modo adulterium naturale committunt; ad interrogationem de statu illorum post mortem, audivi responsum, quod Cælum pro illis prorsus occlusum sit; & quod appareant in Inferno sicut jacentes in aqua calida balnei in receptaculo, & quod ita appareant e longinquo, tametsi stant super pedibus, & ambulant; & quod illud sit illis ex intestina vecordia; & quod aliqui ex talibus projecti sint in voragines, quæ in terminis Mundorum sunt.

 340. VII.

340. VII: QUOD GENTI ISRAELITICÆ, PERMISSUM FUERIT PLURES UXORES DUCERE, QUIA APUD ILLAM NON ECCLESIA CHRISTIANA FUIT, ET INDE NEC DABILIS AMOR VERE CONJUGIALIS. Dantur hodie, qui de Institutione de Conjugiis monogamicis, seu unius viri cum una uxore, cogitant ambiguum, & apud se litigant ratione, opinantes, quod quia Polygamica conjugia Genti Israeliticæ, & ejus Regibus, ac Davidi & Salomoni, aperte permissa fuerunt, in se etiam forent permissibilia Christianis; sed illi non aliquid distincte sciunt de Gente Israelitica & de Christiana, nec de Ecclesiæ externis & internis, neque de mutatione Ecclesiæ a Domino ab Externa in Internam; consequenter non aliquid ex interiori judicio de Conjugiis. In genere tenendum est, quod homo natus sit naturalis ut fiat spiritualis, & quod quamdiu manet naturalis, sicut in nocte & sicut in somno de spiritualibus sit, & quod tunc ne quidem sciat discrimen inter hominem Externum naturalem ac Internum spiritualem. Quod apud Gentem Israeliticam non fuerit Ecclesia Christiana, notum est ex Verbo; exspectaverunt enim Messiam, sicut adhuc exspectant, qui illos super omnes gentes & populos in Mundo, exaltaret; quare si illis dictum fuisset, & adhuc diceretur, quod Regnum Messiæ sit super Cælos & inde super omnes gentes, illud retulissent inter nugas; inde erat, quod Christum seu Messiam, Dominum nostrum, dum in Mundum advenit, non modo non agnoverint, sed etiam e Mundo atrociter sustulerint; ex his constat, quod apud illam Gentem non fuerit Ecclesia Christiana, sicut nec hodie est; & illi apud quos non Ecclesia Christiana est, sunt naturales externi & interni; & his non obest Polygamia, est enim illa inscripta naturali homini; hic enim de amore in conjugiis non alia percipit, quam quæ libidinis sunt; hoc intelligitur per hæc a Domino „*Quod Moses ob* DURITIEM CORDIS ILLORUM *permiserit dimittere uxores*; *sed quod ab initio non ita fuerit*, Matth. XIX: 8; dicit quod Moses permiserit, ut sciatur quod non Dominus. Quod autem Dominus docuerit Internum spiritualem hominem, notum est ex præceptis Ipsius, & ex abrogatione Ritualium, quæ solummodo pro usu inserviverunt Naturali homini; ex præceptis Ipsius de Lavatione, quod sit purificatio Interni hominis, Matth. XV: 1. 17 ad 20. Cap. XXIII: 25. 26. Marc. VII: 14 ad 23: de Adulterio, quod sit cupiditas voluntatis, Matth. V: 28; de Dimissione uxorum, quod sit illicita; & de Polygamia, quod sit Legi Divinæ non consentanea, Matth. XIX: 3 ad 9: hæc & plura quæ Interni & spiritualis hominis sunt, docuit Dominus, quia Solus aperit interna Mentium humanarum, ac facit illa spiritualia, & hæc indit naturalibus, ut hæc etiam spiritualem essentiam ducant; quod etiam fit, si Ipse aditur, ac vivitur secundum præcepta Ipsius, quæ in summa sunt, credere in Ipsum, ac fugere mala quia diaboli sunt & a diabolo, tum facere bona, quia Domini sunt & a Domino, & hæc & illa facere sicut a se, & simul credere, quod fiant a Domino per illum. Ipsa causa, quod Solus Dominus aperiat Internum spiritualem hominem, ac indat hunc Externo naturali homini, est, quia omnis homo naturaliter cogitat, & naturaliter agit, & ideo non potest aliquid spirituale percipere, & illud in suo naturali recipere, nisi Deus Humanum Naturale assumserit, & Hoc etiam

am Divinum fecerit. Ex his nunc constat veritas, quod Genti Israeliticæ permissum fuerit plures uxores ducere, quia apud illam non fuit Ecclesia Christiana.

341. VIII: QUOD HODIE MAHUMEDANIS PERMISSUM SIT PLURES UXORES DUCERE, QUIA NON AGNOSCUNT DOMINUM JESUM CHRISTUM UNUM CUM JEHOVAH PATRE, ET SIC PRO DEO CÆLI ET TERRÆ, ET INDE NON POSSUNT AMOREM VERE CONJUGIALEM RECIPERE. Mahumedani ex Religione a Mahumede tradita, agnoscunt Jesum Christum pro Filio Dei, & Maximo Propheta, & quod a Deo Patre in Mundum missus sit ad docendum homines, non autem quod Deus Pater & Ipse unum sint, & quod Divinum & Humanum Ipsius sint una Persona, unita sicut anima & corpus, secundum, fidem omnium Christianorum ex Confessione Athanasiana; ideo Mahumedis consectarii non potuerunt agnoscere Dominum nostrum pro aliquo Deo ab æterno, sed modo pro homine perfecto naturali; & quia ita opinatus est Mahumedes, & inde discipuli asseclæ Ipsius ita opinantur, & quia noverunt, quod Deus unus sit, & quod Ille Deus sit Qui creavit Universum, ideo non potuerunt aliter quam præterire Ipsum in suo cultu, & eo plus, quia etiam Mahumedem pro Maximo Propheta declarant; nec sciunt quid Dominus docuit. Ex hac causa est, quod illorum mentis interiora, quæ in se sunt spiritualia, non potuerint aperiri; quæ quod a Solo Domino aperiantur, videatur mox supra n. 340. Quod a Domino aperiantur, cum agnoscitur pro Deo Cæli & Terræ & aditur, & apud illos qui secundum præcepta Ipsius vivunt, est genuina causa, quia alioquin non est conjunctio, & absque conjunctione non est receptio: apud hominem est præsentia Domini, & conjunctio cum Ipso; adire Ipsum facit præsentiam, & vivere secundum præcepta Ipsius, facit conjunctionem; ac sola præsentia Ipsius est absque receptione, at præsentia & simul conjunctio est cum receptione. De his e Mundo spirituali hoc novum referam; ibi quisque sistitur præsens ex cogitatione de illo, sed non aliquis conjungitur alteri, nisi ex affectione amoris, & affectio amoris insinuatur per facere dicta & placita ejus; hoc familiare in Mundo spirituali ducit originem ex Domino, quod ita præsens sit ac ita conjunctus. Hæc dicta sunt, ut sciatur cur Mahumedanis permissum sit plures uxores ducere, & quod sit, quoniam amor vere conjugialis, qui solum est inter unum virum & unam uxorem, non dabilis fuit, quia Dominum ex Religione non agnoverunt æqualem Deo Patri, & sic pro Deo cæli & Terræ: quod amor conjugialis apud unumquemvis sit secundum statum Ecclesiæ, videatur supra n 130, & pluries in antecedentibus.

342. IX. QUOD CÆLUM MAHUMEDANUM SIT EXTRA CÆLUM CHRISTIANUM, ET QUOD ILLUD IN DUOS CÆLOS, INFERIUS ET SUPERIUS, SIT DIVISUM; ET QUOD NON ALII IN CÆLUM ILLORUM SUPERIUS ELEVENTUR, QUAM QUI ABDICANT PELLICES, ET VIVUNT CUM UNA UXORE, ET AGNOSCUNT DOMINUM NOSTRUM ÆQUALEM DEO PATRI, CUI DOMINIUM SUPER CÆLUM ET TERRAM DATUM EST. Antequam de his aliquid singulariter dicitur, interest ut aliqua de Divina Domini Providentia circa ortum Religionis Mahumedanæ præmittantur. Quod hæc Religio recepta sit a pluribus Regnis, quam Religio Christia-

na, potest scandalo esse illis, qui de Divina Providentia cogitant, & simul credunt, quod non aliquis salvari possit, nisi qui Christianus natus est; at Religio Mahumedana non est scandalum illis, qui credunt, quod omnia sint Divinæ Providentiæ; hi inquirunt, in quo est, & quoque inveniunt. Est in eo, quod Mahumedana Religio agnoscat Dominum nostrum pro Filio Dei, Sapientissimo hominum, proque Maximo Propheta, qui in Mundum venit ut doceret homines; at quia Alcoranum modo Librum religionis suæ fecerunt, & inde Mahumedes, qui illum conscripsit, cogitationibus illorum insedit, & aliquo cultu illum persequuntur, ideo parum de Domino nostro cogitant. Ut plene sciatur, quod illa Religio ex Divina Domini Providentia exsuscitata sit, ad delendum idololatrias plurium gentium, in aliquo ordine dicetur; quare primum de origine Idololatriarum. Ante illam Religionem fuit Cultus idolorum in toto terrarum Orbe; causa fuit, quia Ecclesiæ ante Adventum Domini, fuerunt omnes Ecclesiæ Repræsentativæ; talis etiam fuit Ecclesia Israelitica, ibi Tabernaculum, Vestes Aharonis, Sacrificia, omnia Templi Hierosolymitani, & quoque Statuta repræsentabant: & apud Antiquos fuit scientia Correspondentiarum, quæ etiam est Repræsentationum, ipsa Scientia sapientum, imprimis exculta ab Ægyptiis, inde horum Hieroglyphica. Ex illa Scientia sciverunt, quid significabant omnis generis Animalia, tum quid omnis generis Arbores, ut & quid Montes, Colles, Fluvii, Fontes, ut & quid Sol, Luna, & Stellæ; per illam scientiam fuit illis etiam cognitio spiritualium, quoniam illa, quæ repræsentabantur, quæ fuerunt talia quæ sapientiæ spiritualis sunt apud Angelos, erant origines: nunc quia omnis Cultus illorum erat Repræsentativus, consistens ex meris Correspondentiis, ideo super montibus & collibus, & quoque in lucis & hortis, habuerunt Cultus; & ideo Fontes sanctificabant, & ad Solem Orientem in adorationibus converterunt facies; & insuper sculptiles equos, boves, vitulos, agnos, imo aves, pisces, serpentes, fecerunt; & hos posuerunt domi, & alibi, in ordine secundum spiritualia Ecclesiæ, quibus correspondebant, seu quæ repræsentabant: similia etiam posuerunt in suis Templis, ut in reminiscentiam revocarent Sancta cultus, quæ significabant. Post tempus, quando Scientia correspondentiarum obliterata fuit, cœpit Posteritas colere ipsa sculptilia ut in se sancta, nescientes quod Antiqui Parentes illorum non viderint aliquid sancti in illis, sed solum quod secundum correspondentias repræsentarent, & inde significarent sancta. Ex his ortæ sunt Idololatriæ, quæ impleverunt totum terrarum Orbem, tam Asiaticum cum Insulis circum, quam Africanum, & Europæum. Ut omnes illæ Idololatriæ exstirparentur, ex Divina Domini Providentia factum est, ut nova Religio geniis Orientalium accommodata auspicaretur; in qua aliquid ex utroque Testamento Verbi foret, & quæ doceret quod Dominus in Mundum venerit, & quod Ille esset maximus Propheta, Sapientissimus omnium, & Filius Dei: hoc factum est per Mahumedem, ex quo Religio illa vocata est. Ex his patet, quod hæc Religio ex Divina Domini Providentia, exsuscitata sit, ac geniis Orientalium, ut dictum est, accommodata, ob finem, ut deleret Idololatrias tot gentium, ac daret aliquam cognitionem

de Domino, antequam in Mundum ſpiritualem, quod fit poſt cujuſvis mortem, venirent; quæ Religio non recepta fuiſſet a tot Regnis, & potuiſſet idololatrias illorum exſtirpare, niſi conveniens ideis illorum facta ſit; imprimis niſi Polygamia permiſſa fuiſſet; etiam ex cauſa, quia Orientales, abſque illa permiſſione præ Europæis flagraviſſent in ſpurca adulteria, & periiſſent.

343. Quod Mahumedanis etiam Cœlum ſit, eſt quia omnes in Univerſo terrarum Orbe, qui agnoſcunt Deum, & ex Religione fugiunt mala ut peccata contra Ipſum, ſalvantur. Quod Mahumedanum Cælum in duos, inferius & ſuperius, diſtinctum ſit, ab ipſis audivi; & quod in inferiori Cælo vivant cum pluribus tam uxoribus quam pellicibus ſicut in Mundo, at quod illi qui abdicant pellices, & cum una uxore vivunt, in cælum ſuperius eleventur: audivi etiam quod illis impoſſibile ſit cogitare Dominum noſtrum unum cum Deo Patre, ſed quod illis poſſibile ſit cogitare Ipſum æqualem, tum quod Ipſi datum ſit dominium ſuper Cælum & Terram, quia Filius Ipſius eſt; quare hæc fides apud illos eſt, quibus aſcenſus in ſuperius Cælum a Domino datur.

344. Quondam datum eſt mihi percipere, qualis eſt calor amoris conjugialis polygamorum; loquutus ſum cum uno, qui vicem Mahumedis obivit; ipſe Mahumedes nuſquam adeſt, ſed vicarius loco ejus ſubſtitutus eſt, ob finem ut recentes e Mundo ſicut videant illum; vicarius ille poſt aliquam loquelam e longinquo cum illo, tranſmiſit ad me cochleare ebenum, & alia, quæ erant indicia quod ab illo; & ſimul tunc aperta eſt communicatio pro calore amoris conjugialis illorum ibi; & ille a me perceptus eſt ſicut calidum balnei fætidum; quo ſentito averti me, & aditus communicativus occluſus eſt.

345. X: Quod Polygamia sit lascivia, eſt quia ejus amor eſt diviſus inter plures, & eſt amor ſexus, eſtque amor externi ſeu naturalis hominis, & ſic non eſt amor conjugialis, qui unice datur caſtus. Quod amor polygamicus ſit amor diviſus inter plures, notum eſt; ac amor diviſus non eſt amor conjugialis, eſt enim hic amor ab una e ſexu non dividuus, inde ille amor eſt laſcivus, & Polygamia eſt laſcivia. Quod Amor polygamicus ſit amor ſexus, eſt quia ab hoc differt ſolumodo, quod ſit limitatus ad numerum, quem Polygamus poteſt adſciſcere; & quod adſtrictus ſit ad quaſdam leges propter Bonum publicum latas; tum quod liceat ſuperinducere pellices uxoribus; & ſic quia eſt amor ſexus, eſt amor laſciviæ. Quod amor polygamicus ſit amor externi ſeu naturalis hominis, eſt quia illi homini inſcriptus eſt; & quicquid naturalis homo ex ſe agit, eſt malum, a quo non educitur niſi per elevationem in internum ſpiritualem hominem, quod fit ſolum a Domino; ac malum ſpectans ſexum, quod naturali homini ineſt, eſt ſcortatio; at quia hæc peſſumdat Societatem, loco ſcortationis inducta eſt ſimilitudo ejus, quæ vocatur polygamia: omne malum, in quod homo ex parentibus naſcitur, naturali ejus homini implantatur, non autem aliquid Spirituali homini, quia in hunc naſcitur a Domino. Ex allatis & quoque ex pluribus aliis rationibus evidenter videri poteſt, quod Polygamia ſit laſcivia.

346. XI: QUOD APUD POLYGAMOS NON DABILIS SIT CONJUGIALIS CASTITAS, PURITAS, ET SANCTITAS. Hoc ſequitur ex mox ſupra confirmatis, ac manifeſte ex illis, quæ in Capite de CASTO ET NON CASTO, demonſtrata ſunt; imprimis ex his ibi, Quod caſtum, purum, & ſanctum, modo prædicentur de Conjugiis monogamicis, ſeu unius viri cum una uxore, n. 141; tum, Quod amor vere conjugialis ſit ipſa caſtitas, & quod inde omnes delitiæ amoris illius, etiam ultimæ, ſint caſtæ, n. 143. 144. Et præterea ex illis, quæ in Capite de AMORE VERE CONJUGIALI, adducta ſunt, ut ab his ibi; Quod Amor vere conjugialis, qui eſt unius viri cum una uxore, en origine ſua, & ex correſpondentia ſua, ſit cæleſtis, ſpiritualis, ſanctus, mundus præ omni omore, n. 64. *ſeqq.* Nunc, quia caſtitas, puritas, & ſanctitas ſolummodo datur in amore vere conjugiali, ſequitur quod non detur nec dabilis ſit in amore polygamico.

347. XII: QUOD POLYGAMUS, QUAMDIU MANET POLYGAMUS, NON FIERI POSSIT SPIRITUALIS; fieri ſpiritualis eſt elevari e naturali, hoc eſt, e luce & calore mundi in lucem & calorem cæli; de hac elevatione non ſcit aliquis, niſi qui elevatus eſt; attamen naturalis homo non elevatus uſque non percipit aliter quam quod elevatus ſit, cauſa eſt, quia æque ut ſpiritualis homo, poteſt elevare intellectum ſuum in lucem cæli, ac ſpiritualiter cogitare & loqui, ſicut naturalis; at ſi non ſimul voluntas intellectum in altitudinem illam ſequitur, uſque non elevatus eſt; non enim ſtat in elevatione illa, ſed poſt momenta demittit ſe ad voluntatem ſuam, ac ibi ſtationem ſuam firmat: dicitur voluntas, ac intelligitur ſimul amor, quia voluntas eſt receptaculum amoris, quod enim homo amat, hoc vult. Ex his paucis conſtare poteſt, quod polygamus quamdiu manet polygamus, ſeu quod idem eſt, quod naturalis homo quamdiu manet naturalis, non fieri poſſit ſpiritualis.

348. XIII: QUOD POLYGAMIA NON SIT PECCATUM, APUD QUOS ILLA EST EX RELIGIONE. Omne id, quod contra Religionem eſt, creditur eſſe peccatum, quia contra Deum; & viciſſim, omne id quod cum Religione eſt, creditur non eſſe peccatum, quia cum Deo; & quia Polygamia apud filios Iſraelis fuit ex Religione, & ſimiliter hodie apud Mahumedanos, non potuit nec poteſt illa imputari eis ut peccatum. Inſuper ne illa ſit eis peccatum, manent naturales, & non fiunt ſpirituales; & naturalis homo non poteſt videre, quod aliquid peccati inſit talibus quæ receptæ religionis ſunt, hoc ſolum videt homo ſpiritualis: propter illam cauſam eſt, quod tametſi ex Alcorano agnoſcunt Dominum noſtrum pro Filio Dei, uſque non adeant Ipſum, ſed Mahumedem; & tamdiu manent naturales, & inde non ſciunt, quod aliquid mali, ne quidem quod aliquid laſciviæ, inſit Polygamiæ; dicit etiam Dominus "*Si cæci eſſetis, non haberetis peccatum; jam vero dicitis quod videtis, ideo peccatum veſtrum manet*, Joh. IX: 41. Quoniam Polygamia non arguere illos poteſt de peccato, ideo poſt mortem illis ſui Cæli ſunt, n. 342; & ibi fruuntur gaudiis ſecundum vitam

349. XIV: QUOD POLYGAMIA NON SIT PECCATUM APUD ILLOS, QUI IN IGNO-

IGNORANTIA SUNT DE DOMINO. Causa est, quia a Solo Domino est Amor vere conjugialis, & hic a Domino non aliis dari potest, quam qui sciunt Ipsum, agnoscunt Ipsum, credunt in Ipsum, & vivunt vitam quæ ab Ipso est; & illi, quibus ille amor non dari potest, non sciunt aliter quam quod amor sexus & amor conjugialis unum sint; consequenter etiam polygamia: accedit, quod Polygami, qui nihil sciunt de Domino, maneant naturales; homo enim fit spiritualis unice a Domino, & homini naturali non imputatur peccatum id, quod secundum Religionis & simul Societatis leges est; is etiam secundum suam rationem agit, & ratio naturalis hominis in mera caligine est de Amore vere conjugiali, & hic amor in excellentia est spiritualis: at usque ratio illorum ab experientia docetur, quod pacis publicæ & privatæ sit, ut promiscua libido in communi restringatur, & cuivis intra domum suam relinquatur; inde Polygamia.

350. Notum est, quod homo nascatur vilior bestiæ; omnes bestiæ nascuntur in scientias amori suæ vitæ correspondentes; ut primum enim ex utero cadunt, vel ex ovo excluduntur, vident, audiunt, gradiuntur, norunt suas escas, suam matrem, suos amicos & inimicos, & non diu post, norunt sexum, & sciunt amare, & quoque educare proles: solus homo cum natus est, nihil tale scit, nihil enim scientiæ illi connatum est, modo est facultas & inclinatio recipiendi illa quæ scientiæ & amoris sunt; & si hæc ab aliis non recipit, manet vilior bestia: quod homo talis nascatur propter finem, ut nihil sibi tribuat, sed aliis, & tandem omne sapientiæ & ejus amoris Soli Deo, ac ut inde possit imago Dei fieri, videatur MEMORABILE, n. 132 ad 136. Ex his sequitur, quod homo, qui non per alios scit, quod Dominus in Mundum venerit, & quod sit Deus, & modo hausit aliquas cognitiones de Religione, & de legibus suæ regionis, non in culpa sit, si non plus cogitat de Amore conjugiali, quam de amore sexus, & quod credat amorem polygamicum esse solum conjugialem: hos Dominus in illorum ignorantia ducit, & Divino Auspicio providenter ab imputatione reatus abducit illos, qui ex religione fugiunt mala ut peccata, propter finem ut salventur; unusquisque enim homo nascitur ad cælum, & nullus ad infernum; & quisque in Cælum venit a Domino, & in infernum a se.

351. XV: QUOD EX HIS ILLI, TAMETSI POLYGAMI, SALVENTUR, QUI AGNOSCUNT DEUM, ET EX RELIGIONE VIVUNT SECUNDUM LEGES JUSTITIÆ CIVILES. Omnes in Universo terrarum Orbe, qui agnoscunt Deum, & vivunt secundum leges justitiæ civiles ex religione, salvantur: per leges justitiæ civiles, intelliguntur præcepta, qualia sunt in Decalogo, quæ sunt, quod non occidendum, non mæchandum, non furandum, non false testandum; hæc præcepta sunt leges justitiæ civiles in omnibus Regnis terræ, nam sine illis Regnum non subsisteret. Sed vivuntur a quibusdam ex timore pænarum legis, a quibusdam ex obedientia civili, a quibusdam etiam ex religione, & illi, a quibus vivuntur etiam ex religione, salvantur; causa est, quia tunc Deus in illis est, & homo, in quo est Deus, salvatur. Quis non videt, quod apud filios Israelis, postquam ex Ægypto profecti sunt, inter Leges illorum fuerint, quod non occidendum sit, non mæ-

chandum, non furandum, non falſe teſtandum, quoniam communio ſeu ſocietas illorum abſque illis legibus non potuiſſet ſubſiſtere; & tamen eædem Leges a Jehovah Deo ſuper monte Sinai cum ſtupendo Miraculo promulgatæ ſunt; ſed cauſa promulgationis illarum fuit, ut eædem Leges fierent etiam leges religionis, & ſic quod facerent illas non ſolum propter Societatis bonum, ſed etiam propter Deum, & quod cum facerent illas ex religione propter Deum, ſalvarentur. Ex his conſtare poteſt, quod Pagani, qui agnoſcunt Deum, & vivunt ſecundum leges juſtitiæ civiles, ſalventur; non enim illorum culpa eſt, quod non ſciant aliquid de Domino, conſequenter non aliquid de caſtitate conjugii cum una uxore: nam contra Divinam Juſtitiam eſt, quod qui agnoſcunt Deum, ac vivunt ex religione leges juſtitiæ, quæ ſunt fugere mala quia contra Deum ſunt, & facere bona quia cum Deo ſunt, condemnentur.

352. XVI: Sed quod nulli ex his et illis consociari possint cum Angelis in Christianis Cælis. Cauſa eſt, quia in Cælis Chriſtianis eſt Lux cæleſtis, quæ eſt Divina Veritas, & eſt Calor cæleſtis qui eſt Divinus Amor; & illa duo detegunt, qualia ſunt vera & bona, tum qualia ſunt mala & falſa; inde eſt, quod inter Cælos Chriſtianos & inter Cælos Mahumedanos omnis communicatio ſublata ſit; ſimiliter inter gentilium Cælos; ſi communicatio foret, non ſalvari potuiſſent alii, quam qui in luce cæleſti & ſimul in calore cæleſti a Domino eſſent; imo nec hi ſalvarentur, ſi conjunctio Cælorum foret; ex conjunctione enim omnes Cæli labefactarentur in tantum, ut Angeli non potuiſſent ſubſiſtere; e Mahumedanis enim incaſtum & laſcivum influeret in Chriſtianum Cælum, quod ibi non ſufferri poſſet; & a Chriſtianis influeret caſtum & purum in Mahumedanum Cælum, quod nec ibi ſufferri poſſet; & tunc ex communicatione & inde conjunctione, Angeli Chriſtiani fierent naturales & ſic adulteri, vel ſi manerent ſpirituales, circum ſe continue ſentirent laſcivum, quod omne beatum vitæ illorum interciperet; parile quid fieret cum Cælo Mahumedano, ſpiritualia enim Cæli Chriſtiani continue ambirent & torquerent illos, ac omne jucundum vitæ illorum auferrent, ac inſuper inſinuarent, quod polygamia eſſet peccatum, & ſic jugi increparentur. Hæc cauſa eſt, quod omnes Cæli ſint prorſus diſtincti, ut non detur inter illos conjunctio, quam per influxum lucis & caloris a Domino e Sole, in cujus medio eſt; & hic influxus quemlibet illuſtrat & vivificat ſecundum receptionem, & receptio eſt ſecundum religionem; hæc communicatio datur, ſed non Cælorum inter ſe.

❀ ❀ ❀ ❀ ❀ ❀ ❀

353. His adjiciam duo Memorabilia; Primum hoc. Quondam fui in medio Angelorum, & audivi ſermonem illorum, ſermo erat de Intelligentia & Sapientia, quod homo non percipiat aliter, quam quod utraque ſit in ſe, & ſic quod quicquid cogitat ex intellectu & intendit ex voluntate, ſit ex ſe; cum tamen ne hilum ejus ex homine eſt, præter quam facultas recipiendi illa.

la, quæ intellectus & voluntatis sunt, a Deo; & quia omnis homo ex nativitate inclinat ad amandum se, ne homo ex amore sui, & ex fastu propriæ intelligentiæ pereat, a creatione provisum est, ut ille Amor viri transcriptus sit in uxorem, & huic a nativitate implantatum sit ut amet intelligentiam & sapientiam sui viri, & sic virum; quare uxor continue attrahit fastum propriæ intelligentiæ sui viri ad se, ac exstinguit illum apud illum, & vivificat illum apud se, & sic vertit illum in amorem conjugialem, ac implet illum amœnitatibus supra modum; hoc provisum est a Domino, ne fastus propriæ intelligentiæ infatuet virum usque adeo, ut credat se intelligere & sapere ex se, & non a Domino, & sic velit edere ex arbore scientiæ boni & mali, & inde se credere similem Deo, & quoque Deum, sicut serpens, qui erat amor propriæ intelligentiæ, dixit & persuasit; quare homo post esum ejectus est e Paradiso, & per Cherubum custodita est via ad Arborem vitæ: Paradisus spiritualiter est Intelligentia; Edere ex Arbore vitæ spiritualiter est intelligere & sapere ex Domino; ac Edere ex arbore scientiæ boni & mali spiritualiter est intelligere & sapere ex se.

354. Angeli hoc sermone finito abiverunt, & venerunt bini Sacerdotes una cum Viro, qui in Mundo fuerat Legatus Regni, & illis retuli quæ audiveram ex Angelis; quibus auditis, cæperunt inter se disceptare de Intelligentia & Sapientia, & inde Prudentia, num sint a Deo, vel num ab homine; ardens erat disceptatio; Tres illi corde crediderunt similiter, quod sint ab homine quia in homine, & quod ipsa perceptio & sensatio quod ita sit, id confirment; sed Sacerdotes, qui tunc erant in Zelo Theologico, dicebant, quod nihil intelligentiæ & sapientiæ, & sic nihil prudentiæ, sit ab homine; at cum Legatus regerebat, quod sic nec aliquid cogitationis, dicebant quod non aliquid: at quia perceptum est in Cælo, quod Tres illi in simili fide essent, dictum est Legato Regni, indue vestes sacerdotis, & crede te sacerdotem esse, & tunc loquere, ac induit & credidit; & tunc alte loquutus est, quod nihil intelligentiæ & sapientiæ, & inde nihil prudentiæ usquam dari possit nisi a Deo, ac sueto eloquio argumentis rationalibus pleno id demonstravit; peculiare est in Mundo Spirituali, quod spiritus cogitet se talem esse, qualis super illum est vestis, causa est, quia Intellectus vestit unumquemvis ibi. Postea e Cælo binis illis Sacerdotibus etiam dictum est, exuite vestes vestras, ac induite vestes Ministrorum Politicorum, & credite quod illi sitis; ac fecerunt ita, & tunc simul cogitaverunt ex interiori se, & loquuti ex argumentis, quæ intus foverant pro Intelligentia propria. Eo momento apparuit Arbor circa viam, & dicebatur illis, est Arbor scientiæ boni & mali, cavete vobis ne edatis ab illa; at usque tres illi infatuati propria intelligentia arserunt cupiditate edendi ex illa, & dicebant inter se, cur non, estne bonus fructus, & accesserunt & ederunt: actutum tunc, tres illi, quia in simili fide fuerunt, amici cordis facti sunt, & viam propriæ intelligentiæ, quæ in Infernum tetendit, simul iniverunt; sed usque hos vidi reduces inde, quia nondum erant præparati.

355. Alterum Memorabile. Quondam cum prospexi in Mundum Spirituum, vidi in quodam Prato viros indutos vestibus similibus, quibus homines

Mundi, ex quo cognovi, quod nuper e Mundo advenerint: accessi ad illos, & steti ad latus, ut auscultarem, quid inter se loquerentur; loquebantur de Cælo; & unus inter illos, qui aliquid de Cælo novit, dixit, quod ibi sint Mirabilia, quæ nusquam ab aliquo credi possunt, nisi viderit; ut quod sint Horti paradisiaci, Palatia magnifica constructa architectonice quia ab ipsa arte, splendentia sicut ex auro, ante quæ Columnæ ex Argento, super quibus Formæ cælestes ex lapidibus pretiosis; & quoque Domus ex jaspide & sapphiro, ante quas Porticus augusti per quos inrrant Angeli; ac intus in domibus Decoramenta, quæ neque arte, neque voce, exprimi possunt. Quod ipsos Angelos attinet, sunt ex utroque sexu, sunt Juvenes & Mariti, & sunt Virgines & Uxores; Virgines tam pulchræ, ut non detur instar talis pulchritudinis in Mundo; at Uxores adhuc pulchriores, quæ apparent sicut genuinæ effigies Amoris cælestis, ac Mariti illarum sicut effigies sapientiæ cælestis; & omnes hi sunt adolescentes juvenes; & quod plus est, non scitur ibi quid alius amor sexus quam amor conjugialis; & quod miraturi estis, est Maritis perpetua facultas delitiandi. Novitii illi Spiritus, cum audiverunt, quod non alius amor sexus ibi esset quam Amor conjugialis, & quod illis perpetua facultas delitiandi esset, riserunt inter se, & dixerunt, loqueris incredibilia, talis facultas non dabilis est, narras forte fabulas. Sed tunc quidam Angelus e Cælo inopinato stetit in medio illorum, & dixit, audite me quæso; sum Angelus Cæli, & cum Uxore mea vixi nunc mille annis, & per illos in simili flore ætatis, in quo vos me hic videtis; est mihi hoc ex Amore conjugiali cum uxore mea; & possum asseverare, quod mihi perpetua illa facultas fuerit & sit; & quia percipio quod vos credatis hoc non dabile esse, loquar de hac re cum vobis ex rationibus secundum lucem intellectus vestri: non scitis aliquid de statu primævo hominis, qui a vobis vocatur status integritatis; in illo statu fuerunt omnia interiora mentis aperta usque ad Dominum, & inde illa in Conjugio amoris & sapientiæ, seu boni & veri; & quia bonum amoris & verum sapientiæ se perpetuo amant, & perpetuo volunt uniri; & cum aperta sunt interiora mentis, ille conjugialis spiritualis amor cum suo perpetua nisu libere defluit, & sistit illam facultatem. Ipsa anima hominis, quia est in conjugio boni & veri, non modo in perpetuo nisu unitionis illius est, sed etiam in perpetuo nisu fructificationis & productionis suæ similitudinis, & cum interiora hominis usque ab anima ex illo conjugio patula sunt, ac interiora continue spectant effectum in ultimis ut finem ut existant, inde perpetuus ille nisus fructificandi & producendi sui instar, qui est animæ, fit corporis; & quia ultimum operationis animæ in corpore apud duos conjuges est in ultima amoris ibi, & hæc a statu animæ pendent, patet unde est hoc perpetuum illis. Quod etiam sit perpetua fructificatio, est quia Universalis sphæra generandi & propagandi cælestia quæ amoris sunt, & spiritualia quæ sapientiæ, & inde naturalia quæ sunt prolum, procedit a Domino, & implet universum Cælum & Universum Mundum, & Sphæra illa cælestis implet animas omnium hominum, & descendit per mentes illorum in corpus usque ad ultima ejus, & dat vim generandi: sed hæc non potest dari aliis, quam apud quos patet transitus

ab

ab anima per mentis ſuperiora & inferiora in corpus ad ejus ultima, quod fit apud illos, qui in ſtatum primævum creationis ſe patiuntur reduci a Domino: aſſeverare poſſum, quod mihi nunc per mille annos nuſquam defuerit facultas, nec vis, nec virtus, & quod prorſus non ſciverim aliquid de diminutione virium, quoniam hæ per continuum influxum Sphæræ ſupradictæ univerſalis continue novantur, & tunc quoque lætificant animum, & non contriſtant ſicut apud illos, qui patiuntur jacturam illarum. Præterea Amor vere conjugialis eſt prorſus ſicut Calor vernalis, ex cujus influxu omnia ſpirant ad germinationes & fructificationes; nec alius Calor in Cælo noſtro eſt; quare apud Conjuges ibi eſt Vernum in perpetuo ſuo conatu, & hic perpetuus conatus eſt, a quo illa virtus eſt. Sed fructificationes apud nos in Cælis, ſunt aliæ quam apud illos in terris; apud nos ſunt fructificationes ſpirituales, quæ ſunt amoris & ſapientiæ, ſeu boni & veri; Uxor ex ſapientia Mariti recipit in ſe amorem ejus, & Maritus ex amore ejus in Uxore recipit in ſe ſapientiam, imo Uxor actualiter formatur in amorem ſapientiæ Mariti, quod fit per receptiones propagationum animæ ejus cum delitio oriundo ex eo, quod velit eſſe ſapientiæ ſui Mariti amor; ita fit illa a Virgine Uxor, & ſimilitudo; inde etiam amor cum intima ſua amicitia apud uxorem, ac ſapientia cum ſua felicitate apud Maritum perenniter creſcit, & hoc in æternum; hic eſt Status Angelorum Cæli. Cum Angelus hæc loquutus eſt, aſpexit illos qui nuper e Mundo venerunt, & dixit illis, noſtis quod vos dum in virtute amoris fuiſtis, amaveritis conjuges veſtras, & quod poſt delitium averteritis vos; ſed non noſtis, quod nos in Cælo non amemus conjuges ex virtute illa, ſed quod virtus nobis ſit ex amore, & quod quia perpetuo amamus conjuges, perpetuum nobis illud ſit: quare ſi poteſtis invertere ſtatum, poteſtis hoc comprehendere; annon qui perpetuo amat conjugem, tota mente & toto corpore amat illam, amor enim vertit omnia mentis & omnia corporis ad id quod amat, & quia id reciproce fit, conjungit illos ita ut fiant ſicut unum. Ulterius dixit, non loquar vobis de Amore conjugiali a creatione inſito maſculis & fæminis, & de inclinatione illorum ad legitimam conjunctionem, nec de facultate prolificandi in Maſculis, quæ unum facit cum facultate multiplicandi ſapientiam ex amore veri; & quod quantum homo amat ſapientiam ex amore ejus, ſeu verum ex bono, tantum ſit in amore vere conjugiali & in ejus comite virtute.

356. His dictis tacuit Angelus, & Novitii advenæ ex ſpiritu loquelæ Angeli comprehendebant, quod perpetua facultas delitiandi dabilis ſit; & quia id lætificabat animos illorum, dicebant, oh quam felix ſtatus eſt Angelorum; percipimus quod vos in Cælis in æternum permaneatis in ſtatu adoleſcentiæ, & inde in virtute ætatis illius; ſed dic nobis quomodo nos illa virtute etiam potituri ſimus; & reſpondit Angelus fugite Adulteria ut infernalia, & adite Dominum, & habebitis; & dixerunt, fugiemus illa ita, & adibimus Dominum; ſed reſpondit Angelus, non poteſtis fugere adulteria ut mala infernalia, niſi fugeritis reliqua mala ſimiliter, quia adulteria ſunt complexus omnium, & niſi illa fugeritis, non poteſtis adire Dominum, Dominus non recipit illos. Poſt hæc receſſit Angelus, ac novi illi ſpiritus abiverunt triſtes.

DE ZELOTYPIA.

357. Agitur hic de Zelotypia, quia etiam pertinet ad Amorem conjugialem; sed datur Zelotypia justa & injusta; Zelotypia justa apud conjuges, qui se mutuo amant, apud hos est illa justus & prudens Zelus, ne amor illorum conjugialis violetur, & inde justus dolor si violatur; at Zelotypia injusta datur apud illos, qui ex natura suspiciosi sunt, & quibus ex viscoso & biliosa sanguine est ægritudo mentis. Præterea, omnis zelotypia a quibusdam censetur ut vitium; quod imprimis fit a scortatoribus, qui in zelotypiam justam etiam vituperia conjiciunt: derivatur usque Zelotypia ex ZELI TYPO, ac datur typus seu imago zeli justi & zeli injusti; sed discrimina illa in nunc sequentibus evolventur; quod fiet in hac serie: I. *Quod Zelus in se spectatus sit sicut ignis amoris flagrans:* II. *Quod flagratio seu flamma illius amoris, quæ est zelus, sit flagratio seu flamma spiritualis, oriunda ex infestatione & impugnatione amoris.* III. *Quod Zelus homini sit, qualis est ejus amor, ita alius cui amor bonus est, & alius cui amor malus.* IV. *Quod zelus amoris boni, & zelus amoris mali, in externis sibi similes sint, sed in internis prorsus dissimiles.* V. *Quod zelus amoris boni in internis suis recondat amorem & amicitiam; at quod zelus amoris mali in internis suis recondat odium & vindictam.* VI. *Quod zelus amoris conjugialis dicatur Zelotypia.* VII. *Quod Zelotypia sit sicut flagrans ignis contra infestantes amorem cum conjuge; & quod sit sicut horridus timor pro jactura illius amoris.* VIII. *Quod Zelotypia detur spiritualis apud monogamos, & naturalis apud polygamos.* IX. *Quod Zelotypia apud illos conjuges qui se tenere amant, sit justus dolor ex sana ratione, ne amor conjugialis dividatur, & sic pereat.* X. *Quod Zelotypia apud conjuges, qui se non amant, sit propter plures causas; apud quosdam ex varia ægritudine mentis.* XI. *Quod apud quosdam non sit aliqua Zelotypia, etiam ex variis causis.* XII. *Quod Zelotypia etiam sit pro pellicibus, sed non talis qualis est pro uxoribus.* XIII. *Quod Zelotypia etiam sit apud bestias, & apud aves.* XIV. *Quod Zelotypia apud viros & maritos alia sit, quam apud fœminas & uxores.* Sequitur nunc horum Explicatio.

358. I: QUOD ZELUS IN SE SPECTATUS SIT SICUT IGNIS AMORIS FLAGRANS. Quid Zelotypia, non cognosci potest, nisi cognoscatur quid zelus, est enim Zelotypia zelus amoris conjugialis. Quod Zelus sit sicut ignis amoris flagrans, est quia Zelus est amoris, & amor est calor spiritualis, & hic in origine sua est sicut ignis: quod primum attinet, quod zelus sit amoris, noscitur; non aliud intelligitur per zelare & agere ex zelo, quam vi amoris: sed quia cum existit, non apparet sicut amor, sed sicut inimicus & hostis, infensus & pugnans contra illum, qui amorem lædit; ideo etiam vocari potest defensor & tutor amoris; omnis enim amor talis est, ut erumpat in indignationem & iracundiam, imo in furorem, dum ex suis jucundis excutitur: quare si amor, imprimis regnans, tangitur, fit emotio animi, & si tactus ille lædit, fit excandescentia: ex quibus videri potest, quod zelus non sit summus gradus amoris,

sed

ſed quod ſit flagrans amor. Amor unius & correſpondens alterius, ſunt ſicut duo confæderati; at cum amor unius inſurgit contra amorem alterius, fiunt ſicut hoſtes; cauſa eſt, quia amor eſt eſſe vitæ hominis, quare qui impugnat amorem, impugnat ipſam vitam; & fit tunc ſtatus excandeſcentiæ contra impugnatorem, ſicut ſtatus cujuſvis hominis, quem alter aggreditur occidere. Talis excandeſcentia eſt cuivis amori, etiam ſumme pacifico, ut manifeſte videtur ex gallinis, anſeribus, avibus omnis generis, quod abſque timore inſurgant contra illos, ac involent illis, qui lædunt pullos, aut auferunt eſcas: quod quibuſdam beſtiis ſit iracundia, ac feris furor, ſi infeſtantur catuli, aut auferatur præda, notum eſt. Quod amor dicatur flagare ſicut ignis, eſt quia amor non aliud eſt, quam calor ſpiritualis, oriundus ex igne Solis Angelici, qui eſt purus Amor: quod amor ſit calor ſicut ex igne, patet manifeſte ex calore corporum viventium, qui non aliunde eſt, quam ex amore illorum; tum quod homines incaleſcant & inflammentur ſecundum amoris exaltationes. Ex his patet, quod zelus ſit ſicut ignis amoris flagrans.

359. II: Quod flagratio seu flamma illius amoris, quæ est zelus, sit flagratio seu flamma spiritualis, oriunda ex infestatione et impugnatione amoris. Quod Zelus ſit flragratio ſeu flamma ſpiritualis, ex ſupradictis patet: quoniam Amor in Mundo ſpirituali eſt calor oriundus ex Sole ibi, ideo etiam amor e longinquo apparet ibi ſicut flamma; ita amor cæleſtis apud angelos cæli; ita quoque amor infernalis apud ſpiritus inferni: at ſciendum eſt, quod illa flamma non urat, ſicut flamma Mundi naturalis. Quod Zelus oriatur ex impugnatione amoris, eſt quia amor eſt calor vitæ cujuſvis, quare cum amor vitæ impugnatur, calor vitæ accendit ſe, reſiſtit, & erumpit contra impugnatorem, & agit ſicut hoſtis ex ſua vi & potentia, quæ eſt ſicut flamma ex igne erumpens in emotorem ejus; qui quod ſit ſicut ignis, apparet ex oculis quod ſcintillent, ex facie quod inflammetur, tum ex loquelæ ſono, exque geſtibus: hoc facit amor, quia eſt calor vitæ, ne extinguatur, & cum illo omnis alacritas, vivacitas, & perceptibilitas jucundi, ex ſuo amore.

360, Quomodo amor incenditur & excandeſcit in zelum, ſicut ignis in flammam, ex impugnatione ejus, dicetur; amor reſidet in voluntate hominis; ſed in ipſa voluntate non accenditur, verum in intellectu; eſt enim in voluntate ſicut ignis, & in intellectu ſicut flamma; amor in voluntate de ſe nihil ſcit, quia nihil ſui ibi ſentit, nec a ſe ibi agit, ſed hoc fit in intellectu & ejus cogitatione; quare cum amor impugnatur, tunc ſe exacerbat in intellectu, quod fit per varia ratiocinia; hæc ratiocinia ſunt ſicut ligna, quæ ignis incendit, & quæ inde flagrant; ſunt itaque illa ſicut totidem fomenta, aut ſicut totidem materiæ combuſtibiles, ex quibus fit ſpiritualis illa flamma, quæ multæ varietatis eſt.

361. Quod homo accendatur ex impugnatione amoris ejus, aperietur ipſa cauſa: forma humana in intimis ſuis a creatione eſt forma amoris & ſapientiæ; in homine ſunt omnes affectiones amoris, & inde omnes perceptiones ſapien-

tiæ

tiæ in perfectissimo ordine compositæ, ita ut simul faciant unanimum, & sic unum; sunt illæ substantiatæ, nam substantiæ sunt subjecta illarum. Cum itaque Humana forma ex illis composita est, patet, quod, si amor impugnatur, etiam universa illa forma cum omnibus & singulis ibi in instanti seu simul impugnetur: & quia omnibus vivis a creatione inditum est velle in sua forma permanere, hoc vult communis compages a singulis, & singula a communi, inde cum amor impugnatur, defendit se per intellectum suum, ac intellectus per rationalia & per imaginativa, per quæ sibi repræsentat eventum; imprimis per illa, quæ unum cum amore, qui impugnatur, agunt; quod nisi fieret, ex privatione illius amoris, tota illa forma labefactaretur. Inde nunc est, quod amor, ut resistat impugnationibus, substantias formæ suæ induret, ac erigat quasi in cristas, totidem aculeos, hoc est, crispet se; talis est exacerbatio amoris, quæ vocatur Zelus: quare si non datur copia resistendi, oritur anxietas & dolor, quia prævidet exstinctionem interioris vitæ cum jucundis ejus. Vicissim autem, si amor favetur & mulcetur, forma illa remittit se, emollit se, dilatat se, ac substantiæ formæ fiunt lenes, blandæ, clementes, & lenocinia.

362. III. QUOD ZELUS HOMINI SIT, QUALIS EST EJUS AMOR, ITA ALIUS CUI AMOR BONUS EST, ET ALIUS CUI AMOR MALUS. Quoniam Zelus est Amoris, sequitur quod talis sit, qualis est amor; & quia amores in genere sunt bini, Amor boni & inde veri, ac Amor mali & inde falsi; inde in genere datur Zelus pro bono & inde vero, & Zelus pro malo & inde falso. At sciendum est, quod uterque Amor sit infinitæ varietatis; hoc patet manifeste ex Angelis cæli, & ex spiritibus inferni; hi & illi in Mundo spirituali sunt formæ sui amoris, & tamen non datur unus angelus Cæli absolute similis alteri, quoad faciem, loquelam, gressus, gestus & mores; neque aliquis spiritus inferni, imo nec dari potest in æternum, utcunque multiplicantur in myriades myriadum: inde patet, quod Amores sint infinitæ varietatis, quia formæ illorum tales sunt; simile est cum Zelo, quia hic est amoris; nempe, quod non dari queat unius Zelus absolute similis seu idem cum Zelo alterius: in genere est Zelus amoris boni, & Zelus amoris mali.

363. IV. QUOD ZELUS AMORIS BONI, ET ZELUS AMORIS MALI, IN EXTERNIS SIBI SIMILES SINT, SED IN INTERNIS PRORSUS DISSIMILES. Zelus in externis apud unumquemvis apparet sicut ira & excandescentia, est enim amor incensus & inflammatus ad tutandum se contra violatorem, & ad removendum illum. Causa, quod Zelus amoris boni, & Zelus amoris mali, appareant similes in externis, est quia amor dum in Zelo est, apud utrumque flagrat, at apud hominem bonum modo in externis, sed apud malum tam in externis quam in internis; & dum interna non conspiciuntur, apparent Zeli similes in externis: at quod prorsus dissimiles sint in internis, in mox sequente Articulo videbitur. Quod Zelus appareat in externis sicut ira & excandescentia, videri & audiri potest ex omnibus, qui ex Zelo loquuntur & agunt; ut pro exemplo, ex Sacerdote dum ex Zelo concionatur, quod sonus loquelæ ejus sit altus,

altus, vehemens, acer & asper, quod facies ejus incalescat & sudet, quod efferat se, pulpitum verberet, & contra facientes mala ignem ex inferno evocet: similiter multi alii.

364. Ut distincta idea de Zelo apud bonos, & de Zelo apud malos, ac de illorum dissimilitudine, comparetur, necessum est aliqua idea de Internis & de Externis apud homines formetur; ut formetur, sit de illis idea plebeja, quia etiam pro plebe; sistatur illa per Nucem aut Amygdalum, ac per illorum nucleos; Interna apud bonos sunt sicut nuclei intus in sua integritate & bonitate, circumdati sua crusta solita & nativa; at prorsus dissimiliter apud malos, Interna illorum sunt sicut nuclei vel præ amaritudine non ediles, vel putres, vel vermiculati, at Externa illorum sunt sicut testæ seu crustæ illorum vel similes nativis, vel rutilæ sicut conchilia, vel picturatæ sicut lapides irides; talia apparent externa illorum, intra quæ latent interna supradicta. Simile est cum Zelis illorum.

365. V. QUOD ZELUS AMORIS BONI IN INTERNIS SUIS RECONDAT AMOREM ET AMICITIAM, AT QUOD ZELUS AMORIS MALI IN INTERNIS SUIS RECONDAT ODIUM ET VINDICTAM. Dictum est, quod Zelus in externis appareat sicut ira & excandescentia, tam apud illos qui in amore bono sunt, quam apud illos qui in amore malo; sed quia Interna sunt alia, etiam iræ & excandescentiæ illæ sunt aliæ; & sunt, ut sequitur, 1. Zelus amoris boni est sicut flamma cælestis, quæ nusquam erumpit in alterum, sed modo se defendit, ac se defendit contra malum, sicut dum hic irruit in ignem, & comburitur: at Zelus amoris mali, est sicut flamma infernalis, quæ ex se erumpit ac irruit, & vult alterum consumere. 2. Zelus amoris boni illico deflagrat & mitescit, dum alter ab impugnatione recedit; at Zelus amoris mali perdurat, & non exstinguitur. 3. Causa est, quia Internum ejus, qui in amore boni est, in se est mite, blandum, amicum, & benevolum, quare dum Externum se tutandi gratia asperat, crispat, erigit, & sic dure agit, usque ex bono, in quo est Internum ejus, temperatum est; aliter apud malos, apud hos Internum est inimicum, immite, durum, spirans odium & vindictam, & lactat se ex jucundis illorum; & tametsi reconciliatur, usque latent illa sicut ignes in lignis sub cinere; & hi ignes, si non in Mundo, usque post obitum erumpunt.

366. Quoniam Zelus in externis apud utrumque tam bonum quam malum, apparet similis; & quia ultimus sensus Verbi consistit ex correspondentiis & apparentiis, sæpius de Jehovah ibi dicitur, quod irascatur, excandescat, ulciscatur, puniat, in infernum conjiciat, præter plura, quæ sunt apparentiæ Zeli in externis; inde etiam est, quod nuncupetur Zelotes; cum tamen ne hilum iræ, excandescentiæ ac ultionis in Ipso est; est enim Ipsa Misericordia, Gratia & Clementia, ita Ipsum Bonum, in Quo nihil tale est dabile. Sed de his videantur plura in Opere de CÆLO ET INFERNO, n. 545 ad 550. & in APOCALYPSI REVELATA, n. 494, 498, 525, 714, 806.

367. VI. QUOD ZELUS AMORIS CONJUGIALIS DICATUR ZELOTYPIA. Zelus pro Amore vere conjugiali, est Zelus zelorum, quia ille amor est Amor amo-

rum, & ejus jucunda, pro quibus etiam zelatur, sunt jucunda jucundorum, est enim ille Amor, ut supra ostensum est, caput omnium amorum; causa est, quia ille Amor inducit uxori formam amoris, ac marito formam sapientiæ, & ex his formis unitis in unam, non potest aliud procedere, quam quod sapit ex sapientia & simul amore. Quoniam Zelus amoris conjugialis est Zelus zelorum, ideo novo nomine appellatur Zelotypia, quod est ipse typus Zeli.

368. VII. Quod Zelotypia sit sicut flagrans ignis contra infestantes amorem cum conjuge, et quod sit sicut horridus timor pro jactura illius amoris. Agitur hic de Zelotypia illorum, qui in Spirituali amore cum conjuge sunt; in sequente Articulo de Zelotypia illorum, qui in Naturali amore; & post hunc de Zelotypia illorum, qui in Amore vere conjugiali. Apud illos qui in spirituali amore sunt, est Zelotypia varia, quia amor illorum est varius, nam nusquam datur unus amor, sive sit spiritualis sive naturalis, prorsus similis apud duos, minus apud plures. Quod Zelotypia spiritualis, seu apud spirituales, sit sicut ignis effragans contra infestantes amorem conjugialem illorum, est quia principium amoris apud illos, est in utriusque internis, & amor illorum a principio suo sequitur principiata usque ad ultima sua, ex quibus & simul ex primis intermedia, quæ mentis & corporis sunt, in nexu amabili tenentur. Hi quia Spirituales sunt, in conjugio suo pro fine spectant unionem, & in illa spiritualem requiem, ac hujus amœnitates; nunc quia ex animis suis rejecerunt disunionem, ideo est Zelotypia illa sicut ignis emotus & se ejaculans contra infestantes. Quod etiam sit sicut horridus timor, est quia spiritualis illorum amor intendit ut unum sint, quare si existit casus, aut contingit apparentia separationis, fit timor qui horret, sicut dum binæ partes unitæ distraherentur. Hæc descriptio Zelotypiæ mihi data est e Cælo ab illis, qui in amore conjugiali spirituali sunt; est enim amor conjugialis naturalis, amor conjugialis spiritualis, & amor conjugialis cælestis; de naturali & cælesti, illorumque Zelotypia, dicetur in binis Articulis, qui sequuntur.

369. VIII. Quod Zelotypia detur Spiritualis apud monogamos, et naturalis apud polygamos. Quod Zelotypia detur spiritualis apud monogamos, est quia hi solummodo possunt recipere amorem conjugialem spiritualem, ut supra abunde ostensum est; dicitur quod detur, sed intelligitur quod apud illos dabilis sit; quod non detur nisi apud perpaucos in Christiano Orbe, ubi conjugia monogamica sunt, at quod usque ibi dabilis sit, supra etiam confirmatum est. Quod amor conjugialis apud polygamos sit naturalis, in Capite de Polygamia, n. 345, 347, videatur, similiter tunc Zelotypia, quia hæc sequitur amorem. Qualis est Zelotypia polygamorum, docent quorundam Relationes autopsicæ de illa apud Orientales, quæ sunt, quod uxores & pellices custodiantur sicut captivæ in ergastulis, & ab omni communicatione cum viris detineantur & arceantur; quod in Gynæcea seu conclavia custodiæ illarum, non liceat alicui viro, nisi comitante Eunucho, intrare; & quod impense observetur, si aliqua ex illis lascivo oculo aut vultu transeuntem aspectet;

pectet; & quod si hoc animadvertitur, fæmina mulctetur plagis: & si lasciviam exercet cum introducto aliquo viro in atrium per astum, aut forinsecus, puniatur morte.

370. Ex his quidem illustratum est, qualis est ignis Zelotypicus, in quem exardescit amor conjugialis polygamicus, quod sit in iram & vindictam, in iram apud mansuetos, & in vindictam apud immansuetos; & hoc fit; quia amor illorum est naturalis, & non participat ex spirituali; hoc consequitur ex demonstratis in Capite de Polygamia, ex his ibi, Quod Polygamia sit lascivia, n. 345. Et quod polygamus, quamdiu manet polygamus, sit naturalis, & non fieri possit spiritualis, n. 347. Alius vero est ignis Zelotypicus apud monogamos naturales; horum amor non ita accenditur contra fæminas, sed contra violatores, contra hos fit ira, & contra illas frigus: aliter apud polygamos, quorum Zelotypiæ ignis etiam flagrat œstro vindictæ: hoc inter causas etiam est, quod pellices & uxores polygamorum post mortem quoad plurem partem manumittantur, & ad gynæcea non custodita, ad concinnandum varia, quæ operarum muliebrium sunt, delegentur.

371. IX. QUOD ZELOTYPIA APUD ILLOS CONJUGES, QUI SE TENERE AMANT, SIT JUSTUS DOLOR EX SANA RATIONE, NE AMOR CONJUGIALIS DIVIDATUR, ET SIC PEREAT. Omni amori inest timor & dolor, timor ne pereat, & dolor si perit; simile inest amori conjugiali; sed timor & dolor ejus vocatur Zelus aut Zelotypia. Quod Zelus ille apud conjuges, qui se tenere amant, sit justus & ex sana ratione, est quia simul est timor pro jactura æternæ felicitatis, non modo suæ sed etiam conjugis, & quia etiam est tutamen contra adulterium: quod primum adtinet, quod sit justus timor pro jactura æternæ felicitatis suæ & conjugis, sequitur ex omnibus, quæ de Amore vere conjugiali hactenus allata sunt; & ex his, quod ex illo amore sit animarum illorum beatitudo, mentium illorum faustitas, pectorum jucunditas, & corporum voluptas; & quia hæc illis in æternum manent, est timor utriusque felicitatis æternæ. Quod Zelus ille sit justum tutamen contra adulteria, patet; inde est sicut ignis contra violationem efflagrans, & contra illam se tutans. Ex his constat, quod qui tenere amat conjugem, etiam Zelotypus sit, at secundum sapientiam viri justus & sanus.

372. Dictum est, quod Amori conjugiali insitus sit timor ne dividatur, ac dolor ne pereat, & quod Zelus ejus sit sicut ignis contra violationem; de his quondam meditatus interrogavi Angelos zelotes de sede Zelotypiæ; dixerunt, quod sit in intellectu viri, qui recipit amorem conjugis, & redamat, & quod qualitas ejus ibi sit secundum sapientiam illius: inquierunt etiam, quod Zelotypia aliquid commune habeat cum honore, qui etiam inest amori conjugiali, nam qui amat conjugem, etiam honorat illam. Quod Zelus apud virum in intellectu ejus resideat, dixerunt hanc causam, quia amor conjugialis semet tutatur per intellectum, sicut bonum per verum, ita uxor illa quæ cum viro communia sunt, per maritum, & quod ideo Zelus sit insitus viris, ac per viros & propter viros fæminis. Ad interrogationem in qua regione mentis apud viros residet, responderunt in Anima illorum, quia etiam est tuta-

 men

men contra adulteria, & quia hæc principaliter destruunt amorem conjugialem, quod intellectus viri in periculis violationis indurescat, & fiat sicut cornu feriens adulterum.

373 X. QUOD ZELOTYPIA APUD CONJUGES, QUI SE NON AMANT, SIT PROPTER PLURES CAUSAS; AT APUD QUOSDAM EX VARIA ÆGRITUDINE MENTIS. Causæ, propter quas conjuges qui se mutuo non amant, etiam Zelotypi sunt, principaliter sunt Honor potentiæ, timor diffamationis sui nominis & quoque uxoris, ac formido ne res domesticæ labefactentur. Quod viris sit honor potentiæ, hoc est, quod velint magnifieri ex illo, notum est; nam quamdiu hic honor illis est, sicut elevata mente sunt, & non demissa facie inter viros & fæminas; etiam illi honori se adjungit nomen fortitudinis, quare præfectis militum insidet plus quam aliis. Quod sit timor diffamationis nominis sui & & uxoris, cohæret cum priore causa; cui accedit, quod cohabitatio cum scorto, & ganeum in domo, sint infamiæ. Quod Zelotypia sit quibusdam, ne res domesticæ labefactentur, est quia tantum vilipenditur maritus, ac distrahuntur mutua officia & auxilia; at hæc Zelotypia apud quosdam tempore desinit & fit nulla; & apud quosdam in meram simulationem amoris vertitur.

374. Quod apud quosdam Zelotypia sit ex varia ægritudine mentis, non latet in Mundo; dantur enim zelosi, qui continue cogitant de uxoribus quod sint infidæ, & credunt illas scorta, modo audiunt aut vident quod amice loquantur cum viris aut de viris; sunt plura vitia mentis, quæ inducunt illam ægritudinem, inter quæ primas tenet phantasia suspiciosa, quæ si diu alitur, infert mentem in societates spirituum similium, e quibus ægre potest eximi; firmat se etiam in corpore, per quod serum & inde sanguis fiat viscosus, tenax, spissus, lentus, acer; defectus virium etiam auget illam, nam hic facit, ut mens nequeat a suspiciosis suis elevari; præsentia virium enim elevat, & absentia illarum labefactat, nam hæc facit ut mens decidat, collabatur, & flaccescat, & tunc phantasiæ isti plus & plus se immergit, usque dum deliret, & hoc evadit in jucundum objurgationum, & quantum licet vituperationum.

375. Dantur etiam familiæ regionum, quæ præ aliis ægritudine Zelotypica laborant; ab his uxores incarcerantur, imperiose detinentur a colloquio cum viris, arcentur ab aspectu illorum per fenestras, appositis cancellis deorsum protensis, ac terrentur minis mortis si suspicio fota deprehenderit caussam; præter alia dura, quæ uxores a Zelosis suis maritis ibi patiuntur. Sed causæ hujus Zelotypiæ, sunt binæ; Una est, captivitas & suffocatio cogitationum in Spiritualibus Ecclesiæ; Altera est, intestina cupiditas vindictæ: quod Primam causam, quæ est captivitas & suffocatio cogitationum in spiritualibus Ecclesiæ, attinet; quid illa operatur, concludi potest a supra demonstratis, quod cuivis sit Amor conjugialis secundum statum Ecclesiæ apud se, & quia Ecclesia est a Domino, quod ille Amor sit unice a Domino, n. 130, 131; cum itaque loco Domini, homines vivi & defuncti adeuntur & invocantur, sequitur quod non sit status Ecclesiæ, cum quo Amor conjugialis unum potest agere; & eo minus, dum mentes illorum terrentur ad illum cultum

tum per minas pro atroci carcere; inde fit, quod cogitationes una cum loquelis, violenter captiventur & suffocentur; quibus suffocatis, influunt talia, quæ vel contra Ecclesiam sunt, vel imaginaria pro Ecclesia; ex quibus non aliud redundat, quam æstus pro scortis, ac gelu pro conjuge; ex quibus duobus simul in uno subjecto, talis indomitus Zelotypiæ ignis profluit. Quod secundam causam, quæ est intestina cupiditas vindictæ, concernit; hæc prorsus inhibet influxum amoris conjugialis, absorbet illum, & deglutit illum, & jucundum ejus, quod est cæleste, vertit in jucundum vindictæ, quod est infernale, & hujus proxima determinatio est ad uxorem. Ex apparentia etiam est, quod malignitas athmosphæræ, quæ ex halitibus virulentis circumjacentis regionis ibi imprægnatur, sit causa succenturiata.

376. XI. Quod apud quosdam non sit aliqua Zelotypia, etiam ex variis causis. Causæ nullius Zelotypiæ, & cessantis Zelotypiæ, sunt plures: nulla Zelotypia est imprimis illis, qui amorem conjugialem non pluris faciunt quam scortatorium, & simul inglorii sunt, nauci pendentes nominis famam, hi non absimiles sunt uxoratis lenonibus. Nulla Zelotypia est quoque illis, qui illam rejecerunt ex confirmatione quod infestet animum, quodque invanum custodiatur uxor, & quod si custoditur, incitetur, & quod ideo satius sit oculos occludere, & ne quidem per foramen clavis in janua immittere illos, ne aliquid visualiter detegatur: aliqui rejecerunt illam ex calumnia imposita nomini Zelotypiæ, cogitantes quod vir qui vir nihil timeat: aliqui adacti sunt ad rejiciendum illam, ne res domesticæ pessumdentur, tum ne in forensia vituperia incidat, si uxor libidinis, cujus rea est, argueretur. Præterea Zolotypia abscedit in nullam apud illos, qui uxoribus concedunt licentiam propter defectum potentiæ; propter procreationem liberorum hæreditatis causa; tum apud aliquos propter quæstus; & sic porro. Dantur etiam conjugia scortatoria, in quibus ex mutuo consensu utrique datur veneris licentia, & tamen facie civili sibi obviant.

377. XII. Quod Zelotypia etiam sit pro pellicibus, sed non talisqualis est pro uxoribus. Zelotypia pro uxoribus scaturit ex intimis apud hominem, at Zelotypia pro pellicibus ab externis, quare sunt alius generis: quod Zelotypia pro uxoribus ex intimis scaturiat, est causa, quia Amor conjugialis ibi residet; quod ibi resideat, est quia conjugium ex pacta æternitate ejus constabilita per fædus, & quoque ex æqualitate juris quod unius sit alterius, unit animas, & mentes superius ligat: hæc ligatio & illa unio semel indita, manet indivulsa, qualiscunque amor, sive calidus sive frigidus, postea intercedit. Inde est, quod invitatio ad amorem ab uxore infrigeret totum virum ab intimis ad ultima; at invitatio ad amorem a pellice, amasium non ita. Ad Zelotypiam pro uxore accedit ambitio famæ propter honorem; & hoc accessorium Zelotypiæ non est pro pellice. Sed usque hæc & illa Zelotypia varia est secundum sedem amoris recepti ab uxore, & recepti a pellice, & simul secundum statum judicii viri recipientis illum.

378. XIII. Quod Zelotypia etiam sit apud bestias et apud aves. Quod sit apud feras, ut leones, tigrides, ursos, & plures, dum illis catuli sunt,

notum eſt; tum etiam apud tauros, tametſi illis non vituli: exſtantiſſime apud gallos, qui pro gallinis ſuis cum rivalibus dimicant uſque ad mortem: quod his talis Zelotypia ſit, eſt quia ſunt amatores glorioſi, ac gloria amoris iſtius non ſuſtinet parem; quod illi ſint amatores glorioſi præ omni genere & ſpecie avium, ex illorum geſtibus, nutibus, greſſibus, & ſonis apparet. Quod gloria honoris apud viros tam amatores quam non amatores, inducat, exaltet & aſperet Zelotypiam, ſupra confirmatum eſt.

379. XIV. Quod Zelotypia apud viros et maritos alia sit, quam apud fæminas et uxores. Sed diſcrimina illa non poſſunt diſtincte tradi, quoniam Zelotypia alia eſt apud conjuges qui ſe ſpiritualiter amant, alia apud conjuges qui modo naturaliter, alia apud conjuges qui diffident animis, & alia apud conjuges qui conſortem ſub jugum obedientiæ ſuæ miſit: viriles & muliebres Zelotypiæ in ſe ſpectatæ ſunt diverſæ, quia ex alia origine; origo Zelotypiarum virilium eſt in intellectu, at muliebrium in voluntate applicata intellectui ſui viri; quare Zelotypia virilis eſt ſicut flamma excandeſcentiæ & iræ; at muliebris eſt ſicut ignis coercitus vario timore, vario aſpectu ad maritum, vario reſpectu ad ſuum amorem, & varia prudentia non aperiendi hunc maritis per Zelotypiam; diſcriminantur, quia uxores ſunt amores, ac viri recipientes; ac obeſt uxoribus amorem ſuum diſperdere apud viros, ſed non ſimiliter recipientibus apud uxores. Aliter vero apud Spirituales, apud hos Zelotypia viri transfertur in uxorem, ſicut amor uxoris transfertur in virum, quare utrinque apparet ſibi ſimilis contra conatus violatoris; ſed uxoris Zelotypia inſpiratur viro contra conatus ſcorti violatricis, quæ eſt ſicut dolor lachrymans, & conſcientiam emovens.

❀ ❀ ❀ ❀ ❀ ❀ ❀

Vera Rel. n. 35. 380. Adjiciam duo Memorabilia; Primum hoc. Quondam eram in ſtupore de ingente multitudine hominum, qui Creationem addicunt Naturæ, & inde omnia quæ ſub Sole, & quæ ſupra Solem ſunt; dicentes ex agnitione cordis, cum vident aliquid, annon hoc naturæ eſt; & cum interrogantur, quare dicunt illa naturæ eſſe, & cur non Dei, cum tamen aliquoties cum communione dicunt, quod Deus creaverit Naturam, & inde poſſunt tam æque dicere, quod illa, quæ vident, Dei ſint, quam quod naturæ ſint; ſed reſpondent ſono interno pæne tacito, quid Deus niſi Natura: apparent illi omnes ex perſuaſione de Creatione univerſi ex natura, & ex inſania illa ſicut ex ſapientia, glorioſi, adeo ut aſpiciant omnes qui agnoſcunt Creationem Univerſi a Deo, ſicut formicas, quæ repunt humi & terunt ſtratam viam, & quoſdam ſicut papiliones qui in aere volant; vocantes illorum dogmata ſomnia, quia vident quæ non vident, dicentes, quis vidit Deum, & quis non videt naturam. Quando in ſtupore de multitudine talium eram, adſtitit mihi a latere Angelus, & dixit mihi, quid meditaris, & reſpondi, de multitudine talium, qui credunt, quod Natura creaverit Univerſum; & dixit mihi Angelus, totum Infernum ex talibus eſt, & vocantur ibi ſatanæ & diaboli, ſatanæ

qui

qui confirmaverunt se pro Natura, & inde negaverunt Deum, diaboli qui facinorose vixerunt, & sic e cordibus omnem agnitionem Dei rejecerunt; sed deducam te ad Gymnasia, quæ in plaga meridionali occidentali sunt, ubi tales, & nondum in inferno sunt: & prehendit me manu, & deduxit; & vidi domunculas, in quibus gymnasia, & in medio illarum unam, quæ erat sicut Prætorium reliquarum; hoc constructum erat ex lapidibus piceis, quibus superinductæ erant lamellæ sicut vitreæ ex auro & argento quasi micantes, quales sunt quæ vocantur Glacies Mariæ, & hic & ibi erant intersperſa conchilia similiter nitentia. Illuc accessimus & pulsavimus, & mox aliquis aperuit januam, & dixit, beneventote; & cucurrit ad mensam, & apportavit quatuor Libros, & dixit, hi Libri sunt Sapientia, cui multitudo Regnorum hodie adplaudit; huic Libro seu sapientiæ applaudunt multi in Gallia, huic multi in Germania, huic aliqui in Batavia, & huic aliqui in Britannia: porro dixit, si vultis videre, faciam ut hi quatuor Libri coram oculis vestris luceant; & tunc gloriam famæ suæ effudit & circumfudit, & Libri mox sicut ex luce fulserunt; sed hæc lux coram oculis nostris illico evanuit: & tunc quæsivimus, quid nunc scribis, & respondit, quod nunc illa, quæ intimæ sapientiæ sunt, e thesauris suis educat & expromat, quæ in compendio sunt hæc. I. Num Natura sit Vitæ, vel num Vita sit Naturæ. II. Num Centrum sit Expansi, vel num Expansum sit Centri. III. De Centro & Expanso Naturæ & Vitæ. His dictis reposuit se super folio ad mensam; nos vero in Gymnasio ejus, quod erat spatiosum, ambulavimus: ille super Mensa habebat candelam, quia non lux diurna solaris ibi erat, sed lux nocturna lunaris; & quod miratus sum, candela visa est circum circa ibi ferri, & illuminare; at quia illa non erat emuncta, illuminabat parum; & cum scripsit, vidimus imagines in variis formis e mensa in parietes volantes, quæ in nocturna illa luce lunari apparebant sicut volucres pulchræ Indicæ, sed cum aperuimus januam, ecce illæ in luce diurna solari apparebant sicut aves vesperæ, quibus alæ retiformes sunt, erant enim verosimilitudines, quæ per confirmationes factæ sunt fallaciæ, quæ ingeniose in series ab illo erant connexæ. Postquam hæc vidimus, accessimus ad mensam, & quæsivimus illum, quid nunc scribit, dixit de Primo illo, NUM NATURA SIT VITÆ, VEL NUM VITA SIT NATURÆ; & de hoc inquiit, quod possit utrumque confirmare, & facere ut sit verum; sed quia intus latet aliquod reconditum, quod timet, non ausit confirmare nisi hoc, quod Natura sit Vitæ, hoc est, ex Vita, non autem quod Vita sit Naturæ, hoc est, ex Natura; quæsivimus blande, quid est quod intus latet reconditum quod timet, respondit, quod sit quod vocari possit Naturalista, & sic Atheus ex Clericis, & quod vir non sanæ rationis a Laicis, quoniam hi & illi sunt vel credentes ex cæca fide, vel videntes ex visu confirmantium illam. Sed tunc ex quadam indignatione Zeli pro veritate alloquuti sumus illum, dicentes, amice, valde falleris; sapientia tua, quæ est ingeniositas scribendi, seduxit te, & gloria famæ induxit te ad confirmandum quod non credis; nostine quod Mens humana sit elevabilis supra sensualia, quæ sunt quæ in cogitationibus sunt ex sensibus corpo-

corporis, & quod cum elevatur videat illa quæ vitæ sunt supra, & illa quæ Naturæ sunt, infra; quid vita aliud quam amor & sapientia, & quid natura aliud quam illorum receptaculum, per quod operentur suos effectus seu usus; num hæc possunt unum esse, quam sicut principale & instrumentale; num potest lux unum esse cum oculo, num sonus cum aure, unde horum sensus nisi ex vita, & illorum formæ nisi ex natura: quid Corpus humanum, nisi quam Organum vitæ, annon omnia & singula ibi organice formata sunt ad producendum illa quæ amor vult ac intellectus cogitat; suntne organa corporis ex natura, ac amor & cogitatio ex vita; suntne illa inter se prorsus distincta. Eleva aciem ingenii adhuc parum altius, & videbis, quod vitæ sit affici & cogitare, & quod affici sit ex amore, & cogitare ex sapientia, ac utrumque ex vita, nam, ut dictum est, amor & sapientia sunt vita: si adhuc elevas facultatem intelligendi parum altius, videbis, quod non detur Amor & Sapientia, nisi alicubi sit ejus Origo, & quod Origo ejus sit Ipsa Sapientia, & inde Ipsa Vita, & hæc sunt Deus a quo Natura. Postea loquuti sumus cum illo de Altero, NUM CENTRUM SIT EXPANSI, VEL NUM EXPANSUM SIT CENTRI; & quæsivimus, cur hoc ventilit, respondit, propter finem ut concludat de Centro & Expanso Naturæ & Vitæ, ita de origine unius & alterius; & cum interrogavimus, quæ ejus mens, respondit de his similiter ut prius, quod utrumque possit confirmare, sed quod ex timore jacturæ famæ confirmet, quod Expansum sit Centri, hoc est, a Centro; tametsi scio quod Ante Solem fuerit aliquid, & hoc ubivis in Universo, & quod hæc in ordinem a se confluxerint, ita in Centra. Sed tunc iterum alloquuti sumus illum ex Zelo indignante, & diximus, amice, insanis; & cum hoc audivit, retraxit folium a mensa, & timide nos aspexit, & tunc attendit aurem, sed ridens; at continuavimus dicendo, quid insanius est dicere, quam quod Centrum sit ab Expanso, per Centrum tuum intelligimus Solem, & per Expansum tuum intelligimus Universum, & sic quod universum exstiterit absque Sole; facitne Sol Naturam & omnes ejus proprietates, quæ unice dependent a calore & luce procedentibus a Sole per athmosphæras, ubinam hæc prius; sed unde hæc, in sequente ventilatione dicemus; suntne athmosphæræ, & omnia quæ super tellure, sicut superficies, & Sol illorum Centrum; quid illa omnia absque Sole, num possint uno momento subsistere; inde quid illa omnia ante Solem; num potuerint subsistere, estne subsistentia perpetua existentia; cum itaque omnium naturæ subsistentia est e Sole, sequitur quod etiam omnium existentia; hoc videt & ex autopsia agnoscit unusquisque: annon posterius sicut existit etiam subsistit ex priori, si superficies foret prius, & centrum posterius, annon prius subsisteret ex posteriori, quod tamen est contra leges ordinis: quomodo possunt posteriora producere priora, aut exteriora interiora, aut crassiora puriora, inde quomodo superficies quæ faciunt expansum possunt producere centra; quis non videt, quod hoc sit contra naturæ leges. Adduximus hæc argumenta ex analysi rationis, ad confirmandum, quod Expansum existat ex Centro, & non vicissim, tametsi unusquisque, qui juste cogitat, absque his argumentis hoc videt. Dixisti, quod Expansum confluxerit in Centrum a se, num sic fortui-

fortuito in tam mirabilem & ſtupendum ordinem, ut unum ſit propter alterum, & omnia & ſingula propter hominem, & ejus vitam æternam; num natura poteſt ex aliquo amore per aliquam ſapientiam providere talia, & num poteſt ex hominibus facere Angelos, & ex Angelis Cælum; pone hæc & cogita, & cadet tua idea de exiſtentia naturæ a natura. Poſt hæc quæſivimus illum, quid cogitaverat, & quid nunc cogitat de Tertio, De Centro et Expanso Naturæ et Vitæ; num credat quod Centrum & Expanſum Vitæ ſit idem cum Centro & Expanſo Naturæ; dixit quod hæreat, & quod prius cogitaverit, quod interior activitas naturæ ſit vita; & quod Amor & Sapientia, quæ eſſentialiter faciunt hominis vitam, ſint inde; & quod ignis Solis per calorem & lucem, mediis athmoſphæris, producant illa; at quod nunc ex auditis de Hominum vita æterna, in ambiguo ſit, & quod hoc ambiguum ferat mentem jam ſurſum jam deorſum, & cum ſurſum, agnoſcat Centrum de quo non prius aliquid noverat, & cum deorſum, videat Centrum quod credidit unicum; & quod Vita ſit ex Centro, de quo non prius aliquid ſciverat, & quod Natura ſit ex Centro, quod prius credidit unicum eſſe; & quod utrumque Centrum habeat Expanſum circum ſe. Ad hæc diximus, Bene, modo etiam velit ex Centro & Expanſo vitæ ſpectare Centrum & Expanſum naturæ, & non vice verſa: & inſtruximus illum, quod ſupra Cælum Angelicum ſit Sol qui eſt purus Amor, ad apparentiam igneus ſicut Sol Mundi, & quod ex calore qui procedit ex illo Sole, ſit Angelis & hominibus Voluntas & Amor, & quod ex luce inde ſit illis Intellectus & Sapientia; & quod illa quæ vitæ ſunt dicantur Spiritualia, & quod illa quæ ex Sole Mundi procedunt, ſint continentia vitæ, & dicantur Naturalia; tum quod Expanſum Cenrri Vitæ dicatur Mundus Spiritualis, qui ex ſuo Sole ſubſiſtit, & quod Expanſum Naturæ dicatur Mundus naturalis, qui ex ſuo Sole ſubſiſtit. Nunc quia de Amore & Sapientia non prædicari poſſunt Spatia & Tempora, ſed pro illis Status, quod Expanſum circum Solem Cæli Angelici, non ſit extenſum, ſed uſque in Extenſo Solis naturalis, & apud ſubjecta viva ibi ſecundum receptiones, & receptiones ſecundum formas. Sed tunc quæſivit unde ignis Solis mundi ſeu naturæ, reſpondebamus, quod ſit ex Sole Cæli Angelici, qui non eſt ignis, ſed Divinus Amor proxime procedens a Deo, qui eſt Ipſe Amor: hoc quia miratus eſt, demonſtravimus ita; Amor in ſua eſſentia eſt ſpiritualis ignis, inde eſt, quod ignis in Verbo in ſpirituali ejus ſenſu, ſignificet amorem; unde orant in Templis Sacerdotes, ut Ignis cæleſtis impleat corda, per quem intelligunt amorem; Ignis Altaris, & Ignis Candelabri in Tabernaculo apud Iſraelitas, non aliud quam Divinum Amorem repræſentavit; Calor ſanguinis, ſeu Calor vitalis hominum, & in genere Animalium, non aliunde eſt quam ex amore, qui facit vitam illorum; inde eſt, quod homo incendatur, incaleſcat & inflammetur, dum amor ejus exaltatur in zelum, iram & excandeſcentiam; quare ex eo quod Calor ſpiritualis, qui eſt Amor, producat calorem naturalem apud homines, uſque ut accendat & inflammet illorum facies & artus, conſtare poteſt quod Ignis Solis naturalis non aliunde exſtiterit quam ex Igne Solis ſpiritualis, qui eſt Divinus Amor. Nunc quia Expanſum oritur ex

Centro, & non viciſſim, ut ſupra diximus, & Centrum Vitæ, quod eſt Sol Cæli Angelici, eſt Divinus Amor praxime procedens a Deo, Qui in medio illius Solis eſt; & quia inde eſt Expanſum illius Centri, quod vocatur Mundus ſpiritualis; & quia ex illo Sole exſtiterat Sol Mundi, & ex hoc Expanſum ejus, quod vocatur Mundus naturalis, patet, quod Univerſum a Deo uno creatum ſit. Poſt hæc abivimus, & ille comitatus eſt nos extra Aream ſui Gymnaſii, & loquutus eſt cum nobis de Cælo & Inferno, & de Divino auſpicio, ex nova ingenii ſagacitate.

381. Alterum Memorabile. Quondam cum circumſpexi in Mundum ſpirituum, vidi e longinquo Palatium circumcinctum & quaſi obſeſſum a turba; & quoque vidi accurrentes multos; quod cum miratus, velociter extuli me domo, & unum accurrentem quæſivi, quod rei ibi; ille retulit, quod Tres novi advenæ e Mundo ſublati fuerunt in Cælum, & viderint magnifica ibi, & quoque Virgines & Uxores ſtupendæ pulchritudinis, ac demiſſi e Cælo illo intraverint in illud Palatium, ac narraverint quæ viderant, imprimis quod tales pulchritudines, quales oculi illorum nuſquam viderunt, nec videre poſſunt niſi a luce auræ cæleſtis illuſtrati: dixerunt de ſe, quod fuerint in Mundo Oratores, ex Regno Galliæ, & quod operam dederint facundiæ, & quod nunc ſupervenerit illos cupido orandi de Origine pulchritudinis. Hoc quia in vicinia notum factum eſt, affluxit multitudo audiendi cauſa. His auditis, properavi etiam ego, & intravi, & vidi Tres illos viros ſtantes in medio, indutos togis coloris ſapphirini, quæ ex filis intextis auri ſecundum verſuram exſplenduerunt ſicut aureæ; ſteterunt poſt quoddam pulpitum prompti ad fandum, & mox ſuper gradum poſt pulpitum ſurrexit unus oraturus de Origine pulchritudinis Sexus fæminini, & protulit hæc.

382. Quid Origo pulchritudinis aliud quam Amor, qui cum influit in oculos juvenum, & accendit illos, fit pulchritudo, quare Amor & Pulchritudo res eadem ſunt; Amor enim ab intimo ſubpingit faciem virginis nubilis quadam flamma, ex cujus tranſparentia eſt aurora & purpura vitæ ejus; quis non ſcit quod flamma illa mittat radios in ejus oculos, & ex his ut centris in orbem faciei ſe effundat, & quoque ſe demittat in pectus, ac incendat cor, & ſic afficiat, non aliter quam ignis calore & luce adſtantem; Calor ille eſt Amor, & Lux illa eſt amoris pulchritudo. Totus orbis firmat conſenſu, quod quiſque ſit amabilis & pulcher ſecundum ſuum amorem; ſed uſque eſt alius amor Sexus maſculini, & alius amor Sexus fæminini; amor maſculinus eſt amor ſapiendi, & amor fæmininus eſt amor amandi amorem ſapiendi in maſculo; quantum itaque juvenis eſt amor ſapiendi, tantum eſt amabilis & pulcher virgini, & quantum virgo eſt amor ſapientiæ juvenis, tantum illa eſt amabilis & pulchra juveni; quare ſicut amor obviat & oſculatur amorem alterius, ita quoque pulchritudines: concludo itaque quod Amor formet pulchritudinem in inſtar ſui.

383. Poſt hunc ſurrexit alter per comitatem ſermonis revelaturus Originem pulchritudinis; hic dixit, audivi quod Amor ſit Origo pulchritudinis, ſed conſenſu non faveo; quis hominum novit quid Amor, quis aliqua idea cogitationis

tionis contemplatus eſt illum, quis oculo vidit illum, dic ubi eſt: ſed ego affero, quod Sapientia ſit origo pulchritudinis, in Fæminis ſapientia intime latens & recondita, in Viris ſapientia patens & exſtans: unde homo eſt homo niſi ex ſapientia; niſi inde, homo foret ſculptura aut pictura: quid Virgo attendit apud juvenem, quam qualis ſapiens eſt, & quid juvenis attendit apud virginem, niſi qualis eſt affectio ſapientiæ ſuæ; per ſapientiam intelligo genuinam moralitatem, quia hæc eſt ſapientia vitæ; inde eſt, quod cum ſapientia latens adit & amplectitur ſapientiam patentem, quod fit interius in utriuſque ſpiritu, ſe mutuo oſculentur & conjungant, & id vocatur Amor, & tunc apparent ſibi utrinque ut pulchritudines: verbo, Sapientia eſt ſicut lux ſeu ſplendor ignis, qui ſtringit oculos, & ſicut ſtringit, format pulchritudinem.

384. Poſt hunc ſurrexit Tertius, & eloquutus hæc; non eſt ſolus Amor, nec eſt ſola Sapientia, Origo pulchritudinis, ſed eſt Unio amoris & ſapientiæ, unio amoris cum ſapientia in juvene, ac unio ſapientiæ cum ſuo amore in virgine; virgo enim non amat ſapientiam in ſe ſed in juvene, & inde videt illum ut pulchritudinem, & cum juvenis hoc videt in virgine, tunc videt illam ut pulchritudinem; quare amor per ſapientiam format illam, ac ſapientia ex amore recipit illam: quod ita ſit, manifeſte apparet in Cælo, vidi ibi virgines & uxores, & attendi ad pulchritudines, & vidi prorſus aliam in virginibus, & aliam in uxoribus, in virginibus ſolum nitorem ejus, in uxoribus autem ſplendorem ejus; diſcrimen vidi ſicut adamantem ex luce micantem, & ſicut rubinum ſimul ex igne fulgurantem: quid Pulchritudo niſi delitium viſus; unde Origo hujus delitii, niſi ex Ludo amoris & ſapientiæ; ex hoc ludo rutilat viſus, & hoc rutilum ex oculo in oculum ſe vibrat, & ſiſtit pulchritudinem. Quid facit pulchritudinem faciei, niſi rubor & candor, & horum amabilis mixtura inter ſe, eſtne rubor ex amore, & candor ex ſapientia, amor enim rubet ex ſuo igne, & ſapientia candet ex ſua luce, hæc duo in faciebus duorum conjugum in Cælo manifeſte vidi, ruborem candoris in uxore, & candorem ruboris in marito; & animadverti, quod ex mutuo intuitu explenduerint. Cum Tertius hæc loquutus eſt, adplauſit Cætus, & clamavit, hic vicit: & ſubito tunc lux flammea, quæ etiam eſt lux amoris conjugialis, implevit domum ſplendore, & ſimul corda illorum amænitate.

DE CONJUNCTIONE AMORIS CONJUGIALIS CUM AMORE INFANTUM.

385. Sunt indicia quæ manifeſtant, quod Amor conjugialis & Amor infantum, qui vocatur Storge, conjuncti ſint; & quoque ſunt indicia, quæ inducere poſſunt fidem quod non conjuncti ſint; datur enim amor infantum apud conjuges qui ex corde ſe amant, & datur apud conjuges qui corde diſſident; & quoque apud ſeparatos, & quandoque tenerior & fortior apud hos quam apud illos; ſed quod uſque amor infantum cum amore conjugiali perpetuo conjunctus ſit, conſtare poteſt ex origine ejus, ex qua influit; quæ ta-

metsi variatur apud recipientes, usque manent illi amores indivulsi, plane sicut finis primus in fine ultimo, qui est effectus; finis primus amoris conjugialis est procreatio sobolis, & finis ultimus, qui est effectus, est soboles procreata; quod primus finis se inferat in effectum, ac inibi sit sicut in suo primordio, & non recedat ab illo, potest videri ex rationali intuitione progressionis finium & causarum in suo ordine ad effectus: sed quia ratiocinia perplurium non ordiuntur nisi quam ex effectibus, & ex illis procedunt ad aliquas consequelas, & non ex causis, & ex his analytice ad effectus, & sic porro; ideo rationalia lucis non possunt non fieri obscura nubis, unde deviationes a veris oriundæ ex apparentiis & fallaciis. Ut autem videatur, quod amor conjugialis & amor infantum interius conjuncti sint, tametsi exterius disjuncti, demonstrabitur in hoc ordine. I. *Quod binæ Sphæræ universales procedant a Domino ad conservandum Universum in statu creato*; *quarum una est Sphæra procreandi, ac altera Sphæra tutandi procreata.* II. *Quod binæ illæ Sphæræ universales unum faciant cum Sphæra Amoris conjugialis, & cum Sphæra Amoris infantum,* III. *Quod binæ illæ Sphæræ universaliter & singulariter influant in omnia Cæli & in omnia Mundi, a primis ad ultima.* IV. *Quod Sphæra amoris infantum, sit sphæra tutelæ & sustentationis illorum, qui semetipsos tutari & sustentare nequeunt.* V. *Quod hæc Sphæra afficiat tam malos quam bonos, ac disponat unumquemvis ad amandum, tutandum, & sustentandum suam progeniem ex proprio amore.* VI. *Quod hæc Sphæra afficiat sexum fæmininum principaliter, ita matres, at sexum masculinum seu patres ab illis.* VII. *Quod hæc Sphæra etiam sit sphæra innocentiæ & pacis a Domino.* VIII. *Quod Sphæra innocentiæ influat in Infantes, & per illos in parentes, & afficiat.* IX. *Quod etiam influat in animas parentum, & conjungat se cum eadem sphæra apud infantes*; *& quod imprimis insinuetur per tactum.* X. *Quod in eo gradu, in quo recedit innocentia apud infantes, etiam remittatur affectio & conjunctio, & id successive usque ad separationem.* XI. *Quod status rationalis innocentiæ & pacis apud parentes erga infantes, sit quod nihil sciant & possint ex se, sed ex aliis, imprimis ex patre & matre; & quod ille status etiam successive recedat, sicut sciunt & possunt ex se & non ex illis.* XII. *Quod Sphæra illa in ordine a fine per causas in effectus progrediatur, ac periodos faciat; per quas conservatur Creatio in statu prævisio & proviso.* XIII. *Quod Amor infantum descendat, & non ascendat.* XIV. *Quod alius status amoris uxoribus sit ante conceptionem, & alius post illam usque ad partum.* XV. *Quod Amor conjugialis cum amore infantum apud parentes conjungatur per causas spirituales & inde naturales.* XVI. *Quod amor infantum & liberorum alius sit apud conjuges spirituales, & alius apud naturales.* XVII. *Quod apud spirituales sit ille amor ab interiori seu priori, apud naturales autem ab exteriori seu posteriori.* XVIII. *Quod inde sit, quod ille amor sit apud conjuges qui se mutuo amant, & quoque apud conjuges, qui se prorsus non amant.* XIX. *Quod amor infantum post mortem maneat, imprimis apud mulieres.* XX. *Quod Infantes sub auspicio Domini per illas educentur, ac statura & intelligentia crescant sicut in Mundo.* XXI. *Quod ibi a Domino provideatur, ut apud illos innocentia infantiæ fiat innocentia sapientiæ, ac ut sic infantes fiant angeli.* Sequitur nunc horum Explicatio.

386.

386. I. QUOD BINÆ SPHÆRÆ UNIVERSALES PROCEDANT A DOMINO AD CONSERVANDUM UNIVERSUM IN STATU CREATO, QUARUM UNA EST SPHÆRA PROCREANDI, ET ALTERA SPHÆRA TUTANDI PROCREATA. Divinum a Domino procedens vocatur Sphæra, quia exit ab Ipso, ambit Ipsum, implet utrumque Mundum, Spiritualem & Naturalem, ac operatur effectus finium, quos Dominus in creatione prædestinavit, & post illam providet. Omne id quod effluit ex subjecto, ambit & circumstipat illud, nuncupatur Sphæra; ut pro exemplo, sphæra lucis & caloris a sole circum illum, sphæra vitæ ab homine circum illum, sphæra odoris a virgulto circum illud, sphæra attractionis a magnete circum illum, & sic porro. At Sphæræ universales, de quibus hic agitur, sunt a Domino circum Ipsum; ac procedunt e Sole Mundi spiritualis, in cujus medio Ipse est: a Domino per illum Solem procedit Sphæra caloris & lucis, seu quod idem idem est, Sphæra amoris & sapientiæ, ad operandum fines, qui sunt usus; at Sphæra illa, secundum usus, variis nominibus insignitur; Divina Sphæra prospiciens conservationem Universi in statu creato per successivas generationes, vocatur Sphæra procreandi; & Divina Sphæra prospiciens conservationem generationum in suis initiis, & postea in suis progressionibus, vocatur Sphæra tutandi procreata: præter has binas, sunt plures aliæ Sphæræ Divinæ, quæ secundum usus, ita aliter, nominantur, videatur supra n. 222. Operationes usuum per illas Sphæras, sunt Divina Providentia.

387. II. QUOD BINÆ ILLÆ SPHÆRÆ UNIVERSALES UNUM FACIANT CUM SPHÆRA AMORIS CONJUGIALIS, ET CUM SPHÆRA AMORIS INFANTUM. Quod Sphæra amoris conjugialis unum faciat cum Sphæra procreandi, patet; procreatio enim est finis, & amor conjugialis est causa media per quam, ac finis & causa in efficiendis & in effectis unum, quia una, agunt: quod Sphæra amoris infantum unum faciat cum Sphæra tutandi procreata, etiam patet, quia est finis procedens ex priori fine, qui fuit procreatio, & amor infantum est illius causa media, per quam: fines enim progrediuntur in serie, unus post alterum, & in progrediendo finis ultimus fit primus, & sic ulterius, usque ad terminum, in quo subsistunt vel desinunt: sed de his videbuntur plura in explicatione Articuli XIImi.

388. III. QUOD BINÆ ILLÆ SPHÆRÆ UNIVERSALITER ET SINGULARITER INFLUANT IN OMNIA CÆLI ET IN OMNIA MUNDI, A PRIMIS AD ULTIMA. Dicitur universaliter & singulariter, quia cum dicitur universale, intelliguntur simul singularia, ex quibus; ex his enim illud existit & consistit, ita ex his illud nominatur, sicut commune ex partibus; quare si aufers singularia est Universale solum nomen, & est sicut superficiale, intra quod non aliquid est: quare attribuere Deo universale regimen, & auferre singularia, est vana vox, & sicut prædicatio inanitatis: comparatio cum regimine universali Regum terræ, non valet: inde nunc dicitur, quod binæ illæ Sphæræ universaliter & singulariter influant.

389. Quod Sphæræ procreandi ac tutandi proceata, seu Sphæræ amoris conjugialis & amoris infantum, influant in omnia Cæli & in omnia Mundi, a primis ad ultima, est quia cuncta, quæ procedunt a Domino, seu a Sole

qui ab Ipſo eſt, & in quo Ipſe, tranſeunt Univerſum creatum uſque ad omnium ultima ejus; cauſa eſt, quia Divina, quæ in progreſſione vocantur cæleſtia & ſpiritualia, ſunt ſpatii & temporis expertia; quod de ſpiritualibus nulla prædicatio extenſi ſit, quia nulla ſpatii & temporis, notum eſt; inde eſt, quod quicquid procedit a Domino, in inſtanti ſit a primis in ultimis: quod Sphæra amoris conjugialis ita univerſalis ſit, videatur ſupra n. 222 ad 225. Quod ſimiliter Sphæra amoris infantum, patet ex illo amore in Cælo, ubi infantes e terris ſunt; exque illo amore in Mundo apud homines, apud beſtias & aves, ſerpentes, inſecta: hujus amoris analoga etiam dantur in Regnis, Vegetabili & Minerali; in Vegetabili, quod ſemina cuſtodiantur putaminibus ſicut faſciis, ac inſuper in fructu ſicut in domo, ac nutriantur ſucco ſicut lacte; quod aliquid ſimile ſit in mineris, patet a matricibus & thecis, in quibus nobiles gemmæ, & nobilia metalla, reconduntur & cuſtodiuntur.

390. Quod ſphæra procreandi, & ſphæra tutandi procreata, in continua ſerie unum faciant, eſt quia amor procreandi continuatur in amorem procreati: qualis eſt amor procreandi cognoſcitur ex ejus jucundo, quod ſit supereminens & tranſcendens; in illo eſt ſtatus procreationis apud viros, ac inſigniter ſtatus receptionis apud mulieres: hoc ſumme jucundum cum ſuo amore ſequitur in partum, & ibi ſe implet.

391. IV. Quod Sphæra amoris infantum, sit sphæra tutelæ et sustentationis illorum, qui semetipsos tutari et sustentare nequeunt. Quod operationes uſuum a Domino per ſphæras procedentes ab Ipſo, ſint Divina Providentia, ſupra n. 386, dictum eſt; Hæc itaque intelligitur per ſphæram tutelæ & ſuſtentationis illorum, qui ſemetipſos tutari & ſuſtentare nequeunt: a Creatione enim eſt, quod Creata conſervanda, cuſtodienda, tutanda, & ſuſtentanda ſint, alioquin univerſum rueret; ſed quia id immediate a Domino apud viventia, quibus arbitratus relictus eſt, fieri non poteſt, ſit id mediate per amorem ſuum implantatum patribus, matribus, alumnis; quod amor illorum ſit amor a Domino apud illos, non ſciunt, quia non percipiunt influxum, & minus omnipræſentiam Domini: at quis non videt, quod hoc non naturæ ſit, ſed Divinæ Providentiæ operantis in natura per naturam; & quod tale Univerſale non dari poſſit, niſi a Deo per Spiritualem quendam Solem, qui in Centro Univerſi eſt, & cujus operatio, quia abſque ſpatio & tempore, inſtans & præſens eſt a primis in ultimis. Quomodo autem Divina illa operatio, quæ eſt Divina Domini Providentia, ab animatis recipitur, in ſequentibus dicetur. Quod matres & patres tutentur & ſuſtentent infantes, quia hi ſemetipſos tutari & ſuſtentare nequeunt, non eſt cauſa illius amoris, ſed eſt cauſa rationalis ex amore illo incidente in intellectum; homo enim ex ſola hac cauſa, abſque amore inſpirato & inſpirante illam, aut abſque lege & pœna cogente illum, non plus infantibus proſpiceret quam ſtatua.

392. V. Quod hæc Sphæra afficiat tam malos quam bonos, ac disponat unumquemvis ad amandum, tutandum et sustentandum suam progeniem, ex proprio amore. Quod Amor infantum ſeu Storge ſit æque apud malos quam apud bonos, teſtatur experientia, ſimiliter apud beſtias mites & immites, imo quod apud homines malos, ſicut apud beſtias immites, quan-

quandoque fit fortior & ardentior; causa est, quia omnis amor procedens a Domino ac influens vertitur in subjecto in amorem ejus vitæ: unumquodvis enim subjectum animatum non sentit aliter quam quod ex se amet, non enim percipit influxum, & dum etiam actualiter se amat, facit amorem infantum sui proprium, nam tanquam videt se in illis & illos in se, & se cum illis ita unitum. Inde etiam est, quod ille amor apud bestias immites sit atrocior, ut apud leones & leænas, ursos & ursas, leopardos & leopardas, lupos & lupas, & similes alias, quam apud equos, cervos, hircos, oves; causa est, quia immitibus illis bestiis est dominium super mites, & inde amor sui prædominans, & hic amor amat se in progenie sua; quare sicut dictum est, amor influus vertitur in proprium. Talis inversio amoris influi in proprium, & inde tutela & sustentatio prolum & fætuum a parentibus malis, est ex Divina Domini Providentia, nam alioquin ex humano genere non superessent nisi pauci; & ex bestiis ferocibus, quæ tamen usui sunt, non aliqua. Ex his patet, quod quisque disponatur ad amandum, tutandum, & sustentandum suam sobolem, ex proprio amore.

393. VI. Quod hæc Sphæra afficiat sexum fæmininum principaliter, ita matres, et sexum masculinum seu patres ab illis. Hoc sequitur ex eadem origine, de qua prius, quod Sphæra amoris conjugialis recipiatur a fæminis, & per fæminas transferatur in viros, ex causa, quia fæminæ natæ sunt amores intellectus virorum, ac intellectus est recipiens: simile est cum amore infantum, quia hic originitus est ex amore conjugiali: quod matribus tenerrimus amor infantum sit, ac patribus minus tener, notum est. Quod amori conjugiali, in quem natæ sunt fæminæ, amor infantum inscriptus sit, patet a puellarum amabili & consociabili affectione ad infantes, & ad imagines illarum, quas portant, amiciunt, osculantur, ac sinubus pectoris sui admovent; talis affectio pueris non est. Apparet, sicut amor infantum sit matribus ex nutritione illorum in utero ex suo sanguine, & inde ex appropriatione suæ vitæ, & sic ex unione sympathica; sed usque hæc illius amoris origo non est, quoniam si nesciente matre supponeretur alius infans post partum loco genuini, amaretur ille pari teneritate, qua si foret suus; insuper infantes quandoque a nutricibus amantur, plusquam a matribus: ex his fluit, quod amor ille non aliunde sit, quam ex amore conjugiali cuivis fæminæ insito, cui adjunctus est amor concipiendi, ex cujus jucundo uxor præparatur ad receptionem; hoc primum illius amoris est, quod cum suo jucundo post partum plene transit in fætum.

394. VII. Quod hæc Sphæra etiam sit Sphæra innocentiæ et pacis. Innocentia & Pax sunt duo intima Cæli; intima dicuntur, quia immediate procedunt a Domino; est enim Dominus Ipsa Innocentia & Ipsa Pax; Dominus ex Innocentia vocatur Agnus, & ex Pace dicit, *Pacem relinquo vobis, Pacem meam do vobis*, Joh. XIV. 27; & quoque intelligitur per Pacem, qua salutarent urbem aut domum, quam intrabant, quæ si digna esset, veniret Pax super illam, & si non digna, Pax reverteretur, Matth. X. 11 ad 15. inde quoque Dominus vocatur Princeps pacis, Esaj. IX. 5, 6. Quod Innocen-

nocentia & Pax sint intima cæli, est etiam causa, quia Innocentia est esse omnis boni, ac Pax est beatum omnis jucundi quod est boni; videatur Opus DE CÆLO ET INFERNO, de statu Innocentiæ Angelorum Cæli n. 276 ad 283. & de statu Pacis in Cælo, n. 284 ad 290.

395. VIII. QUOD SPHÆRA INNOCENTIÆ INFLUAT IN INFANTES, ET PER ILLOS IN PARENTES, ET AFFICIAT. Quod Infantes sint Innocentiæ, notum est, sed quod innocentia illorum influat a Domino, non notum est; influit a Domino, quia Ipse est Ipsa Innocentia, ut mox supra dictum est; nec potest aliquid influere, quia non dari, nisi a suo principio, quod est Ipsum Illud. Qualis autem est Innocentia infantiæ, quæ afficit parentes, paucis dicetur; elucet illa ex illorum facie, ex aliquibus illorum gestibus, & ex prima illorum loquela, & afficit: innocentia illis est, quia non cogitant ab interiori, nondum enim sciunt quid bonum & malum, ac verum & falsum, ex quibus cogitent; inde illis non est prudentia ex proprio; nec propositum ex deliberato, ita nullus finis mali; non illis est proprium ex amore sui & mundi acquisitum; non sibi quicquam tribuunt; omnia accepta referunt suis parentibus; contenti pusillis quæ illis dono dantur; non illis est sollicitudo de victu & amictu; & nulla de futuris; non spectant ad mundum, & inde cupiunt multa; amant suos parentes, suas nutrices, & infantes socios, cum quibus in innocentia ludunt; se patiuntur duci, auscultant & obediunt: hæc est Innocentia infantiæ, quæ est causa amoris, qui vocatur storge.

396. IX. QUOD ETIAM INFLUAT IN ANIMAS PARENTUM, ET CONJUNGAT SE CUM EADEM SPHÆRA APUD INFANTES; ET QUOD IMPRIMIS INSINUETUR PER TACTUM. Influit Innocentia Domini in Angelos Cæli tertii, ubi omnes sunt in Innocentia sapientiæ, ac transit Cælos inferiores, sed modo innocentias angelorum ibi, & sic immediate ac mediate in infantes; sunt hi vix aliter quam sicut formæ sculptiles, sed usque receptibiles vitæ a Domino per Cælos. At nisi etiam parentes illum influxum in animabus suis, ac in intimis mentium suarum, reciperent, frustra ab innocentia infantum afficerentur; adæquatum & homogeneum quid erit in altero, per quod fiat communicatio, & quod faciet receptionem, affectionem, & inde conjunctionem; alioquin foret sicut molle semen cadens super silicem, aut sicut agnus projectus ad lupum: inde nunc est, quod innocentia in animas parentum influens conjungat se cum innocentia infantum. Quod hæc conjunctio fiat mediantibus sensibus corporis, sed imprimis per tactum, apud parentes, potest experientia docere; ut quod intime oblectetur visus ex conspectu illorum, auditus ex loquela illorum, olfactus ex odore illorum: quod imprimis fiat communicatio & inde conjunctio innocentiarum per tactum, evidenter perspicitur ex amœnitate gestationis illorum super ulnis, ex amplexibus & osculationibus, præprimis apud matres, quæ delitiantur ex incubatione oris & faciei illorum super gremiis, & simul tunc ex tactu palmarum illorum ibi; in genere ex suctione uberum & lacticinio; præter ex palpatione nudi corporis illorum, & ex indefessa opera fasciandi & mundandi illos super genubus suis. Quod per sensum tactus fiant communicationes amoris & deliciarum ejus inter conjuges, supra aliquoties demonstratum

tum eſt; quod etiam fiant communicationes mentis per illum, eſt quia manus ſunt ultima hominis, ac prima ejus in ultimis ſunt ſimul, per id etiam continentur omnia corporis & omnia mentis, quæ intermedia ſunt, in nexu indivulſo; inde eſt, quod Jeſus tetigerit infantes, Matth. XVII. 6. Marc. X. 13, 16: quodque ſanaverit ægrotos per tactum; & quod ſanati ſint, qui Ipſum tetigerunt; inde etiam eſt, quod inaugurationes in Sacerdotium hodie per impoſitiones manuum fiant. Ex his patet, quod innocentia parentum & innocentia infantum ſibi obvient per tactum, imprimis manuum, & ſic ſe tanquam per oſcula conjungant.

397. Quod Innocentia operetur ſimilia, etiam per contactus apud beſtias & aves, quæ apud homines, notum eſt; quod operetur ſimilia, eſt cauſa, quia omne quod procedit ex Domino, in inſtanti pervadit univerſum, videatur ſupra n. 388 ad 390. & quia vadit per gradus, & per continuas mediationes, ideo tranſit non modo ad animalia, ſed etiam ultra ad vegetabilia & mineralia, n. 389 tranſit etiam in ipſam terram, quæ omnium vegetabilium & mineralium mater eſt; hæc enim tempore veris in ſtatu præparato ad receptionem ſeminum quaſi in utero eſt, ac cum recepit, quaſi concipit, illa fovet, geſtat, excludit, lactat, nutrit, amicit, educat, cuſtodit, & quaſi amat progeniem ex illis, & ſic porro; cum Sphæra procreationis illic vadit, quid tunc non ad omnis generis animalia, uſque ad vermes: quod ſicut terra communis mater vegetabilium eſt, etiam ſit communis mater apum in quovis alveari, in explorato eſt.

398. X. Quod in eo gradu in quo recedit innocentia apud infantes, etiam remittatur affectio et conjunctio, et id successive usque ad separationem. Quod a parentibus recedat amor infantum, ſeu ſtorge, ſecundum receſſionem innocentiæ ab illis, & quod recedat uſque ad liberorum ſeparationem a domo apud homines, & uſque ad rejectionem a præſentia, & ad oblivionem quod ex ſtirpe ſua ſint, apud beſtias & aves, notum eſt: ex hoc, ut ex indicio confirmato, etiam conſtare poteſt, quod innocentia utrinque influens amorem ſtorge vocatum producat.

399. XI. Quod status rationalis innocentiæ et pacis apud parentes erga infantes, sit quod nihil sciant et possint ex se, sed ex aliis, imprimis ex patre et matre; et quod ille status successive recedat, sicut sciunt et possunt ex se et non ex illis. Quod Sphæra amoris infantum, ſit Sphæra tutationis & ſuſtentationis illorum, qui ſemetipſos tutari & ſuſtentare nequeunt, ſupra in ſuo Articulo n. 391, oſtenſum eſt; quod hæc cauſa ſit modo cauſa rationalis apud hominem, non autem ipſa cauſa amoris apud illos, ibi etiam memoratum eſt: ipſa originaria cauſa illius amoris eſt innocentia a Domino, quæ neſciente homine influit, & cauſam illam rationalem producit; quare ſicut prima cauſa facit receſſionem ab amore illo, ita ſimul cauſa hæc ſecunda; ſeu quod idem eſt, ſicut communicatio innocentiæ recedit, ita quoque illam comitatur ratio perſuadens: at hoc ſit ſolum apud hominem, ut ille ex libero ſecundum rationem agat quod agit, & ex hac, ut ex lege rationali & ſimul morali progeniem ſuam adultam ſuſtentet

 ſecun-

ſecundum neceſſitates ac utilitates; hæc ſecunda cauſa non eſt animalibus rationis expertibus, his eſt modo cauſa prior, quæ illis eſt inſtinctus.

400. XII. Quod Sphæra amoris procreandi in ordine a fine per causas in effectus progrediatur, ac periodos faciat, per quas conservatur creatio in statu præviso et proviso. Omnes operationes in Univerſo progrediuntur a finibus per cauſas in effectus; hæc tria in ſe individua ſunt, tametſi in ideis apparent ſicut diviſa; at uſque ibi finis niſi viſo ſimul effectu, qui intenditur, non eſt aliquid, nec uterque fit aliquid niſi cauſa ſuſtineat, proſpiciat & conjungat. Talis progreſſio inſcripta eſt cuivis homini in communi & in omni ſingulari, prorſus ſicut voluntas, intellectus & actio, omnis finis ibi eſt voluntatis, omnis cauſa eſt intellectus, & omnis effectus eſt actionis; ſimiliter omnis finis eſt amoris, omnis cauſa per quam, eſt ſapientiæ, & omnis effectus inde eſt uſus; ratio eſt, quia amoris receptaculum eſt voluntas, & ſapientiæ receptaculum eſt intellectus, ac uſus receptaculum eſt actio; cum itaque operationes in communi & in ſingulari apud hominem progrediuntur a voluntate per intellectum in actum, ita etiam ex amore per ſapientiam in uſum; ſed per ſapientiam hic intelligitur omne id quod eſt judicii & cogitationis; quod illa tria unum ſint in effectu, patet; quod etiam unum faciant in ideis ante effectum, percipitur ex eo, quod ſolum determinatio intercedat; in mente enim abit finis a voluntate, ac producit ſibi cauſam in intellectu, ac ſiſtit ſibi intentionem, ac intentio eſt ſicut actus ante determinationem; inde eſt quod intentio a ſapiente, & quoque a Domino recipiatur ut actus. Quis rationalis non poteſt videre, aut, dum audit, agnoſcere, quod illa tria ab aliqua prima cauſa profluant, & quod illa cauſa ſit, quod a Domino Creatore & Conſervatore Univerſi continue procedant Amor, Sapientia & Uſus, & hæc tria ut unum: dicite, ſi poteſtis, unde alioquin.

401. Similis progreſſio a fine per cauſam in effectum, eſt quoque Sphæræ procreandi & tutandi procreata; finis ibi eſt Voluntas ſeu Amor procreandi, cauſa media per quam, & in quam finis ſe infert, eſt Amor conjugialis, ſeries progreſſiva cauſarum efficientium, eſt amatio, conceptio, geſtatio embryonis ſeu fætus procreandi, ac effectus eſt ipſe fætus procreatus: at tametſi finis, cauſa & effectus, progrediuntur ſucceſſive ut tria, uſque tamen in amore procreandi, ac intus in ſingulis cauſis, & in ipſo effectu, unum faciunt, ſunt modo cauſæ efficientes, quæ per tempora, quia in natura, progrediuntur, permanente jugiter eodem fine, ſeu voluntate, & amore; nam fines in natura progrediuntur per tempora abſque tempore, ſed non poſſunt prodire & prodere ſe antequam effectus ſeu uſus exiſtit & fit ſubjectum; antea non potuit amor ille amare niſi progreſſionem, non autem ſe firmare & figere. Quod periodi talium progreſſionum ſint, & per illas creationis conſervatio in ſtatu præviſo & proviſo, notum eſt. Series autem amoris infantum a maximo ad minimum ejus, ita ad terminum in quo ſubſiſtit aut deſinit, eſt retrograda, quoniam eſt ſecundum decreſcentiam innocentiæ in ſubjecto, & quoque propter periodos.

402.

402. XIII. Quod Amor infantum descendat, et non ascendat; hoc est, quod descendat a generatione in generationem, seu a filiis & filiabus ad nepotes & neptes, & quod non ab his ad patres & matres familias, ascendat, notum est; causa incrementi ejus in descensu est amor fructificandi seu producendi usus, & quoad Genus humanum, est Amor multiplicandi illud; sed hoc unice ducit originem ex Domino, quod Ipse in multiplicatione Generis humani spectet conservationem creationis, ac ut finem hujus ultimum, Cælum angelicum, quod unice est ex Genere humano; & quia Cælum Angelicum est finis finium, & inde amor amorum apud Dominum, ideo est animabus hominum implantatus non modo Amor procreandi, sed etiam amandi procreata in successionibus; inde etiam est, quod hic amor solum detur apud hominem, & non apud aliquam bestiam & avem. Quod hic Amor apud hominem descendat crescendo, est quoque ex gloria honoris, quæ similiter apud illum secundum amplificationes accrescit; quod Amor honoris & gloriæ recipiat in se amorem infantum influentem a Domino, & hunc faciat sicut suum, in Articulo sequente XVI. videbitur.

403. XIV. Quod alius status amoris uxoribus sit ante conceptionem, et alius status post illam usque ad partum. Hoc adducitur ob finem ut sciatur, quod Amor procreandi, & inde sequens Amor procreati sit insitus Amori conjugiali apud fæminas, & quod bini illi amores apud illam dividantur, dum finis, qui est Amor procreandi, inchoat suam progressionem: quod tunc ab uxore Amor storge transferatur in maritum, & quoque quod tunc Amor procreandi, qui apud fæminam unum facit cum amore conjugiali ejus, ut dictum est, non similis sit, ex pluribus indiciis patet.

404. XV. Quod Amor conjugialis cum amore infantum apud parentes conjungatur per causas spirituales et inde naturales. Causæ spirituales sunt, ut multiplicetur Genus humanum, & ex hoc amplificetur Cælum angelicum, & sic nascantur qui fient Angeli, inservientes Domino ad faciendum usus in Cælo, & per consociationem cum hominibus etiam in terris; unicuique enim homini a Domino associati sunt Angeli, cum quibus est talis conjunctio, ut si auferrentur, momento occumberet homo. Causæ naturales conjunctionis duorum illorum amorum sunt, ut nascantur qui in societatibus humanis ferant usus, ac ut illis incorporentur ut membra. Quod hæ naturales & illæ spirituales causæ amoris infantum & amoris conjugialis sint, etiam ipsi conjuges cogitant & quandoque declarant, dicendo, quod tot angelis quod prognatis locupletaverint Cælum, & quod Societatem tot ministris quot liberis insigniverint.

405. XVI. Quod Amor infantum alius sit apud conjuges spirituales, et alius apud naturales. Apud conjuges spirituales est Amor infantum quoad apparentiam similis amori infantum apud conjuges naturales, sed est interior & inde tenerior, quia Amor ille existit ex innocentia, & ex ejus propiore receptione, & sic præsentiore perceptione apud se, nam Spirituales tantum spirituales sunt, quantum ex innocentia ducunt. At vero patres & matres, postquam libaverunt dulcedinem innocentiæ apud suos infantes, a-

mant liberos suos prorsus aliter quam patres & matres naturales; Spirituales amant liberos ex intelligentia spirituali & vita morali illorum, ita illos ex timore Dei & ex pietate actuali seu vitæ, & simul ex affectione & applicatione ad usus Societati inservientes, ita ex virtutibus & bonis moribus, apud illos; ex horum amore principaliter illis necessitates prospiciunt & subministrant; quare si talia in illis non vident, abalienant animum ab illis, & solum ex debito pro illis aliquid agunt. Apud patres & matres naturales, est Amor infantum quidem etiam ex innocentia, sed hæc recepta ab illis obvolvitur circum amorem illorum proprium, & inde ex hoc & simul ex illa infantes amant, osculando, amplectendo, portando, admovendo pectoribus, & super omnem modum adblandiendo, & spectant illos sicut unum cor & unam animam secum; ac deinde post infantiæ illorum statum usque ad ephebatum & ultra, dum innocentia non amplius aliquid operatur, illos amant non ex aliquo timore Dei ac pietate actuali seu vitæ, nec ex aliqua intelligentia rationali & morali apud illos, ac parum & vix quicquam spectant ad affectiones internas illorum, & inde ad virtutes & bonos mores, sed solum ad externa, quibus favent; his amorem suum adjungunt, affigunt, & agglutinant; inde etiam occludunt oculos ad vitia illorum, excusantes illa & faventes illis: causa est, quia apud illos amor progeniei suæ, est quoque amor sui, & hic adhæret subjecto extrinsecus, ac non intrat in illud, sicut ipse nec in se.

406. Qualis est Amor infantum & Amor liberorum apud Spirituales, & qualis apud Naturales, evidenter perspicitur ex illis post mortem; plerique enim patres dum illuc veniunt, recordantur suorum liberorum, qui ante illos obiverunt, & quoque sistuntur præsentes, & agnoscunt se mutuo. Spirituales patres modo aspiciunt illos, & quærunt in quo statu sunt, & gaudent si illis bene est, & dolent si male; & post aliquam colloquutionem, instructionem & admonitionem de vita morali cælesti, separant se ab illis, ac ante separationem docent, quod non amplius recordandi sint ut Patres, quia Dominus est unicus Pater omnibus in Cælo, secundum Ipsius verba Matth. XXIII. 9. & quod illorum, ut liberi, nusquam recordentur. Patres autem naturales, ut primum animadvertunt se viventes post mortem, ac in memoriam suam revocant liberos, qui ante illos obiverunt, & quoque secundum votum desiderii sistuntur præsentes, illico conjunguntur, & cohærent sicut fasces colligati; ac tunc pater continue delectatur ex aspectu illorum, & ex colloquio cum illis: si dicitur patri, quod quidam ex liberis illis ejus sint satanæ, & quod intulerint noxas bonis, nihilominus continet illos in globo circum se, aut in caterva ante se; si videt ipse quod damnum inferant, & mala faciant, usque ad illa nihil attendit, nec dissociat aliquem a se; quare ne talis cohors damnosa persistat, ex necessitate delegantur simul in infernum, ac ibi pater ante liberos includitur custodiæ, ac liberi separantur, & quisque amandatur ad locum suæ vitæ.

407. His adjiciam hoc Mirabile; quod in Mundo Spirituali viderim patres, qui ex odio, & sicut furore aspexerant infantes oculis illorum oblatos, & tam feroci animo, ut si possent, illos necare vellent; ast ut primum illis

ex

ex mentito dictum est, quod ipsius infantes essent, illico tunc recessit furor & ferocitas, ac illos perdite amabant. Hic amor & illud odium simul est illis, qui in Mundo interius dolosi fuerant, ac infestaverant animum contra Dominum.

408. XVII. Quod ille Amor apud Spirituales sit ab interiori seu priori, apud Naturales autem ab exteriori seu posteriori. Cogitare & concludere ex interiori & priori, est ex finibus & causis ad effectus, at cogitare & concludere ab exteriori seu posteriori, est ex effectibus ad causas & fines; hæc progressio est contra ordinem, illa autem est secundum ordinem; nam cogitare & concludere a finibus & causis, est a bonis & veris in superiore regione mentis perspectis, ad effectus in inferiore; ipsa rationalitas humana a creatione talis est: at cogitare & concludere ab effectibus, est ab inferiore regione mentis, ubi sensualia corporis cum suis apparentiis & fallaciis sunt, augurari causas & fines, quod in se non aliud est, quam confirmare falsitates & concupiscentias, & has post confirmationem videre & credere esse sapientiæ veritates, & hujus amoris bonitates. Simile est cum Amore infantum & liberorum apud spirituales & naturales; Spirituales amant illos ex priori, ita secundum ordinem; Naturales autem amant illos ex posteriori, ita contra ordinem. Hæc adducta sunt duntaxat ad confirmationem Articuli præcedentis.

409. XVIII. Quod inde sit, quod ille Amor sit apud conjuges qui se mutuo amant, et quoque apud conjuges, qui se prorsus non amant; proinde apud naturales æque ac apud spirituales; his autem est Amor conjugialis, illis vero non est, nisi apparens & simulatorius. Quod usque Amor infantum & Amor conjugialis unum agant, est quia omni fæminæ a creatione implantatus est Amor conjugialis, & simul cum illo Amor procreandi, qui in sobolem procreatam determinatur & confluit, ac a fæminis infertur viris, ut supra dictum est: inde est, quod in domibus, in quibus non est Amor conjugialis inter virum & uxorem, usque tamen sit apud uxorem, & per illum aliqua conjunctio externa cum viro. Ex eadem hac causa est, quod etiam scorta ament suas progenies; nam id quod a creatione implantatum est animabus, & spectat propagationem, indelebile & inexstirpabile est.

410. XIX. Quod Amor infantum post mortem maneat, imprimis apud mulieres. Infantes ut primum exsuscitati sunt, quod fit statim post obitum, elevantur in Cælum, ac traduntur angelis, qui e sexu fæminino sunt, quæ in vita corporis sui in Mundo amaverunt infantes, & simul timuerunt Deum, hæ quia ex teneritudine materna omnes infantes amaverant, recipiunt illos sicut suos, ac infantes ibi sicut ex insito amant illas tanquam suas matres; totidem infantes sunt apud illas, quod ex spirituali storge desiderant. Cælum, ubi infantes sunt, apparet antrorsum in regione frontis, in linea seu radio, quo Angeli directe spectant Dominum; situs illius Cæli ibi est, quia omnes infantes sub immediato auspicio Domini educantur; influit etiam apud illos Cælum innocentiæ, quod est Cælum tertium: post ætatem hanc primam peractam, transferuntur in aliud Cælum, ubi instruuntur.

411. XX: QUOD INFANTES SUB AUSPICIO DOMINI PER ILLAS EDUCENTUR, AC STATURA ET INTELLIGENTIA CRESCANT SICUT IN MUNDO. Infantes in Cælo educantur hoc modo; a sua educatrice discunt loqui; loquela illorum prima est modo sonus affectionis, in quo tamen est aliquid initiale cogitationis, ex quo humanum in sono distinguitur a sono animalis; hæc loquela per gradus distinctior fit, sicut ideæ ex affectione cogitationem intrant; omnes illorum affectiones, quæ etiam crescunt, procedunt ab innocentia: illis insinuantur primum talia, quæ ante oculos apparent, & delectabilia sunt; quæ quia ex origine spirituali sunt, in illa influunt simul quæ Cæli sunt, per quæ aperiuntur interiora mentis illorum. Post hæc, infantes, sicut perficiuntur intelligentia, ita crescunt statura, ac spectantur etiam quoad hanc adultiores; causa est, quia intelligentia & sapientia est ipsa nutritio spiritualis, idcirco illa, quæ nutriunt mentes illorum, etiam ibi nutriunt corpora illorum. Sed infantes in Cælo non adolescunt ultra quam ad primam ætatem, & ibi subsistunt, & in illa manent in æternum: & cum in illa ætate sunt, dantur nuptui, quod providetur a Domino, & celebratur in Cælo ubi juvenis, qui mox sequitur uxorem in ejus cælum, vel in ejus domum, si in eadem societate sunt. Ut pro certo scirem, quod infantes sicut intelligentia etiam statura crescant & adolescant, datum est loqui cum quibusdam, dum infantes erant, & postea cum illis, cum adoleverant, ac visi sunt adolescentes in simili statura, in qua sunt adolescentes juvenes in Mundo.

412. Infantes instruuntur imprimis per Repræsentativa geniis illorum ad æquata & conformia, quæ quam pulchra & simul sapientiæ interioris plena sunt, in Mundo vix credi potest: binas Repræsentationes hic licet afferre, ex quibus concludi potest ad reliquas. Quondam repræsentabant Dominum e sepulchro ascendentem, & simul Humani Ipsius unitionem cum Divino; sistebant primum ideam sepulchri, sed non simul ideam Domini, nisi ita remote, ut vix perciperetur quod Dominus nisi quasi e longinquo, ex causa quia ideæ sepulchri inest aliquid funeris, quod sic removebant: postea admittebant prudenter in sepulchrum quoddam athmosphæricum, apparens usque ut tenue aqueum, quo significabant, etiam per remotionem decentem, vitam spiritualem in baptismo. Postea vidi repræsentatum ab illis Domini descensum ad vinctos, & ascensum cum vinctis in Cælum; &, quod infantile erat, funiculos fere inconspicuos, molliusculos, & tenerrimos demittebant, quibus Dominum allevarent in ascensu, semper in sancto timore, ne quicquam in repræsentativo tangeret aliquid, in quo non esset cæleste. Præter alias repræsentationes, per quas simul in cognitiones veri & affectiones boni, sicut per ludos animis infantum consentaneos, feruntur. Ad hæc & similia ducuntur infantes a Domino per Innocentiam transeuntem Cælum tertium, ac ita spiritualia insinuantur affectionibus & inde teneris cogitationibus illorum, ut infantes non sciant aliter, quam quod ipsi faciant & cogitent talia ex se, per quod intellectus illorum initiatur.

413. XXI: QUOD IBI A DOMINO PROVIDEATUR, UT APUD ILLOS INNOCENTIA INFANTIÆ FIAT INNOCENTIA SAPIENTIÆ. Multi autumare possunt, quod infan-

infantes maneant infantes, & fiant angeli, ſtatim poſt mortem; ſed intelligentia & ſapientia facit Angelum; quare quamdiu infantes illam non habent, ſunt quidem apud angelos, ſed non ſunt angeli; at tunc primum fiunt, quando intelligentes & ſapientes facti ſunt. Perducuntur itaque infantes ab innocentia infantiæ ad innocentiam ſapientiæ, hoc eſt, ab innocentia externa ad innocentiam internam; hæc innocentia eſt finis omnis inſtructionis & progreſſionis illorum; quare cum ad innocentiam ſapientiæ veniunt, adjungitur illis innocentia infantiæ, quæ illis interea inſerviverat pro plano. Repræſentatum vidi, qualis innocentia infantiæ eſt, per ligneum quid fere expers vitæ, quod vivificatur ſicut cognitiones veri ac affectiones boni imbuunt; & poſtea repræſentatum eſt, qualis eſt innocentia ſapientiæ, per infantem vivum & nudum; Angeli Cæli tertii, qui præ cæteris in ſtatu innocentiæ a Domino ſunt, coram oculis ſpirituum, qui infra Cælos ſunt, apparent ſicut infantes nudi, & quia præ reliquis ſapientes ſunt, etiam ſunt vivi; cauſa eſt, quia innocentia correſpondet infantiæ, & quoque nuditati; quare de Adamo & ejus uxore, cum in ſtatu innocentiæ fuerunt, dicitur, quod eſſent nudi & non erubuerint, at quod, poſtquam ſtatum innocentiæ perdiderant, erubuerint nuditatem, & ſe abſconderint, Geneſ. II: 25. Cap. III: 7. 10. 11: verbo, quo ſapientiores angeli ſunt, eo innocentiores. Qualis Innocentia ſapientiæ eſt, aliquatenus videri poteſt ex Innocentia infantiæ, ſupra n. 395 deſcripta, modo pro parentibus ibi aſſumatur Dominus ut Pater, a Quo ducuntur, & Cui omnia accepta ferunt.

414. De Innocentia loquutus ſum varia cum Angelis, & dixerunt, quod Innocentia ſit Eſſe omnis boni, & quod bonum tantum ſit bonum, quantum in illo eſt innocentia; & quia Sapientia eſt vitæ, & inde boni, quod ſapientia tantum ſit ſapientia, quantum ducit ex innocentia; ſimiliter amor, charitas, & fides; & quod inde ſit, quod nemo poſſit intrare Cælum, niſi ei innocentia ſit; & quod hoc intelligatur per hæc Domini verba ,, *Sinite infantes venire ad Me, ne prohibete eos; talium enim eſt Regnum cælorum: amen dico vobis, quicunque non receperit Regnum cælorum ut infans, non ingredietur in illud*"; Marc. X: 14, 15. Luc. XVIII: 16. 17: per infantes ibi, ut quoque alibi in Verbo, intelliguntur qui in innocentia ſunt. Cauſa quod bonum ſit bonum, quantum in eo eſt innocentia, eſt quia omne bonum eſt a Domino, ac innocentia eſt duci a Domino.

❀ ❀ ❀ ❀ ❀ ❀ ❀

415. His adjicietur hoc Memorabile. Quodam mane, cum evigilatus e ſomno, in luce matutina & ſerena ante plenam vigiliam meditans, vidi trans feneſtram ſicut fulmen micans, & mox audivi ſicut tonitru crepans; ac cum miratus ſum unde hoc, audivi e Cælo hæc, ſunt aliqui non procul a te, qui acriter ratiocinantur de Deo & de Natura; vibratio lucis ſicut fulguris, & crepor aeris ſicut tonitru, ſunt correſpondentiæ & inde apparentiæ pugnæ & colliſionis argumentorum, ab una parte pro Deo, & ab altera pro Natura; cauſa

causa hujus spiritualis pugnæ fuit hæc; erant aliqui Satanæ in Inferno, qui dixerunt inter se, utinam liceret nobis cum Angelis Cæli loqui, ac prorsus & plene demonstrabimus, quod Natura sit quam vocant Deum a quo sunt omnia, & sic quod Deus sit modo vox nisi intelligatur Natura: & quia Satanæ illi toto corde & tota anima id crediderunt, & quoque cupiverunt loqui cum Angelis Cæli, datum est illis ex luto ac e tenebris Inferni ascendere, & cum duobus Angelis tunc descendentibus e Cælo loqui; erant in Mundo Spirituum, qui inter Cælum & Infernum medius est. Satanæ ibi visis Angelis velociter accurrerunt, & furiosa voce clamabant; estis vos Angeli Cæli, cum quibus ratiocinando de Deo & de Natura licet congredi; vocamini sapientes quia agnoscitis Deum, sed oh quam simplices estis; quis videt Deum, quis intelligit quid Deus, quis capit quod Deus regat & regere possit universum ac omnia & singula ejus, quis nisi plebs & vulgus agnoscit quod non videt ac intelligit; quid exstantius est, quam quod Natura sit omne in omnibus, quis vidit aliud oculo quam naturam, quis audivit aliud aure quam naturam, quis odoravit aliud nare quam naturam, quis gustavit aliud lingua quam naturam, quis aliquo tactu manus & corporis sensit aliud quam naturam, suntne sensus corporis nostri soli testes veritatum; quis non potest ex illis jurare, quod ita sit; suntne capita vestra in natura, unde influxus in cogitationes capitum nisi ex illa, auferte illam, num potestis cogitare quicquam; præter plura similis farinæ alia. His auditis Angeli respondebant, vos ita loquimini quia estis mere sensuales, omnes in Infernis ideas cogitationum sensibus corporis habent immersas, nec possunt supra illos elevare mentes, quare nos ignoscimus vobis; vita mali & inde fides falsi occlusit interiora mentis vestræ, usque ut elevatio supra sensualia apud vos non dabilis sit, nisi in statu remoto a malis vitæ & a falsis fidei; nam Satanas æque ac Angelus potest intelligere verum cum id audit; sed non retinet, quia malum obliterat verum, ac inducit falsum: sed percipimus quod vos nunc sitis in statu remoto, & quod sic possitis intelligere verum quod loquimur, quare attendite ad hæc quæ dicemus, & dixerunt; fuistis in Mundo naturali, & obivistis ibi, & nunc estis in Mundo Spirituali; num prius quam nunc scivistis aliquid de vita post mortem, numne prius negavistis illam, & fecistis vos pares bestiis; num prius scivistis aliquid de Cælo & Inferno, num aliquid de luce & calore hujus Mundi; num de eo quod non amplius sitis intra naturam, sed supra illam, est enim hic Mundus & sunt omnia ejus spiritualia, ac spiritualia sunt supra naturalia, adeo ut ne quidem minimum naturæ possit in hunc Mundum influere; sed vos quia naturam credidistis Deum vel Deam, creditis etiam lucem & calorem hujus Mundi esse lucem & calorem Mundi naturalis, cum tamen ne hilum sit; nam lux naturalis hic est caligo, & calor naturalis hic est frigus: num scivistis aliquid de Sole hujus Mundi, ex quo nostra Lux & noster Calor procedunt; num scivistis quod hic Sol sit purus Amor, & Sol mundi naturalis sit purus ignis, & quod Sol mundi, qui est purus ignis, sit ex quo Natura exstitit & subsistit, & quod Sol cæli, qui est purus amor, sit ex quo ipsa Vita, quæ est amor cum sapientia, exstitit & subsistit; & sic quod Natura, quam facitis Deum vel Deam,

ſit plane mortua. Vos poteſtis, ſi cuſtodia datur, cum nobis aſcendere in Cælum, & nos poſſumus, ſi cuſtodia datur, cum vobis deſcendere in infernum, & videbitis in Cælo magnifica & ſplendida, at in Inferno ſquallida & immunda; diſcrimina illa ſunt, quia omnes in Cælis colunt Deum, & omnes in Infernis colunt Naturam; ac magnifica & ſplendida illa in Cælis ſunt correſpondentiæ affectionum boni & veri, ac ſquallida & immunda illa in Infernis ſunt correſpondentiæ cupiditatum mali & falſi; ex his & illis concludite nunc, num Deus vel num Natura ſit omne in omnibus: ad hæc Satanæ reſponderunt, in ſtatu, in quo nunc ſumus, poſſumus ex auditis concludere, quod Deus ſit, ſed cum jucundum mali occupat mentes noſtras, non videmus niſi Naturam. Duo illi Angeli & duo Satanæ non procul a me ad dextram ſtabant, quare illos vidi & audivi; & ecce vidi circum illos multos Spiritus, qui celebres eruditione in Mundo naturali fuerant, ac miratus ſum, quod Eruditi illi nunc ſtarent juxta Angelos, nunc juxta Satanas, & quod illis, juxta quos ſtabant, faverent; & dictum mihi eſt, quod mutationes ſitus illorum eſſent mutationes ſtatus illorum mentis faventis nunc parti uni nunc alteri, ſunt enim vertumni: & dicemus tibi myſterium, deſpeximus in terram ad celebres eruditione, qui ex ſuo judicio cogitaverunt de Deo & de Natura, & invenimus ſexcentos ex mille pro Natura, & reliquos pro Deo; at hos pro Deo, quia non ex aliquo intellectu, ſed modo ex auditis quod Natura ſit ex Deo, frequenter loquuti ſunt; ac frequens loquela ex memoria & reminiſcentia, & non ſimul ex cogitatione & intelligentia, infert ſpeciem fidei. Poſt hæc data eſt Satanis cuſtodia, & cum duobus Angelis aſcenderunt in Cælum, ac viderunt magnifica & ſplendida, & tunc in illuſtratione a luce Cæli ibi agnoverunt, quod Deus ſit, & quod Natura creata ſit ad inſerviendum vitæ, quæ in Deo & a Deo eſt; & quod Natura in ſe mortua ſit, & quod ſic a ſe nihil agat, ſed a vita agatur: his viſis & perceptis deſcendebant, & ſicut deſcendebant, rediit amor mali, & occluſit intellectum illorum ſupra, & aperuit illum infra, & tunc ſupra illum apparuit ſicut velamen fulgurans ex igne infernali: & actutum, cum pedibus tetigerunt terram, hiabat ſolum ſub illis, & relapſi ſunt ad ſuos.

416. Poſt hæc duo illi Angeli videntes me prope, dicebant ad circumſtantes de me, ſcimus quod hic vir de Deo & de Natura ſcripſerit, audiamus; & acceſſerunt & rogaverunt, ut illa quæ de Deo & de Natura ſcripta ſunt, coram illis legerentur, & legi inde hæc ſequentia. Illi qui credunt Divinam operationem in ſingulis naturæ, poſſunt ex permultis quæ in Natura vident, ſe confirmare pro Divino, æque, imo plus, quam illi qui ſe confirmant pro Natura: illi enim qui ſe confirmant pro Divino, attendunt ad mirabilia, quæ conſpiciuntur in Productionibus tam Vegetabilium quam Animalium. In PRODUCTIONIBUS VEGETABILIUM, quod ex ſeminulo jacto in terram exeat radix, per radicem caulis, ac ſucceſſive frondes, folia, flores, fructus, uſque ad nova ſemina; prorſus ſicut ſemen ſciret ordinem ſucceſſionis, aut proceſſum, quo ſe renovaturum ſit: quis rationalis cogitare poteſt, quod Sol, qui eſt purus ignis, hoc ſciat; aut quod poſſit indere calori ſuo & luci ſuæ, ut talia ef-

ficiat, tum quod possit formare mirabilia in illis, ac intendere usum: homo, cui Rationale elevatum est, cum illa videt & expendit, non potest aliter cogitare, quam quod sint ab Ipso, Cui Infinita Sapientia est, ita a Deo: illi qui agnoscunt Divinum, id quoque vident & cogitant; at illi qui non agnoscunt, id non vident & cogitant, quia non volunt, & sic demittunt Rationale suum in sensuale, quod omnes ideas suas trahit ex lumine, in quo sunt sensus corporis, ac fallacias illorum confirmat, dicendo, numne vides Solem per calorem suum & lucem suam hæc operantem, quid est id quod non vides, num est aliquid. Illi qui se confirmant pro Divino, attendunt ad mirabilia, quæ conspicuuntur in PRODUCTIONIBUS ANIMALIUM, ut hic solum memorem in Ovis, quod in illis lateat pullus in suo semine seu inchoamento cum omni requisito usque ad exclusionem, & quoque cum omni progressione post exclusionem, usque ut fiat avis aut volatile in forma genitoris; & si attendit ad formam, quod talis sit, ut non possit, si alte cogitat, quam venire in stuporem; ut quod in minimis illorum ut in maximis, imo in invisibilibus sicut in visibilibus, hoc est, in insectulis sicut in alitibus aut bestiis magnis, sint organa sensuum, quæ sunt visus, odoratus, gustus, tactus, tum organa motuum, quæ sunt musculi, volant enim & gradiuntur, ut & viscera circum corda & pulmones, quæ actuantur a Cerebris; quod vilia insecta etiam talibus gaudeant, notum est ab Anatome illorum a quibusdam descripta, imprimis a SWAMMERDAMO in ejus Bibliis Naturæ. Qui omnia Naturæ adscribunt, illi quidem vident talia, sed cogitant modo quod sint, & dicunt quod Natura producat; & hoc dicunt, quia averterunt mentem a cogitando de Divino, & qui averterunt se a cogitando de Divino, dum vident mirabilia in natura, non possunt rationaliter, minus spiritualiter, cogitare, sed cogitant sensualiter & materialiter, & tunc cogitant in natura ex natura, & non supra illam, similiter ut faciunt illi qui in Inferno sunt; solum cum differentia a bestiis, quod rationalitate polleant, hoc est, quod possint intelligere, & sic aliter cogitare si velint. Illi qui averterunt se a cogitando de Divino, cum vident mirabilia in Natura, & per id fiunt sensuales, non cogitant, quod visus oculi tam crassus sit, ut plura insectula videat sicut unum obscurum, & tamen quod unumquodvis eorum organizatum sit ad sentiendum, & ad se movendum, & sic quod præditum sit fibris & vasis, tum corculis, fistulis pulmonicis, viscerulis, ac cerebris, & quod hæc contexta sint ex purissimis in natura, & quod contextus illi correspondeant alicui vitæ, e qua minutissima eorum distincte aguntur. Cum visus oculi tam crassus est, ut plura talia, cum innumerabilibus in unoquovis, appareant ei sicut parvum obscurum, & tamen illi qui sensuales sunt, ex illo visu cogitant & judicant, patet quam incrassata est mens illorum, & inde in qua caligine sunt de spiritualibus.

417. Quisque ex visibilibus in Natura potest se confirmare pro Divino, si vult, & quoque se confirmat qui de Deo cogitat ex Vita; ut dum videt Volatilia Cæli, quod quælibet eorum species sciat sua alimenta, & ubi sunt; cognoscat ex sono & visu consocios; tum inter alios quinam eorum amici, & quinam inimici sunt, quod connubia jungant, congressus sciant, arte struant nidos;

nidos, ibi ponant ova, incubent illis, tempus incubatus sciant, quo exacto excludunt pullos, illos tenerrime amant, sub alis fovent, escas porrigunt & alunt; hoc usque dum sui juris fiunt & similia possunt agere, & procreare familiam ad perpetuandum genus. Omnis qui vult de influxu Divino per Mundum spiritualem in naturalem cogitare, potest illum in his videre, potest etiam si vult, corde suo dicere, tales scientiæ non possunt in illos influere ex Sole per ejus lucis radios; est enim Sol, ex quo Natura suum ortum & suam essentiam ducit, purus ignis, & inde radii lucis ejus prorsus mortui; & sic possunt concludere quod talia sint ex influxu Divinæ Sapientiæ in ultima naturæ.

418. Quisque ex visibilibus in Natura potest se pro Divino confirmare, dum videt vermes, qui ex jucundo cujusdam cupidinis affectant & spirant mutationem status sui terrestris in statum quendam analogum status cælestis, & propterea repunt in loca, ac mittunt se sicut uterum ut renascantur, & ibi fiant chrysallides, aureliæ, nymphæ, & demum papiliones, & cum hanc metamorphosin passi, & secundum speciem pulchris induti alis, evolant in aerem sicut in suum Cælum, ac ibi genialiter ludunt, agunt connubia, ponunt ova, ac prospiciunt sibi posteritatem; & tunc victu amæno & dulci ex floribus se nutriunt. Quis non qui pro Divino ex visibilibus naturæ se confirmat, non videt aliquam imaginem terrestris status hominis in illis ut vermibus, & imaginem status cælestis in illis ut papilionibus: at illi qui pro natura se confirmant, vident quidem illa, sed quia cælestem hominis statum rejecerunt ex animo, vocant illa meros naturæ instinctus.

419. Quisque ex visibilibus in Natura pro Divino se potest confirmare, dum attendit ad illa quæ nota sunt de Apibus, quod sciant ex herbis & floribus colligere ceram, & exsugere mel, ac struere cellas sicut domunculas, & disponere illas in formam civitatis cum plateis, per quas intrent & per quas exeant; quod e longinquo odorent flores & herbas, e quibus colligant ceras pro domo, & mella pro victu, & quod illis referti revolent secundum plagam ad suum alveare; sic prospiciunt sibi victum & habitationem pro ventura hyeme, sicut illam scirent & prævidérent; præficiunt etiam sibi dominam sicut reginam, ex qua posteritas propagetur; & pro illa quasi aulam supra struunt, cum satellitiis circum, quæ cum tempus partus instat, vadit in comitatu a satellitiis a cellula in cellulam, & ponit ova, quæ turba sequens circumlinit ne lædantur ab aere; inde illis nova soboles: postea cum hæc ad ætatem suam provecta est, ut similia possint facere, expellitur domo; ac expulsum examen se primum colligit, & inde in turma, ne consociatio dissipetur, dein evolat ad evestigandum sibi domicilium: circa autumnum etiam inutiles fuci educuntur, & deprivantur alis, ne redeant, & escas suas, quibus nihil operæ impenderunt, consumant, præter plura: ex quibus constare potest, quod illis propter usum, quem præstant Humano Generi, ex influxu e spirituali Mundo sit forma regiminis qualis est apud homines in terris, imo apud Angelos in Cælis: quis cui ratio illibata est, non videt, quod talia apud illos non sint ex Naturali Mundo; quid Sol, a quo natura est, commune habet cum regimine æmulo & analogo regiminis cælestis. Ex his & similibus apud Animalia bruta,

confessor & cultor naturæ confirmat se pro natura, cum confessor & cultor Dei ex iisdem se confirmat pro Divino; nam spiritualis homo videt spiritualia in illis, & naturalis homo videt naturalia in illis, ita quisque qualis est. Quod me attinet, talia mihi fuerunt testimonia influxus spiritualis in naturale, seu Mundi spiritualis in Mundum naturalem, ita a Divina Sapientia Domini. Expende etiam, num de aliqua forma regiminis, aut de aliqua lege civili, aut de aliqua virtute morali, aut de aliqua veritate spirituali, potes analytice cogitare, nisi Divinum ex Sapientia sua per Mundum Spiritualem influat, quod ad me, non potui, nec possum; animadverti enim perceptibiliter & sensibiliter influxum illum nunc per 25 Annos continue; quare hoc dico ex testato.

420. Num Natura pro fine potest habere usum, ac disponere usus in ordines & formas; hoc non potest nisi quam Sapiens; ac Universum ita ordinare & formare, non potest nisi Deus, Cui Infinita Sapientia est; quis alius potest prævidere & providere omnia illa quæ victus & amictus sunt hominibus, victus ex fructibus terræ & ex animalibus, ac vestitus ex iisdem. Inter mirabilia est, quod viles illi vermes, qui vocantur bombyces, serico vestirent & magnifice ornarent & fæminas & viros a Reginis & Regibus usque ad ancillas & famulos: & quod viles vermes, qui sunt apes, suppeditarent ceras pro luminaribus, ex quibus Templa & Aulæ in splendore sunt. Hæc & plura sunt auctoramenta exstantia, quod Dominus a Se per Mundum Spiritualem operetur omnia quæ in Natura sunt.

421. His adjiciendum est, quod in Mundo spirituali visi sint illi, qui pro natura ex visibilibus Mundi se confirmaverunt, usque ut athei facti sint, & quod intellectus eorum in luce spirituali apparuerit apertus infra, sed clausus supra, ex causa, quia cogitatione spectarunt deorsum ad terram, & non sursum ad Cælum: supra sensuale, quod est infimum intellectus, apparuit sicut velamen, apud quosdam fulgurans ex igne infernali, apud quosdam atrum sicut fuliginis, & apud quosdam lividum sicut cadaveris. Caveat itaque quisque sibi a confirmationibus pro natura, confirmet se pro Divino, non deest supellex.

422. Ignoscendi quidem sunt aliqui, quod Naturæ adscripserint quædam visibilia, ex causa, quod non sciverint aliquid de Sole Mundi spiritualis, ubi est Dominus, & de influxu inde; nec aliquid de illo Mundo, & ejus statu, imo nec de præsentia ejus apud hominem; & quod inde non aliter cogitare potuerint, quam quod spirituale esset purius naturale; & sic quod Angeli essent vel in æthere, vel in stellis; tum de Diabolo, quod vel esset hominis malum, vel si actualiter existeret, esset vel in aere, vel in profundis; tum quod animæ hominum post mortem vel essent in intimo terræ, vel in aliquo ubi seu pu usque ad diem judicii; & similia alia, quæ phantasia induxit ex ignorantia Mundi spiritualis & ejus Solis: hæc causa est quod ignoscendi sint, qui crediderunt quod Natura producat visibilia ex insito a creatione: sed usque illi, qui per confirmationes pro natura se atheos fecerunt, non ignoscendi sunt, quia potuerunt se confirmare pro Divino; ignorantia quidem excusat, sed non tollit falsum confirmatum, nam hoc falsum cohæret cum malo, ac malum cum Inferno.

VOLUPTATES INSANIÆ

DE

AMORE SCORTATORIO.

De Oppositione Amoris Scortatorii & Amoris Conjugialis.

„ 423. IN limine hoc, primo aperiendum est, quid in hoc „ Capite per Amorem scortatorium intelligitur; non „ intelligitur Amor fornicatorius, qui præcedit con- „ jugium, nec qui sequitur illud post mortem con- „ jugis; nec Concubinatus, qui ex Causis legiti- „ mis, justis, & fonticis, initur; nec intelliguntur „ Genera mitia Adulterii, nec Genera gravia ejus, „ a quibus homo actualiter resipiscit, nam hæc non opposita fiunt, & illa non „ opposita sunt Amori conjugiali; quod non opposita sint, videbitur in se- „ quentibus, ubi de Unoquovis transigetur. Sed per Amorem scortatorium „ oppositum Amori conjugiali hic intelligitur Amor adulterii, dum talis est, „ ut non reputetur pro peccato, nec pro malo & inhonesto contra rationem, „ sed pro licito cum ratione: hic Amor scortatorius amorem Conjugialem non „ modo eundem secum facit, sed etiam pessumdat, destruit, & tandem „ nauseat. De hujus amoris oppositione contra amorem conjugialem in hoc „ Capite agitur; quod non de alio, constare potest ex sequentibus de Forni- „ catione, de Concubinatu, & de variis generibus Adulterii". Sed Oppositio illa, ut coram visu rationali pateat, demonstranda est in hac serie. I. *Quod non sciatur qualis est Amor scortatorius, nisi scitur qualis est Amor conjugialis.* II. *Quod Amor scortatorius sit oppositus amori conjugiali.* III. *Quod Amor scortatorius sit oppositus Amori conjugiali, sicut naturalis ho-*

mo in se spectatus est oppositus spirituali homini. IV. *Quod Amor scortatorius sit oppositus Amori conjugiali, sicut connubium mali & falsi est oppositum conjugio boni & veri.* V. *Quod inde Amor scortatorius sit oppositus Amori conjugiali, sicut Infernum est oppositum Cælo.* VI. *Quod immundum Inferni sit ex Amore scortatorio, & quod mundum Cæli sit ex Amore conjugiali.* VII. *Quod similiter immundum in Ecclesia, & mundum ibi.* VIII. *Quod Amor scortatorius plus & plus faciat hominem non hominem & non virum, & quod Amor conjugialis faciat hominem plus & plus hominem & virum.* IX. *Quod sit Sphæra amoris scortatorii, & Sphæra amoris conjugialis.* X. *Quod Sphæra amoris scortatorii ascendat ex Inferno, & quod Sphæra amoris conjugialis descendat e Cælo.* XI. *Quod binæ illæ Sphæræ sibi mutuo obvient in utroque Mundo, sed non se conjungant.* XII. *Quod inter binas illas sphæras æquilibrium sit, & quod homo in illo sit.* XIII. *Quod homo se convertere possit ad quam libet, sed quod quantum se convertit ad unam, tantum avertat se ab altera.* XIV. *Quod utraque sphæra secum ferat jucunditates.* XV. *Quod jucunditates amoris scortatorii incohoent a carne, & quod sint carnis etiam in spiritu; sed quod jucunditates amoris conjugialis inchoent in spiritu, & quod sint spiritus etiam in carne.* XVI. *Quod jucunditates amoris scortatorii sint voluptates insaniæ, at quod jucunditates amoris conjugialis sint delitiæ sapientiæ.* Sequitur nunc horum Explicatio.

424. I. Quod non sciatur qualis est Amor scortatorius, nisi scitur qualis est Amor conjugialis. Per amorem scortatorium intelligitur Amor adulterii qui destruit amorem conjugialem, ut supra n. 423. Quod non sciatur qualis est Amor ille scortatorius, nisi scitur qualis est Amor conjugialis, non eget demonstrare, sed modo illustrare per similitudines; ut, quis potest nosse quid malum & falsum, nisi scit quid bonum & verum; & quis novit quid incastum, inhonestum, indecorum, & impulchrum, nisi scit quid castum, honestum, decorum, & pulchrum; & quis potest discernere insanias, nisi qui sapiens est, aut scit quid sapientia; tum quis potest rite percipere stridores disharmonicos, nisi qui doctrina & studio hausit numeros harmonicos; similiter quis potest perspicere quale est adulterium, nisi perspexerit quale est conjugium; & quis potest judicio sistere spurcitiem voluptatum amoris scortatorii, nisi qui prius judicio suo stitit munditiem amoris conjugialis: nunc quia absolvi Delitias sapientiæ de Amore conjugiali, ex intelligentia inde acquisita possum Voluptates de Amore scortatorio describere.

425. II. Quod Amor Scortatorius sit oppositus Amori conjugiali. Non datur in Universo aliquid, cui non est suum oppositum, ac opposita non sunt inter se relativa, sed sunt contraria; relativa sunt inter maximum & minimum ejusdem rei, sed contraria sunt ex opposito contra illa, & hæc inter se sunt relativa, sicut illa inter se, quare etiam ipsæ relationes sunt oppositæ. Quod omnibus & singulis sint sua opposita, patet a luce, calore, temporibus Mundi, affectionibus, perceptionibus, sensationibus, & pluribus aliis; Lucis oppositum est caligo, Caloris oppositum est frigus, Temporum Mundi opposita sunt dies & nox, æstas & hyems; Affectionum opposita sunt gaudia & luctus, ac lætitiæ & tristitiæ, Perceptionum opposita sunt bona & mala, ac vera & falsa, & Sensationum opposita sunt jucunda & injucunda: inde in omni

omni evidentia concludi potest, quod Amori conjugiali sit suum oppositum; quod hoc sit adulterium, unusquisque potest, si vult, ex omnibus sanæ rationis dictaminibus videre; dicite, si potestis, quid aliud ejus oppositum est; accedit, quoniam sana ratio ex sua luce hoc manifeste videre potuit, ideo illa sancivit leges, quæ vocantur justitiæ civiles, pro Conjugiis, & contra Adulteria. Ut adhuc exstantius pateat, quod opposita sint, licet referre, quod sæpius in Mundo spirituali vidi; quando illi qui in Mundo naturali ex confirmato adulteri fuerunt, percipiunt sphæram amoris conjugialis defluentem e Cælo, actutum vel aufugiunt in cavernas & se abscondunt, vel si obstinant se contra illam, exacerbantur furore, & fiunt sicut furiæ; quod ita fiat, est quia omnia affectionum jucunda & injucunda percipiuntur ibi, & quandoque tam clare, sicut odor percipitur olfactu, non enim est illis materiale corpus quod talia absorbet. Quod autem oppositio amoris scortatorii & amoris conjugialis a multis in Mundo naturali ignoretur, est ex jucundis carnis, quæ apparenter æmulantur jucunda Amoris conjugialis in extremis, & illi qui in solis jucundis sunt, non sciunt aliquid de oppositione illa; ac possum autumare, quod si dixeris, quod unicuique rei sit suum oppositum, & concluseris, quod etiam Amori conjugiali sit suum, adulteri responsuri sint, quod illi Amori non oppositum sit, quia Amor scortatorius nullo sensu se discriminat ab illo; ex quo etiam patet, quod qui non scit, qualis est Amor conjugialis, non sciat qualis est Amor Scortatorius; & adhuc quod ex Amore scortatorio non sciatur qualis est Amor conjugialis, sed ex hoc ille; nemo scit bonum ex malo, sed malum ex bono; malum enim in caligine est, bonum autem in luce.

426. III. Quod Amor Scortatorius sit oppositus Amori conjugiali, sicut Naturalis homo in se spectatus est oppositus Spirituali homini. Quod Homo naturalis & spiritualis sint sibi oppositi, usque ut unus non velit quod alter, imo quod inter se pugnent, in Ecclesia notum est, sed usque nondum explanatum; quid ergo discriminat Spiritualem & Naturalem, & excitat hunc contra illum, dicetur: Naturalis homo est, in quem unusquisque, dum adolescit, primum introducitur, quod fit per scientias & cognitiones, ac per rationalia intellectus; at Spiritualis homo est, in quem ille introducitur per Amorem faciendi usus, qui amor etiam vocatur Charitas; quare quantum quis in hac est, tantum est Spiritualis, at quantum non in hac est, tantum est Naturalis, etiam si foret perspicax ingenio & sapiens judicio: quod hic homo, qui vocatur naturalis, separatus a spirituali, utcunque se elevat in lucem rationis, usque solvat se in libidines, & illis operetur, patescit ex solo ejus genio, quod charitatis expers sit, & qui hujus expers est, ille dissolutus est ad omnes lascivias amoris scortatorii; quapropter cum illi dicitur, quod libidinosus hic Amor sit oppositus casto Amori conjugiali, & rogatur ut consulat lumen suum rationale, usque non consulit lumen illud nisi in conjunctione cum jucundo mali a nativitate insiti Naturali homini, ex quo facit conclusum, quod ratio sua non videat aliquid contra dulces sensitivas illecebras sui corporis; in quibus postquam confirmavit se, stupet ejus ratio ad omnia illa dulcia, quæ de Amore conjugiali prædicantur; imo, sicut supra dictum est,

pugnat

pugnat contra illa, ac vincit, & ſicut victor poſt ſtragem deſtruit ab extremis ad intima, caſtra Amoris conjugialis apud ſe: hæc facit naturalis homo ex Amore ſuo ſcortatorio. Hoc traditur, ut ſciatur, unde eſt duorum illorum amorum oppoſitio; nam, ut prius multis oſtenſum eſt, Amor conjugialis in ſe ſpectatus eſt Amor ſpiritualis, & Amor ſcortatorius in ſe ſpectatus eſt Amor naturalis.

427. IV. QUOD AMOR SCORTATORIUS SIT OPPOSITUS AMORI CONJUGIALI, SICUT CONNUBIUM MALI ET FALSI EST OPPOSITUM CONJUGIO BONI ET VERI. Quod origo amoris conjugialis ſit ex conjugio boni & veri, ſupra in ſuo Capite, a n. 83 ad 102, demonſtratum eſt; inde ſequitur quod origo amoris ſcortatorii ſit ex connubio mali & falſi, & quod inde oppoſiti ſint, ſicut malum oppoſitum eſt bono, ac falſum mali vero boni; ſunt jucunda utriuſque amoris, quæ ita oppoſita ſunt, nam Amor abſque ſuis jucundis non eſt aliquid. Quod hæc ſibi ita oppoſita ſint, prorſus non apparet; quod non appareat, eſt quia jucundum Amoris mali in externis mentitur jucundum Amoris boni; ſed in internis jucundum amoris mali conſiſtit ex meris concupiſcentiis mali, ipſum malum eſt harum conglobata congeries ſeu glomus; at jucundum amoris boni conſiſtit ex innumeris affectionibus boni, ipſum bonum eſt harum ſicut counitus faſcis; hic faſcis & ille glomus ab homine non ſentitur niſi ſicut unum jucundum, & quia jucundum mali in externis mentitur jucundum boni, ut dictum eſt, ideo etiam jucundum adulterii ſicut jucundum conjugii; ſed poſt mortem, dum quiſque deponit externa, ac nudantur interna, tunc ad ſenſum patet, quod malum adulterii ſit glomus concupiſcentiarum mali, & quod bonum conjugii ſit faſcis affectionum boni; ita quod ſibi prorſus oppoſita ſint.

428. Quod ipſum connubium mali & falſi ſpectat, noſcatur, quod malum amet falſum, ac velit ut ſecum unum ſit, & quoque ſe conjungunt; ſimiliter ut bonum amat verum, ac vult ut ſecum unum ſit, & quoque ſe conjungunt; ex quo patet, quod ſicut ſpiritualis origo conjugii eſt conjugium boni & veri, ita ſpiritualis origo adulterii ſit connubium mali & falſi; inde eſt, quod hoc connubium per adulteria, ſcortationes & meretricatus, in ſenſu Verbi ſpirituali intelligatur, videatur APOCALYPSIS REVELATA, n. 134. Ex hoc principio eſt, quod qui in malo eſt & nubit falſo, & qui in falſo eſt & ducit malum in conſortium ſui thalami, ex juncto fædere confirmet adulterium, & committat illud quantum audet & valet; confirmat illud ex malo per falſum, & committit illud ex falſo per malum; & quoque viciſſim, quod qui in bono eſt, & nubit vero, aut qui in vero eſt, & ducit bonum in conſortium thalami ſecum, contra adulterium, & pro conjugio ſe confirmet, ac beatam conjugialem vitam amplectatur.

429. V. QUOD INDE AMOR SCORTATORIUS SIT OPPOSITUS AMORI CONJUGIALI, SICUT INFERNUM EST OPPOSITUM CÆLO. Omnes qui in Inferno ſunt, in connubio mali & falſi ſunt, & omnes qui in Cælo ſunt, in conjugio boni & veri ſunt; & quia connubium mali & falſi, eſt quoque adulterium, ut nunc ſupra n. 427-428, oſtenſum eſt, eſt infernum etiam illud; inde eſt, quod omnes ibi in libidine, laſcivia; & impudicitia amoris ſcortatorii ſunt, ac caſta

&

& pudica amoris conjugialis fugiant & exhorreant, videatur supra n. 428. Ex his videri potest, quod bini illi amores, scortatorius & conjugialis, sibi oppositi sint, sicut infernum est cælo, ac cælum inferno.

430. VI. QUOD IMMUNDUM INFERNI SIT EX AMORE SCORTATORIO, ET QUOD MUNDUM CÆLI SIT EX AMORE CONJUGIALI. Totum infernum scatet immunditiis, & harum universalis origo est impudicus & obscænus Amor scortatorius, in tales vertuntur jucunda ejus: quis potest credere, quod omne jucundum amoris, in Mundo Spirituali sistatur sub variis speciebus videndum, sub variis odoribus sentiendum, & sub variis formis bestiarum & avium conspiciendum: Species, sub quibus in inferno jucunda lasciviosa amoris scortatorii sistuntur videnda, sunt stercora & cœna; Odores, per quos illa sistuntur sentienda, ibi sunt putores & nidores: & Formæ bestiarum & avium, sub quibus illa ibi sistuntur conspicienda, sunt sues, serpentes, aves ochim & tziim vocatæ. Vice versa autem jucunda casta amoris conjugialis in Cælo; Species, sub quibus illa ibi sistuntur videnda, sunt horti & campi floriferi; Odores, per quos illa ibi sistuntur sentienda, sunt redolentiæ ex fructibus & fragrantiæ ex floribus; & formæ animalium, sub quibus illa ibi sistuntur conspicienda, sunt agni, hædi, turtures & aves paradisiacæ. Quod jucunda amorum in talia & similia vertantur, est quia cuncta, quæ in Mundo Spirituali existunt, sunt correspondentiæ; in has vertuntur interna mentium illorum, dum transeunt & fiunt externa coram sensibus. At sciendum est, quod sint innumerabiles varietates immunditiarum, in quas lasciviæ scortationum, dum in suas correspondentias abeunt, vertuntur; & varietates sunt secundum genera & species illarum, quæ videantur in sequentibus, ubi agitur de Adulteriis & illorum gradibus; ast a jucundis amoris illorum, qui resipuerunt, non tales immunditiæ exeunt, quia in Mundo ab illis lavati sunt.

431. VII. QUOD SIMILITER IMMUNDUM IN ECCLESIA, ET MUNDUM IBI: Causa est, quia Ecclesia est Regnum Domini in terris correspondens Regno Ipsius in Cælis; & quoque Dominus conjungit illa, ut faciant unum; distinguit etiam illos qui ibi sunt, sicut distinguit Cælum & Infernum, & distinguit secundum amores; illi, qui in impudicis & obscænis jucundis amoris scortatorii sunt, adsciscunt ad se similes ex Inferno; at illi, qui in pudicis & castis jucundis amoris conjugialis sunt, a Domino associantur angelis similibus e Cælo: hi Angeli illorum, dum apud hominem adstant adulteris ex confirmato & proposito, sentiunt graveolentia illa, de quibus supra n. 430, & paulum recedunt. Propter correspondentiam spurcorum amorum cum stercoribus & cænis, mandatum est filiis Israelis „ Ut clavum apud se ferrent, quo tegerent excrementum suum, ne Jehovah Deus ambulans in medio Castrorum illorum videret nuditatem rei, & reverteretur, Deutr. XXIII. 14, 15. hoc mandatum est, quia castra filiorum Israelis repræsentabant Ecclesiam, ac immunda illa correspondebant lascivis scortationum; & per Jehovam Deum ambulantem in medio castrorum illorum significabatur præsentia Ipsius cum angelis; quod tegerent, erat causa, quia tecta & occlusa sunt omnia illa loca in inferno, ubi catervæ talium degunt, quare etiam dicitur, ne nuditatem

rei videat; quod omnia loca in Inferno occlusa sint, datum est videre, & quoque quod cum aperirentur, quod factum est, cum novus dæmon intrabat, tale graveolentum inde exhalatum sit, ut gravedine infestaret ventrem meum; & quod mirabile est, putores illi sunt illis ita jucundi sicut stercora sunt porcis. Ex his patet, quomodo intelligendum est, quod immundum in Ecclesia sit ex Amore scortatorio, & quod mundum ibi sit ex amore conjugiali.

432. VIII. Quod Amor scortatorius plus et plus faciat hominem non hominem et virum non virum, et quod Amor conjugialis faciat hominem plus et plus hominem et virum. Quod Amor conjugialis faciat hominem, illustrant & confirmant omnia & singula, quæ in Prima Parte de Amore & ejus sapientiæ delitiis, in luce coram ratione demonstrata sunt, ut 1. Quod ille qui in Amore vere conjugiali est, plus & plus spiritualis fiat, & quo plus aliquis spiritualis est, eo plus homo est. 2. Quod plus & plus sapiens fiat, & quo plus aliquis sapiens est, eo plus est homo. 3. Quod apud illum plus & plus aperiantur interiora mentis, usque ut videat aut intuitive agnoscat Dominum, & quo plus aliquis in illo visu aut in illa agnitione est, eo plus est homo: 4. Quod plus & plus moralis & civilis fiat, quia anima spiritualis moralitati & civilitati ejus inest, & quo plus aliquis moraliter civilis est, eo plus est homo. 5. Quod etiam post mortem fiat Angelus cæli, ac Angelus est essentia & forma homo, & quoque genuinum humanum in facie ejus, ex loquela & ex moribus ejus elucescit: & his constat, quod Amor conjugialis faciat hominem plus & plus hominem. Quod contrarium sit cum Adulteris, ex ipsa oppositione adulterii & conjugii, de qua in hoc Capite actum est & agitur, sequitur evictum, ut 1. Quod non spirituales sint, sed summe naturales; ac naturalis homo separatus a spirituali, est solum homo quoad intellectum, non autem quoad voluntatem, hanc immergit corpori & concupiscentiis carnis, & illis horis etiam comitatur illam intellectus; quod hic non sit nisi quam dimidius homo, ipse ex ratione intellectus sui, si elevat illam, videre potest. 2. Quod Adulteri non sapientes sint, nisi in loquelis, & quoque in gestibus, quando in consortio cum eminentibus dignitate, cum inclutis eruditione, & cum moratis sunt, at quod soli apud se insaniant, nauci pendendo Divina & sancta Ecclesiæ, & conspurcando moralia vitæ impudicis & incastis, in Capite de adulteriis, evincetur; quis non videt, quod tales gesticulatores, sint modo quoad externam figuram homines, & quoad internam formam non homines. 3. Quod Adulteri plus & plus non homines fiant, autopsia ex visis illis in inferno, mihi pro evidente confirmatione inservivit; sunt enim ibi dæmones, qui dum apparent in luce cæli, sunt facies illorum sicut pustulæ, corpora illorum sicut gibbi, loquelæ illorum sunt scabræ, & gestus scenici. „ At sciendum est, quod tales sint Adulteri ex „ proposito & ex confirmato; non autem adulteri ex non consulto; nam „ sunt quatuor genera adulterorum, de quibus in Capite de adulteriis & ejus „ gradibus; Adulteri ex proposito, sunt qui ex libidine voluntatis; Adulteri „ ex confirmato, sunt qui ex persuasione intellectus; Adulteri ex consulto, „ sunt qui ex illecebris sensuum; & Adulteri ex non consulto, sunt qui non

„ in

„ in facultate, aut non in libertate, consulendi intellectum sunt. Duo priora „ Adulterorum genera sunt, qui plus & plus non homines fiunt; at duo po- „ steriora genera fiunt homines, sicut recedunt ab erroribus illis, & postea „ sapiunt".

433. Quod Amor conjugialis faciat hominem plus virum, etiam illustrant illa, quæ in præcedente Parte de Amore conjugiali & ejus delitiis allata sunt, quæ sunt, 1. Quod facultas & virtus, quæ vocatur virilis, comitetur sapientiam sicut hæc animatur ex spiritualibus Ecclesiæ, & quod inde insit Amori conjugiali; & quod sapientia hujus amoris venam a fonte ejus in anima aperiat, & sic vitam intellectualem, quæ est ipsa vita masculina, evigoret & quoque beet perennitate. 2. Quod inde sit, quod Angeli cæli in hac sint in æternum, secundum effata oris illorum, in MEMORABILI, n. 355. 356: quod etiam in perdurante efficacia fuerint Antiquissimi in Sæculis, aureo & argenteo, quia dilexerunt amatoria uxorum suarum, & perhorruerunt amatoria scortorum, audivi ex ore illorum, videantur MEMORABILIA, n. 75. 76. Quod spiritualis illa sufficientia etiam in naturali, nec defutura sit hodie illis, qui Dominum adeunt, & adulteria ut infernalia abominantur, e Cælo mihi dictum est. Contrarium autem contingit Adulteris ex proposito, & Adulteris ex confirmato, de quibus mox supra n. 432 fin. quod apud hos facultas & virtus, quæ vocatur virilis, devigoretur usque ad nullam, & post illam inceptet frigus etiam ad sexum, & quod post hoc sequatur fastidiosum quid quod spectat ad nauseam, notum est tametsi parum evulgatum: quod tales sint illi Adulteri in inferno, a sirenibus, quæ sunt obsoletæ veneris libidines, & quoque a lupariis ibi, e longinquo audivi. Ex his cluit, quod Amor scortatorius faciat hominem plus & plus non hominem & non virum; & quod Amor conjugialis faciat hominem plus & plus hominem & virum.

434. IX: QUOD SIT SPHÆRA AMORIS SCORTATORII, ET SPHÆRA AMORIS CONJUGIALIS. Quid intelligitur per Sphæras, & quod multiplices sint, & quod illæ quæ sunt Amoris & Sapientiæ, procedant a Domino, & per Cælos Angelicos descendant in Mundum, & hunc pervadant usque ad ultima ejus, supra n. 222 ad 226, & n. 386 ad 397, ostensum est. Quod non detur in Universo aliquid, cui non est suum oppositum, videatur supra n. 425; ex hoc sequitur, quod quia datur Sphæra amoris conjugialis, etiam detur Spæra ei opposita, quæ vocatur Sphæra amoris scortatorii: sunt enim illæ Sphæræ sibi oppositæ, sicut est amor adulterii oppositus amori conjugii; de qua oppositione in præcedentibus hujus Capitis actum est.

435. X: QUOD SPHÆRA AMORIS SCORTATORII ASCENDAT EX INFERNO, ET QUOD SPHÆRA AMORIS CONJUGIALIS DESCENDAT E CÆLO. Quod Sphæra amoris conjugialis descendat e Cælo, in citatis locis nunc supra, n. 434, ostensum est; quod autem Sphæra amoris scortatorii ascendat ex inferno, est quia hic amor est inde, n. 429: ascendit illa sphæra inde ex immundis, in quæ vertuntur jucunda adulterii illorum, qui ex utroque sexu ibi sunt, de quibus videatur supra n. 430. 431.

436. XI: QUOD BINÆ ILLÆ SPHÆRÆ SIBI OBVIENT IN UTROQUE MUNDO,

SED NON SE CONJUNGANT. Per utrumque Mundum intelligitur Mundus spiritualis & Mundus naturalis; in Mundo spirituali obviant sibi Sphæræ illæ in Mundo spirituum, quia hic est medius inter Cælum & Infernum; at in Mundo naturali obviant sibi in Plano rationali apud hominem, quod etiam est medium inter Cælum & Infernum; influit enim in illud e superiori conjugium boni & veri; ac influit in illud ab inferiori conjugium mali & falsi, hoc influit per Mundum, illud autem per Cælum: inde est, quod Rationale humanum se vertere possit ad utramlibet partem, & recipere influxum; si ad bonum, recipit illum e superiori, & tunc formatur Rationale ejus plus est plus ad receptionem Cæli; at si se vertit ad malum, recipit influxum illum ab inferiori, & tunc formatur Rationale ejus, plus & plus ad receptionem Inferni. Quod binæ illæ Sphæræ se non conjungant, est quia oppositæ sunt, ac oppositum in oppositum non aliter agit, quam sicut hostes, quorum unus flagrans internecino odio aggreditur alterum ex furore, alter vero in nullo odio est, sed solum in zelo se tutandi: ex quibus patet, quod binæ illæ Sphæræ modo sibi obvient, sed non se conjungant. Interstitium medium, quod faciunt, est ab una parte ex malo non falsi & ex falso non mali, & ab altera parte ex bono non veri & ex vero non boni, quæ duo se quidem possunt contingere, sed usque non conjungere.

437. XII: QUOD INTER BINAS ILLAS SPHÆRAS ÆQUILIBRIUM SIT, ET QUOD HOMO IN ILLO SIT. Æquilibrium inter illas est æquilibrium spirituale, quia est inter bonum & malum, ex hoc æquilibrio est homini liberum arbitrium; in hoc & per hoc homo cogitat & vult, & inde loquitur & agit sicut ex se; Rationale ejus in optione & electione est num velit recipere bonum, sive velit recipere malum, proinde sive velit rationaliter ex libero se disponere ad amorem conjugialem, sive velit rationaliter ex libero se disponere ad amorem scortatorium; si ad hunc, vertit occipitium & tergum ad Dominum; si ad illum, vertit frontispicium & pectus ad Dominum; si ad Dominum, ducitur ejus rationalitas & libertas ab Ipso; si autem retro a Domino, ducitur ejus rationalitas & libertas ab inferno.

438. XIII: QUOD HOMO SE CONVERTERE POSSIT AD QUAM SPHÆRAM LIBET, SED QUOD QANTUM SE CONVERTIT AD UNAM, TANTUM AVERTAT SE AB ALTERA. Homo creatus est, ut ex libero secundum rationem, ac prorsus sicut a se, agat quod agit; absque his duobus non foret homo, sed bestia; non enim reciperet aliquid influum e Cælo ad se, ac id sibi appropriaret ut suum, & inde non posset ei aliquid vitæ æternæ inscribi; hoc enim erit ei inscriptum ut ejus, ut sit suus; & quia non datur aliquod liberum ad unam partem, nisi etiam simile sit ad alteram, sicut nulla trutinatio nisi lances ex æquilibrio possint utrinque protendi, ita nisi liberum sit homini ex ratione etiam accedere ad malum, sic a dextro ad sinistrum & a sinistro ad dextrum, similiter ad Sphæram infernalem, quæ est spæra adulterii, sicut ad Sphæram cælestem quæ est conjugii.

439. XIV: QUOD UTRAQUE SPHÆRA SECUM FERAT JUCUNDITATES. Videlicet, quod tam sphæra amoris scortatorii quæ ascendit ex inferno, quam sphæra amoris conjugialis quæ descendit e Cælo, afficiat hominem recipientem jucun-

jucunditatibus; causa est, quia ultimum planum, in quod jucunditates utriusque amoris desinunt, & ubi se implent & complent, & illas in suo sensu sistit, est idem: inde est, quod amatoria scortatoria, & amatoria conjugialia in extremis percipiantur similia, tametsi prorsus dissimilia sunt in internis; quod inde etiam dissimilia sint in extremis, ex non sensu discriminis judicatur; nam dissimilitudines ex discriminibus in extremis non sentiunt alii quam qui in amore vere conjugiali sunt; malum enim cognoscitur ex bono, non autem bonum ex malo, sicut nec odor dulcis a nare cum ei inhæret odor teter. Audivi ab angelis, quod illi discernant in extremis lascivum a non lascivo, sicut quis discernit ignem stercoris aut cornu usti ex maleolentia ejus, ab igne aromatis aut ligni cinnamomi usti ex suaveolentia ejus; & quod hoc sit ex discrimine jucunditatum internarum, quæ ingrediuntur externas & conflant illas.

440. XV: Quod jucunditates amoris scortatorii inchoent a carne, et quod sint carnis etiam in spiritu; sed quod jucunditates amoris conjugialis inchoent in spiritu, et quod sint spiritus etiam in carne. Quod jucunditates amoris scortatorii inchoent a carne, est quia æstra carnis sunt initia illarum: quod inficiant spiritum, ac quod sint carnis etiam in spiritu, est quia caro non sentit, sed spiritus illa quæ contingunt in carne; cum hoc sensu simile est sicut cum reliquis, ut quod oculus non videat & discernat varia in objectis, sed spiritus; & quod nec auris audiat & discernat harmonias modulaminum in cantu, & concordantias articulationis sonorum in loquelis, sed spiritus; ac spiritus omne sentit secundum elevationem suam in sapientiam; spiritus, qui non elevatus est supra sensualia corporis, & sic adhæret illis, non sentit alias jucunditates, quam quæ e carne & quæ e mundo per sensus corporis influunt, has arripit, his delectatur, & facit suas: nunc quia initia amoris scortatorii sunt modo carnis æstra & prurigines, patet, quod hæc in spiritu sint spurcæ illecebræ, quæ sicut ascendunt & descendunt, & se reciprocant, ita excitent & incendant. In genere, cupiditates carnis in se spectatæ non aliud sunt quam conglomeratæ concupiscentiæ mali & falsi; inde est hoc verum in Ecclesia, quod caro concupiscat contra spiritum, hoc est, contra spiritualem hominem; quare sequitur, quod jucunditates carnis quoad jucunditates amoris scortatorii, non sint nisi quam libidinum effervescentiæ, quæ in spiritu fiunt scatebræ impudicitiarum.

441. Jucunditates autem amoris conjugialis nihil commune habent cum fæculentis jucunditatibus amoris scortatorii; hæ quidem insunt carni cujusvis hominis, sed separantur & removentur, sicut spiritus hominis elevatur supra sensualia corporis, & ex altitudine videt horum apparentias & fallacias infra; similiter tunc percipit jucunda carnea primum ut jucunda apparentia & fallacia, ac postea ut libidinosa & lasciva quæ fugienda sunt, ac successive ut damnosa & animæ noxia, & tandem sentit illa ut injucunda, tetra, & nauseabunda; & in quo gradu illa jucunda ita percipit & sentit, in eo etiam gradu percipit jucunda amoris conjugialis ut innocua & casta, & tandem ut delitiosa & beata. Quod jucunditates amoris conjugialis etiam fiant spiritus in carne, est quia postquam jucunditates amoris scortatorii remotæ sunt, ut mox supra

dictum est, spiritus solutus ab illis in corpus intrat castus, ac delitiis beatitudinis suæ implet pectora, & ex pectoribus etiam ultima illius amoris in corpore, inde spiritus cum his, & hæc cum spiritu, postea in plena communione agunt.

442. XVI. QUOD JUCUNDITATES AMORIS SCORTATORII SINT VOLUPTATES INSANIÆ, AT QUOD JUCUNDITATES AMORIS CONJUGIALIS SINT DELITIÆ SAPIENTIÆ. Quod jucunditates amoris scortatorii sint voluptates insaniæ, est quia non alii quam naturales hominis in illo amore sunt, ac naturalis homo insanit in spiritualibus, est enim contra illa, ac ideo solum jucunditates naturales, sensuales, & corporeas amplectitur: dicitur quod jucunditates naturales, sensuales & corporeas, quia Naturale distinguitur in tres gradus; in supremo gradu naturales sunt illi, qui ex visu rationali vident insanias, & usque feruntur a jucundis illarum, sicut cymbæ a vena fluvii; in inferiori gradu naturales sunt, qui solum vident & judicant ex sensibus corporis, ac rationalia contra apparentias & fallacias aspernantur, & sicut floccos rejiciunt; in infimo gradu naturales sunt, qui absque judicio feruntur ab illecebrosis æstibus sui corporis, hi sunt, qui vocantur naturales corporei, priores illi naturales sensuales, primi autem naturales. Amor scortatorius, ejus insaniæ & voluptates, apud illos sunt similium graduum.

443. Quod jucunditates amoris conjugialis sint delitiæ sapientiæ, est quia non alii quam spirituales homines in illo amore sunt, & spiritualis homo in sapientia est; & inde non alias jucunditates amplectitur, quam quæ cum spirituali sapientia concordant. Quales sunt jucunditates amoris scortatorii, & quales amoris conjugialis, elucidari potest per comparationem cum domibus; jucunditates amoris scortatorii cum domo, cujus parietes rutilant extrinsecus sicut conchilia, aut sicut ex spurio colore auri lapides speculares, selemnites, vocati; at vero in conclavibus intra parietes sunt sordes & quisquiliæ omnis generis: sed jucunditates amoris conjugialis assimilari possunt domui, cujus parietes fulgent sicut ex obryzo auro, ac conclavia intus sicut cimeliis plurium pretiositatum referta splendent.

444. His adjicietur hoc MEMORABILE. Postquam meditationes de Amore conjugiali absolvi, & exorsus sum meditationes de Amore scortatorio, subito adstiterunt duo Angeli, & dixerunt, percepimus ac intelleximus quæ prius meditatus es, at illa quæ nunc meditaris, transeunt, & non percipimus; omitte hæc quia sunt nihili; sed respondi; hic amor de quo nunc meditor, non est nihili, quia datur: at dixerunt, quomodo potest aliquis Amor dari, qui non est ex creatione, estne inde amor conjugialis, estne hic amor inter duos qui possunt fieri unum; quomodo potest dari amor, qui dividit & separat; quis juvenis potest amare virginem aliam quam quæ redamat, annon unius amor cognoscet & agnoscet alterius amorem, qui dum sibi obviant, se ex se conjungunt; quis potest amare non amorem; estne solus amor conjugialis mutuus & reciprocus; si non est reciprocus, numne resilit, & fit nihil.

His

His auditis, quæsivi binos illos Angelos, e qua Societate Cæli essent, & dixerunt, sumus e Cælo Innocentiæ; in cælestem hunc Mundum venimus infantes, ac educati sub auspicio Domini, & postquam ego adolescens factus sum, & uxor mea, quæ hic mecum est, puella nubilis, desponsati & pacti sumus, & juncti primis ominibus; & quia non de alio amore, quam de vere nuptiali & conjugiali, scivimus, ideo cum communicatæ sunt nobis cogitationis tuæ ideæ de amore alieno, nostro amori plane opposito, non comprehendimus quicquam, quare descendimus te sciscitandi causa, cur imperceptibilia meditaris; dic ergo nobis, quomodo amor, qui non modo non ex creatione est, sed etiam contra creationem, est dabilis; nos spectamus opposita creationi ut objecta nullius rei. His dictis, lætatus sum corde, quod datum sit loqui cum Angelis talis innocentiæ, qui prorsus nesciebant quid scortatio; quare solvi os & docui, dicens, nonne scitis quod detur bonum & malum, & quod bonum sit a creatione, non autem malum, & usque malum in se spectatum non est nihil, tametsi est nihil boni; a creatione datur bonum, & quoque bonum in gradu maximo & in gradu minimo, & cum hoc minimum fit nihil, exsurgit ab altera parte malum; quare non datur relatio nec progressio boni ad malum, sed relatio & progressio boni ad majus & minus bonum, ac mali ad majus & minus malum, sunt enim opposita in omnibus & singulis: & quia bonum & malum sunt opposita, datur intermedium, & ibi æquilibrium, in quo malum agit contra bonum; sed quia non prævalet, subsistit in conatu; omnis homo in hoc æquilibrio educatur, quod quia est inter bonum & malum, seu quod idem, inter Cælum & Infernum, est æquilibrium spirituale, quod apud illos qui in illo sunt, producit Liberum; Dominus ex hoc æquilibrio omnes trahit ad se, & hominem, qui ex libero sequitur, educit e malo in bonum, & sic in Cælum: simile est cum amore, imprimis cum amore conjugiali, & cum amore scortatorio, hic amor est malum, ille autem bonum; omnis homo qui vocem Domini audit, & ex libero sequitur, ille a Domino introducitur in amorem conjugialem, & in omnia jucunda & fausta ejus; at qui non audit & non sequitur, ille semet introducit in amorem scortatorium, & primum in ejus jucunda, at postea in injucunda, & demum in infausta. His dictis, bini illi Angeli quæsiverunt, quomodo potuit malum existere, quando non nisi quam bonum a creatione exstiterat; ut aliquid existat, erit origo ejus; bonum non potuit origo mali esse, quia malum est nihil boni, est enim privativum & destructivum boni; at usque quia datur & sentitur, non est nihil, sed est aliquid; dic ergo unde hoc aliquid exstitit post nihilum: ad hæc respondi, hoc arcanum non aperiri potest nisi sciatur, quod nullus bonus sit, quam Solus Deus, & quod non aliquid bonum sit quod in se bonum est, nisi a Deo, quare qui spectat ad Deum, & vult duci a Deo, ille in bono est; at qui avertit se a Deo, & vult duci a semet, ille non in bono est, nam bonum quod facit, est vel propter se, vel propter mundum, sic est vel meritorium, vel simulatorium, vel hypocriticum; ex quibus patet quod ipse homo sit origo mali, non quod origo illa ex creatione homini indita fuerit, sed quod ipse per conversionem a Deo ad semet sibi indiderit illam: Origo illa mali non

fuit

fuit in Adamo & ejus Uxore, sed quando serpens dixit, quo die comederitis de arbore scientiæ boni & mali, eritis sicut Deus, Gen. III: 5; & tunc quia averterunt se a Deo, & converterunt se ad semet, ut ad deum, fecerunt in se originem mali; *Edere ex illa Arbore significabat credere quod sciat bonum & malum ac sapiat ex se, & non ex Deo.* Sed tunc quæsiverunt duo Angeli, quomodo potuit homo se avertere a Deo, & convertere ad semet, cum tamen homo nihil potest velle, cogitare & inde facere nisi a Deo, cur Deus hoc permisit; sed respondi, homo creatus est, ut omne quod vult, cogitat & facit, appareat ei sicut in se, & sic a se, homo absque hac apparentia, non foret homo, non enim aliquid boni & veri, seu amoris & sapientiæ, posset recipere, retinere, & sibi quasi appropriare; unde sequitur, quod absque illa apparentia sicut viva, non foret homini conjunctio cum Deo, & inde nec vita æterna: verum si ex hac apparentia inducit sibi fidem, quod velit, cogitet, & inde faciat bonum ex se, & non ex Domino, tametsi in omni apparentia sicut ex se, vertit bonum in malum apud se, & sic in se facit originem mali: hoc fuit Adami peccatum. Sed hanc rem aliquantum lucidius aperiam; Dominus aspicit omnem hominem in frontispicio ejus, & hic aspectus transit in occipitium ejus; sub frontispicio est Cerebrum, & sub occipitio est Cerebellum, hoc dicatum est amori & ejus bonis, & illud dicatum est sapientiæ & ejus veris; quare qui spectat facie ad Dominum, recipit ab Ipso sapientiam & per hanc amorem; at qui retro spectat a Domino, recipit amorem & non sapientiam, & amor absque sapientia est amor ab homine & non a Domino, & hic amor quia se conjungit cum falsis, non agnoscit Deum, sed agnoscit se pro deo, & hoc tacite confirmat per facultatem intelligendi & sapiendi sibi a creatione inditam sicut a se; quare hic amor est origo mali. Quod ita sit, demonstrari potest ad oculum; vocabo huc aliquem malum Spiritum, qui se avertit a Deo, & loquar ad illum a tergo seu in occipitium, & videbis, quod illa quæ dicuntur vertantur in contraria; & vocavi unum talem, aderat, & loquutus sum ad illum a tergo, dicens, nostine aliquid de Inferno, de damnatione, & de cruciatu ibi; & mox cum conversus est ad me, quæsivi quid audivisti, respondit, audivi hæc, nostine aliquid de Cælo, de Salvatione & de Felicitate ibi; & dein cum hæc illi post tergum dicta sunt, dixit quod audiverit priora: postea dicta sunt a tergo ejus hæc, numne scis quod illi qui in inferno sunt, insaniant ex falsis, & de his quæsitus a me, quid audivit, dixit, audivi, numne scis, quod illi qui in Cælo sunt sapiant ex veris; & cum hæc illi post tergum dicta sunt, dixit quod audiverit, numne scis quod illi qui in Inferno sunt, insaniant ex falsis; & sic porro; e quibus evidenter patet, quod dum mens se avertit a Domino, convertat se ad semet, & tunc percipiat contraria: hæc causa est, quod, ut nostis, in Mundo hoc Spirituali non liceat alicui stare a tergo alterius, & ad illum loqui, sic enim ei inspiratur Amor, cui intelligentia propria propter ejus jucundum favet & obedit, sed quia ab homine est, & non a Deo, est amor mali, aut amor falsi. Præter hoc referam vobis simile aliud, nempe, quod aliquoties audiverim bona & vera delapsa e Cælo

Cælo in Infernum, & quod illa ibi progressive versa fuerint in opposita, bonum in malum, & verum in falsum; hujus rei eadem est causa, nimirum, quia omnes qui in Inferno sunt, avertunt se a Domino. His auditis, duo illi Angeli gratias egerunt, & dixerunt, quia nunc meditaris & scribis de amore Amori nostro conjugiali opposito, ac oppositum illi amori contristat mentes nostras, abibimus; & cum dixerunt, pax tibi, petii ne aliquid de hoc Amore narrent fratribus & sororibus suis in Cælo, quia lædet Innocentiam illorum. Quod illi, qui moriuntur Infantes, adolescant in Cælo, & cum attingunt ad staturam, in qua in Mundo sunt juvenes octodecim annorum, ac virgines quindecim annorum, in illa subsistant, & quod a Domino tunc illis prospiciantur conjugia; tum quod illi tam ante conjugium, quam post illud, plane nesciant quid Scortatio, & quod dabilis sit, pro certo asseverare possum.

De Fornicatione.

444. Per Fornicationem intelligitur libido adolescentis seu juvenis cum fæmina mæcha ante conjugium; libido autem cum fæmina non mæcha, hoc est, cum virgine aut cum uxore alterius, non est fornicatio, sed cum virgine est stuprum, & cum uxore alterius est adulterium: quomodo hæc duo distant a fornicatione, non potest ab ullo rationali videri, nisi perspiciat amorem Sexus in suis gradibus & diversitatibus, & ab una parte ejus casta & ab altera ejus incasta, ac dispescat utramque partem in genera & in species, & sic distinguat; alioquin in cujusdam idea non exstare potest discrimen inter castum plus & minus, & inter incastum plus & minus, & absque his distinctionibus perit omnis relatio, & cum hac perspicacia in rebus judicii, ac involvitur intellectus tali umbræ, ut non sciat discriminare Fornicationem ab Adulterio, & minus adhuc Fornicationis mitia a gravibus ejus, similiter Adulterii; sic miscet mala, & ex diversis facit unum pulmentum, & ex diversis bonis unam pastam. Ut ergo distinctim noscatur Amor sexus quoad illam partem, qua inclinat & progreditur ad amorem scortatorium prorsus oppositum amori conjugiali, expedit, ut principium ejus, quod est fornicatio, lustretur; quod fiet in hac serie, I. *Quod Fornicatio sit amoris sexus.* II. *Quod hic inchoet, cum adolescens ex proprio intellectu incipit cogitare & agere, ac vox loquelæ ejus incipit fieri masculina.* III. *Quod Fornicatio sit naturalis hominis.* IV. *Quod Fornicatio sit libido, sed non libido adulterii.* V. *Quod amor sexus, quin exeat in fornicationem, apud quosdam absque damnis non possit in totum coerceri.* VI. *Quod ideo in populosis Civitatibus Lupanaria tolerentur.* VII. *Quod libido fornicandi levis sit, quantum spectat ad amorem conjugialem, & hunc præfert.* VIII. *Quod libido fornicandi gravis sit, quantum spectat ad adulterium.* IX. *Quod libido fornicandi gravior sit, sicut vergit ad cupidinem varietatum, & ad cupidinem deflorationis.* X. *Quod sphæra libidinis fornicandi, qualis est in principio, sit media inter sphæram amoris scortatorii & sphæram amoris conjugialis, & faciat æquilibrium.* XI. *Quod prospiciendum sit, ne amor conjugialis per fornicationes inordinatas & immode-*

moderatas perdatur. XII. *Quoniam Conjugiale unius viri cum una uxore eſt Clenodium vitæ humanæ, & Reconditorium religionis Chriſtianæ.* XIII. *Quod Conjugiale hoc apud illos, qui propter varias cauſas nondum conjugium poſſunt inire, & propter ſalaciam non poſſunt inhibere libidines, queat couſervari, ſi amor ſexus vagus fiat ſtrictus ad unam pellicem.* XIV. *Quod Pellicatus libidini vagæ præſtet, modo non pangatur cum pluribus, nec cum virgine ſeu illibata, neque cum maritata, ac teneatur ſeparatus ab amore conjugiali.* Sequitur nunc horum Explicatio.

445. I. QUOD FORNICATIO SIT AMORIS SEXUS. Dicitur quod fornicatio ſit amoris ſexus, quia fornicatio non eſt amor ſexus, ſed eſt ex hoc; amor ſexus eſt ſicut fons, ex quo & amor conjugialis & amor ſcortatorius poteſt derivari, & poſſunt derivari per fornicationem, & poſſunt abſque illa; nam amor ſexus ineſt cuivis homini, & ſe vel exſerit, vel non exſerit; ſi ante conjugium cum fæmina mæcha, vocatur fornicatio, ſi non prius quam cum uxore, vocatur conjugium; ſi poſt conjugium cum alia muliere, vocatur adulterium; quare, ut dictum eſt, amor ſexus eſt ſicut fons, ex quo ſcaturire poteſt tam amor caſtus quam amor incaſtus; at cum qua cautela & prudentia amor caſtus conjugialis procedere poteſt per fornicationem, et ex qua imprudentia per illam procedit amor incaſtus ſeu ſcortatorius, in ſequentibus aperietur. Quis poteſt hoc concluſum facere, quod qui fornificatus eſt, non poſſit magis caſtus eſſe in conjugio.

446. II. QUOD AMOR SEXUS, EX QUO EST FORNICATIO, INCHOET CUM ADOLESCENS EX PROPRIO INTELLECTU INCIPIT COGITARE ET AGERE, AC VOX LOQUELÆ EJUS INCIPIT FIERI MASCULINA. Hoc adducitur ob finem, ut ſciatur ortus amoris ſexus & inde fornicationis, quod ſit dum intellectus inchoat ex ſe rationalis fieri, ſeu ex propria ratione perſpicere & proſpicere quæ emolumento & uſui ſunt, cui tunc pro plano inſervit id quod in memoria eſt ex parentibus & magiſtris: fit illo tempore verſura in mente; prius modo cogitavit ex rebus memoriæ illatis, meditando illa, & obediendo illis; poſtea ex ratione ſuper illa; & tunc, ducente amore, diſponit res memoriæ inſidentes in novum ordinem, & huic congrue vitam propriam orditur, & ſucceſſive plus & plus ſecundum ſuam rationem cogitat, & ex ſuo libero vult. Quod amor ſexus ſequatur initiamentum intellectus proprii, & progrediatur ſecundum ejus vigorem, notum eſt; indicium, quod ille amor aſcendat, ſicut aſcendit intellectus, & quod deſcendat ſicut ille deſcendit; per aſcendere intelligitur in ſapientiam, & per deſcendere intelligitur in inſaniam; ac ſapientia eſt amorem ſexus cohibere, ac inſania eſt illum emittere in latum; ſi in fornicationem, quæ ejus activitatis initium eſt, illam ex principiis honeſtatis & moralitatis, memoriæ & inde rationi implantatis, & poſtea rationi & inde memoriæ implantandis, debet moderari. Quod una cum intellectus proprii inchoamento, etiam vox incipiat fieri maſculina, eſt quia intellectus cogitat, & per cogitationem loquitur; indicium quod intellectus faciat virum, & quoque maſculum ejus; conſequenter, quod ſicut elevatur intellectus ejus, ita fiat homo vir, & quoque maſculus vir, videatur ſupra n. 433, 434.

447. III. QUOD FORNICATIO SIT NATURALIS HOMINIS, ſimiliter ut amor ſexus,

fexus, qui fi activus fit ante conjugium, vocatur fornicatio. Omnis homo nafcitur corporeus, fit fenfualis, dein naturalis, & fucceffive rationalis, & fi tunc non fubfiftit, fit fpiritualis; quod ita progrediatur, eft caufa, ut formentur Plana, quibus innitantur fuperiora, ficut palatium fuper fundationibus fuis; ultimum planum cum fuperinftructis poteft affimilari etiam humo, cui præparatæ femina nobilia implantantur. Quod in fpecie concernit Amorem fexus, eft quoque ille primum corporeus, nam inchoat a carne, dein fit ille fenfualis, nam quinque fexus, a communi ejus, delectantur, poftea fit ille naturalis confimilis eidem apud animalia, quia eft amor fexus vagus, fed quia homo natus eft ut fiat fpiritualis, fit ille poftea naturalis rationalis, & a naturali rationali fpiritualis, & demum fpiritualis naturalis, & tunc amor ille factus fpiritualis influit & agit in amorem rationalem, & per hunc in amorem fenfualem, & per hunc demum in amorem illum in corpore & carne; & quia hæc eft ejus planum ultimum, agit in illud fpiritualiter, & fimul rationaliter & fenfualiter; ac influit & agit ita fucceffive dum homo in ejus meditatione eft, at fimultanee, dum in ultimo eft. Quod fornicatio fit naturalis hominis, eft quia ex naturali amore fexus proxime procedit; ac dari poteft naturalis rationalis, non autem fpiritualis, quia amor fexus non poteft fieri fpiritualis, priufquam fit conjugialis; & amor fexus a naturali fit fpiritualis, dum homo recedit a libidine vaga, & addicat fe uni, cujus animæ fuam animam adunit.

448. IV. Quod fornicatio sit libido, sed non libido adulterii. Quod fornicatio fit libido, funt caufæ. 1. Quia prodit ex naturali homine, & in omni, quod ex illo prodit, eft concupifcentia & libido, naturalis enim homo non eft nifi quam concupifcentiarum & libidinum domicilium & receptaculum, omnes enim reatus a parentibus hæreditati ibi refident. 2. Quia fornicator fpectat vage & promifcue ad fexum, & nondum ad unam e fexu, & quamdiu in illo ftatu eft, excitat illum libido ad agendum quod agit; fed ficut fpectat ad unam, ac amat vitam fuam conjungere cum ejus vita, concupifcentia fit affectio cafta, ac libido fit amor humanus.

449. Quod libido fornicationis non fit libido adulterii, quifque ex communi perceptione perfpectat; quæ lex, & quis judex, imputat fornicatori fimile crimen, quod adultero; caufa unde hoc ex communi perceptione videtur, eft quia fornicatio non eft oppofita amori conjugiali, ficut eft adulterium: poteft in fornicatione intus recondi amor conjugialis, ficut in naturali poteft fpirituale; imo etiam e naturali actualiter evolvitur fpirituale, & cum fpirituale evolutum eft, tunc naturale circumcingit illud ficut liber lignum, ac ficut vagina enfem, & quoque infervit fpirituali pro tutamine contra violentias. Ex his patet, quod naturalis amor, qui eft ad fexum, præcedat amorem fpiritualem, qui eft ad unam e fexu; fi autem fornicatio prodit ex amore naturali fexus, poteft etiam illa abftergi, modo amor conjugialis ut principale bonum fpectatur, optatur & quæritur. Prorfus aliter eft cum amore libidinofo & obfcæno adulterii, qui quod amori conjugiali oppofitus fit, & ejus deftructor, in Capite antecedente de oppofitione amoris fcortatorii & amoris conjugialis, oftenfum eft; quare fi adulter ex propofito aut ex confirmato torum conjugialem propter varias caufas intrat, fit inverfum, latet intus naturale cum fuis

lascivis & obscænis, & extus obvelat illud apparentia spiritualis; ex his potest ratio videre, quod libido fornicationis limitatæ sit in respectu ad libidinem adulterii, sicut est primus tepor ad frigus mediæ hyemis in regionibus hyperboreis.

450. V. Quod amor sexus, quin exeat in fornicationem, apud quosdam sine damnis non possit in totum coerceri. In vanum est recensere damna, quæ nimia coercitio amoris sexus, apud illos, qui ex superabundantia laborant æstro, causari & operari potest; apud hos inde sunt origines quorundam morborum corporis, & ægritudinum mentis, ut conticeantur mala incognita, quæ non nominanda; aliter apud illos, quibus tam parcus amor sexus est, ut nisibus ejus libidinis possint resistere; pariter apud illos, quibus in juvenescente ætate absque dispendiis fortunarum Mundi, ita primis ominibus, in legitimum consortium tori, liberum est se introducere: quoniam ita fit in cælo cum infantibus cum ad ætatem conjugialem adoleverunt, ideo nescitur ibi quid fornicatio; sed in terris non similis res est, ubi matrimonia non possunt contrahi nisi quam post exactam juventutem, quod fit pluribus intra regimina, ubi officia diu merenda sunt, & acquirendæ facultates pro sustentanda domo & familia, & tunc primum digna uxor ambienda.

451. VI. Quod ideo in populosis civitatibus lupanaria tolerentur. Hoc ut confirmatio Articuli præcedentis adducitur: quod tolerentur a Regibus, Magistratibus, & inde a judicibus, inquisitoribus, & a populo, Londini, Amstelodami, Parisiis, Viennæ, Venetiis, Neapolis, & quoque Romæ, præter in multis aliis locis, notum est; inter causas, propter quas, sunt etiam suprамemoratæ.

452. VII. Quod fornicatio levis sit, quantum spectat ad amorem conjugialem, et hunc præfert. Sunt gradus qualitatum mali, sicut sunt gradus qualitatum boni; quare quodvis malum est levius & gravius, sicut quodvis bonum est melius & opimius: simile est cum fornicatione, quæ quia est libido, ac naturalis hominis nondum purificati, est malum; sed quia omnis homo purificari potest, ideo quantum accedit ad statum purificatum, tantum illud malum fit levius malum, nam tantum abstergitur; ita quantum fornicatio accedit ad amorem conjugialem, qui est status amoris sexus purificatus; quod malum fornicationis gravius sit, quantum accedit ad amorem adulterii, in subsequente Articulo videbitur. Quod fornicatio sit levis, quantum spectat ad amorem conjugialem, est quia tunc ex statu incasto in quo est, spectat ad statum castum; & quantum hunc præfert, tantum etiam in eo est quoad intellectum, & quantum non modo eum præfert, sed etiam præamat, tantum in eo est etiam quoad voluntatem, sic quoad Internum hominem; & tunc fornicatio, si nihilominus in illa perstat, illi est necessitas, cujus causæ in explorato apud illum sunt. Sunt binæ rationes, quæ efficiunt, quod fornicatio apud illos, qui præferunt & præamant statum conjugialem, sit levis; prima est, quod illis vita conjugialis sit propositum, intentio seu finis; altera est, quod apud se separent malum a bono: quod Primum attinet, quod illis vita conjugialis sit propositum, intentio seu finis, est quia homo talis homo est,

est, qualis est in suo proposito, intentione seu fine, & quoque talis est coram Domino & coram angelis, imo etiam talis spectatur coram sapientibus in Mundo; est enim intentio anima omnium actionum, ac facit in Mundo inculpationes, & exculpationes, & post mortem imputationes. Quoad ALTERUM, quod qui amorem conjugialem præferunt libidini fornicationis, separent malum a bono, ita incastum a casto; & qui separant illa duo perceptione ac intentione, antequam in bono aut casto sunt, etiam separantur & purificantur a malo illius libidinis, dum in statum conjugialem veniunt. Quod ita non fiat illis, qui in fornicatione spectant ad adulterium, in nunc sequente Articulo videbitur.

453. VIII. QUOD LIBIDO FORNICANDI GRAVIS SIT, QUANTUM SPECTAT AD ADULTERIUM. Omnes illi in libidine fornicationis spectant ad adulterium, qui adulteria non credunt peccata, & de conjugiis cogitant similia quæ de adulteriis, cum solo discrimine liciti & illiciti; hi quoque faciunt ex omnibus malis unum malum, & commiscent illa, sicut sordes cum edulibus cibis in una patina, & sicut quisquilias cum vinis in uno poculo, ac sic edunt & bibunt; similiter faciunt illi cum amore sexus, cum fornicatione, cum pellicatu, cum adulterio mitiori, gravi & graviori, imo cum stupro seu defloratione; accedit, quod illa omnia non modo commisceant, sed etiam immisceant conjugiis, & hæc simili notione temerant; at illis, qui ne quidem hæc ab illis discriminant, post consuetudines vagas cum sexu, obveniunt frigora, fastidia, & nauseæ, primum pro conjuge, dein pro reliquis, & tandem pro sexu. Quod apud illos non detur propositum, intentio seu finis boni aut casti, ut exculpentur; nec separatio mali a bono, seu incasti a casto, ut purificentur, quemadmodum apud illos qui a fornicatione spectant ad amorem conjugialem, & hunc præferunt, de quibus in antecedente articulo n. 452, ex se patet. Hæc per hoc novum e Cælo licet confirmare; conveni plures, qui in Mundo similes aliis in externis vixerant, splendide se vestiendo, laute epulando, cum fænore sicut alii negotiando, ludos scenicos spectando, de amatoriis sicut ex libidine jocando, præter consimilia alia, & tamen Angeli quibusdam inculpabant illa ut mala peccati, & quibusdam illa ut non mala, & hos declarabant insontes, illos autem sontes; ad interrogationem cur ita, cum tamen similia fecerunt, respondebant, quod ex proposito, intentione seu fine, omnes contemplentur, & secundum illa distinguant, & quod ideo illos, quos finis excusat & damnat, ipsi excusent & damnent, quoniam finis boni est omnibus in Cælo, ac finis mali omnibus in inferno: & quod hoc, & non aliquid aliud, intelligatur per Domini verba, *Ne judicate ne condemnemini*, Matth. VII. 1.

454. IX. QUOD LIBIDO FORNICANDI GRAVIOR SIT, SICUT VERGIT AD CUPIDINEM VARIETATUM, ET AD CUPIDINEM DEFLORATIONIS. Causa est, quia hæc duo sunt accessoria adulterii, ita aggravantia illud: dantur enim adulteria mitia, gravia, & graviora, ac penduntur singula secundum oppositionem & inde destructionem amoris conjugialis; quod cupido varietatum, & cupido deflorationis per actualitates firmatæ, amorem conjugialem depopulentur,

tur, & submergant quasi in fundo maris, in Transactionibus insequentibus de illis videbitur.

455. X. QUOD SPHÆRA LIBIDINIS FORNICANDI, QUALIS EST IN PRINCIPIO, SIT MEDIA INTER SPHÆRAM AMORIS SCORTATORII ET SPHÆRAM AMORIS CONJUGIALIS, ET FACIAT ÆQUILIBRIUM. De binis Sphæris, Amoris scortatorii & Amoris conjugialis, in priori Capite actum est, ac ostensum, quod sphæra amoris scortatorii ascendat ex Inferno, & quod sphæra amoris conjugialis descendat e Cælo, n. 435: quod binæ illæ sphæræ sibi obvient in utroque Mundo, sed non se conjungant, n 436: quod inter binas illas sphæras æquilibrium sit, & quod homo in illo sit, n. 437: quod homo se convertere possit ad quam sphæram libet, sed quod quantum se convertit ad unam, tantum se avertat ab altera, n. 438; quid per sphæras intelligitur, n. 434, & ex locis ibi citatis. Quod Sphæra libidinis fornicandi sit media inter binas illas sphæras, & faciat æquilibrium, est quia dum quis in illa est, potest se convertere ad sphæram amoris conjugialis, hoc est, ad hunc amorem, & quoque ad spæram amoris adulterii, hoc est, ad hujus amorem; sed si ad amorem conjugialem, convertit se ad Cælum, si ad amorem adulterii, convertit se ad Infernum; utrumque in arbitrio, lubitu, & voluntate hominis est, propter causam, ut agere possit libere secundum rationem, & non ex instinctu, proinde ut sit homo ac appropriet sibi influxum, & non bestia, quæ nihil ejus sibi appropriat. Dicitur libido fornicationis qualis est in principio, quia tunc in medio statu est: quis non scit, quod quicquid homo in principio agit, sit ex concupiscentia, quia ex naturali homine; & quis non scit, quod illa concupiscentia non imputetur, dum a naturali fit spiritualis; simile est cum libidine fornicationis, dum amor hominis fit conjugialis.

456. XI. QUOD PROSPICIENDUM SIT, NE AMOR CONJUGIALIS PER FORNICATIONES IMMODERATAS ET INORDINATAS PERDATUR. Per fornicationes immoderatas & inordinatas, a quibus deperditur amor conjugialis, intelliguntur fornicationes, a quibus non modo enervantur vires, sed etiam auferuntur omnes amoris conjugialis lautitiæ; ex licentia enim irrefrænata illarum, non modo infirmitates & inde inopiæ, sed etiam immunditiæ & impudicitiæ, oboriuntur, ex quibus amor conjugialis non potest in sua munditie & castitate, & sic nec in sua dulcedine & in sui floris delitiis, percipi & sentiri: ut taceantur damna corporis & mentis, tum inconcessæ illecebræ, quæ non modo deprivant amorem conjugialem suis beatis jucundis, sed etiam tollunt illum, ac vertunt in frigus, & sic in fastidium: tales fornicationes sunt pergræcationes, per quas ludi conjugiales flectuntur in tragicas scenas: fornicationes enim immoderatæ & inordinatæ, sunt sicut incendia, quæ ex ultimis exsurgunt, & exurunt corpus, torrefaciunt fibras, conspurcant sanguinem, ac vitiant mentis rationalia; erumpunt enim sicut ignis e fundamento in domum, & totam consumit. Ne ita fiat, prospiciendum est a parentibus, quia puer adolescens libidine percitus, nondum ex ratione potest frænum sibi imponere.

457. XII. QUONIAM CONJUGIALE UNIUS VIRI CUM UNA UXORE EST CLENODIUM

DIUM VITÆ HUMANÆ, ET RECONDITORIUM RELIGIONIS CHRISTIANÆ. Hæc duo ſunt, quæ univerſim & ſingillatim in tota Parte antecedente de Amore conjugiali & ejus ſapientiæ Delitiis, demonſtrata ſunt. Quod ſit Clenodium vitæ humanæ, eſt quia hominis vita talis eſt, qualis eſt ille amor apud illum, facit enim intimum vitæ ejus; eſt namque vita ſapientiæ cohabitantis cum ſuo amore, & amoris cohabitantis cum ſua ſapientia, & inde eſt vita delitiarum utriuſque; verbo, homo eſt anima vivens per illum amorem; inde eſt, quod conjugiale unius viri cum una uxore dicatur Clenodium vitæ humanæ. Hoc confirmatur ex his ſupra; Quod cum una uxore detur vere conjugialis amicitia, confidentia, potentia, quia mentium unio, n. 333. 334: Quod in illo & ex illo dentur beatitudines cæleſtes, fauſtitates ſpirituales, & inde jucunditates naturales, quæ ab initio proviſæ ſunt illis, qui in amore vere conjugiali ſunt, n. 335. Quod ſit amor fundamentalis omnium amorum cæleſtium, ſpiritualium, & inde naturalium, & quod in illum amorem collata ſint omnia gaudia & omnes lætitiæ a primis ad ultima, n. 65 ad 69: & quod in origine ſua ſpectatus ſit ludus ſapientiæ & amoris, in DELITIIS SAPIENTIÆ DE AMORE CONJUGIALI, quæ Partem primam hujus Operis conſtituunt, plene demonſtratum eſt.

458. Quod ille Amor ſit Reconditorium religionis Chriſtianæ, eſt quia hæc Religio cum illo amore unum facit & cohabitat; nam oſtenſum eſt, quod non alii in illum amorem veniant, & in illo eſſe poſſint, quam qui adeunt Dominum, ac vera Eccleſiæ Ipſius & bona ejus faciunt, n. 58. 59. Quod ille amor ſit a Solo Domino, & quod inde detur apud illos qui ex Religione Chriſtiana ſunt, n. 131. 335. 336: quod Amor ille ſit ſecundum ſtatum Eccleſiæ, quia eſt ſecundum ſtatum ſapientiæ apud hominem, n. 130: quod hæc ita ſint, confirmatum eſt in toto Capite, de Correſpondentia ejus cum Conjugio Domini & Eccleſiæ, n. 116 ad 131; & in Capite de Origine illius amoris ex Conjugio boni & veri, n. 83 ad 102.

459. XIII. QUOD CONJUGIALE HOC APUD ILLOS, QUI PROPTER VARIAS CAUSAS NONDUM CONJUGIA POSSUNT INIRE, ET PROPTER SALACIAM NON POSSUNT MODERARI LIBIDINES, QUEAT CONSERVARI, SI AMOR SEXUS FIAT STRICTUS AD UNAM PELLICEM. Quod ab illis, qui ſalaces ſunt, libido immoderata & inordinata non poſſit inhiberi, ratio videt, & experientia docet; ut ergo hoc immoderatum & inordinatum, apud illos qui laborant æſtro, & non propter plures cauſas præcipitare & anticipare conjugia queunt, refrænetur, & ad aliquod moderatum & ordinatum redigatur, non aliud apparet refugium & quaſi azylum, quam addicatio pellicis, quæ gallice vocatur maitreſs. Quod in Regnis, ubi regimina ſunt, matrimonia a multis non poſſint contrahi, niſi quam poſt exactam juventutem, quia officia prius merenda ſunt, ac facultates pro ſuſtentanda domo & familia acquirendæ, & tunc primum digna uxor ambienda, notum eſt; & tamen in præcedente ætate, ſcaturigo virtutis pro uxore apud paucos poteſt occluſa teneri & reſervari; præſtat quidem ut reſervetur; ſed ſi propter effrænem libidinis vim non poteſt, quæritur modus intermedians, quo præveniri poſſit, ne amor conjugialis interea pereat: quod ſit Pellicatus,

catus, ſuadent hæc; I. Quod per illum fornicationes promiſcuæ inordinatæ refrænentur & limitentur, & ſic inducatur ſtatus conſtrictior, qui vitæ conjugiali affinior eſt. II. Quod ardor veneris in principio æſtuoſus & ſicut urens, ſedetur & mitigetur, & quod ſic laſcivum ſalaciæ, quod eſt fædum, temperetur per aliquod ſicut analogon conjugii. III. Per illum nec projiciuntur vires, & contrahuntur imbecillitates, ſicut per ſatyriaſes vagas & illimitatas. IV. Per illum etiam lues corporis, ac inſaniæ mentis, evitantur. V. Pariter per illum præcaventur adulteria, quæ ſunt mæchationes cum uxoribus, ac ſtuprationes quæ ſunt violationes virginum; ut taceantur criminoſa, quæ non nominanda ſunt: puer enim dum ephebus eſt, non cogitat, quod adulteria & ſtupra ſint aliud quam fornicationes, ita quod unum ſit idem cum altero; nec ſcit ex ratione reſiſtere pellectionibus quarundam e ſexu, quæ meretricatui ſtudioſe operam dederunt, ſed poteſt in pellicatu, qui eſt ordinatior & ſanior fornicatio, diſcere & videre diſcrimina. VI. Per pellicatum nec datur acceſſus ad quatuor genera libidinum, quæ in ſummo gradu ſunt deſtructiva amoris conjugialis, quæ ſunt, Libido deflorationis, Libido varietatum, Libido violationis, Libido ſeducendi innocentias; de quibus in ſequentibus. Sed hæc non dicta ſunt illis, qui æſtum libidinis poſſunt coercere; nec illis qui ſtatim dum juveneſcunt, conjugium poſſunt inire, ac primitias virtutis uxori ſuæ offerre & impendere.

460. XIV. Quod pellicatus libidini vagæ præstet, modo non pangatur cum pluribus, nec cum virgine seu illibata, neque cum maritata, ac teneatur separatus ab amore conjugiali. Quando & apud quos pellicatus libidini vagæ præſtat, mox ſupra indigitatum eſt. I. Quod Pellicatus non pangendus ſit cum pluribus, quam cum una, eſt quia cum pluribus polygamicum ineſt, quod inducit homini ſtatum mere naturalem, ac detrudit hunc in ſenſualem, uſque ut non poſſit in ſtatum ſpiritualem, in quo erit amor conjugialis, elevari, videatur n. 338. 339. II. Quod non pangendus ſit cum Virgine ſeu illibata, eſt quia amor conjugialis apud fæminas unum agit cum illarum virginitate, inde eſt amoris iſtius caſtitas, puritas & ſanctitas; quare illam alicui viro ſpondere & addicere, eſt dare teſſeram quod illum in æternum amatura ſit; idcirco virgo illam ex nullo conſenſu rationali poteſt paciſci, niſi cum ſponſione fæderis conjugialis; eſt quoque illa honoris ejus corona; quare abſque fædere conjugii præripere illam, & poſtea dimittere, eſt aliquam virginem, quæ poteſt ſponſa & caſta uxor fieri, meretricem facere, aut aliquem virum defraudare, ac utrumque damnoſum eſt: idcirco qui virginem in pellicem ſibi adjungit, poteſt quidem cohabitare cum illa, & ſic illam in amicitiam amoris initiare, ſed uſque cum conſtanti intentione, ſi non mæchatur, ut ſit vel fiat ſua uxor. III. Quod pellicatus non pangendus ſit cum maritata, quia hoc eſt adulterium, patet. IV. Quod amor pellicatus tenendus ſit ſeparatus ab amore conjugiali, cauſa eſt, quia amores illi diſtincti ſunt, & ideo non commiſcendi; amor enim pellicatus eſt amor incaſtus, naturalis, & externus, at amor conjugii, eſt caſtus, ſpiritualis, & internus: amor pellicatus diſtinguit animas duorum, ac conjungit modo ſenſualia corporis; at amor con-

conjugii unit animas, & ex unione animarum etiam ſenſualia corporis, uſque dum ex duobus fiunt ſicut unum, quod eſt una caro. V. Amor pellicatus modo intrat in intellectum, & in illa quæ ab intellectu pendent; at amor conjugii intrat etiam in voluntatem, & in illa quæ a voluntate pendent, proinde in omnia & ſingula hominis; quare ſi amor pellicatus fit amor conjugii, non poteſt vir ex aliquo jure, abſque violatione unionis conjugialis, recedere; & ſi recedit, & aliam ducit, amor conjugialis ex fractura ejus perit: ſciendum eſt, quod amor pellicatus detineatur ſeparatus ab amore conjugiali, per quod pellici non ſpondeat conjugium, nec illam in aliquam ſpem conjugii inducat. Præſtat tamen, ut tæda amoris ſexus cum uxore primum accendatur.

✣ ✣ ✣ ✣ ✣ ✣ ✣

461. His adjicietur hoc MEMORABILE. Quondam loquutus ſum cum Spiritu novitio, qui dum fuit in Mundo, de Cælo & Inferno multum meditatus eſt; per Spiritus novitios intelliguntur homines noviter defuncti, qui quia tunc ſunt homines ſpirituales, vocantur Spiritus: ille ut primum intravit in Mundum Spiritualem, cæpit de Cælo & Inferno ſimiliter meditari, & ſibi viſus eſt, cum de Cælo, in gaudio, & cum de Inferno, in triſtitia. Ille cum animadvertit ſe in Mundo Spirituali eſſe, ſtatim quæſivit ubi Cælum & ubi Infernum, tum quid & quale unum & alterum; & reſponderunt, Cælum eſt ſupra caput tuum, & Infernum eſt infra pedes tuos, nunc enim es in Mundo ſpirituum, qui eſt medius inter Cælum & Infernum; ſed quid & quale Cælum & Infernum eſt, non poſſumus paucis deſcribere: & tunc quia flagrabat deſiderio cognoſcendi, projecit ſe ſuper genua, & oravit devote ad Deum, ut inſtrueretur; & ecce apparuit Angelus ad dextram ejus, & elevavit illum, & dixit, ſupplicaviſti ut inſtruereris de Cælo & Inferno, INQUIRE ET DISCE QUID JUCUNDUM, ET COGNOSCES; & Angelus his dictis ſublatus eſt. Tunc Spiritus novitius ſecum dixit, quid hoc, *Inquire & diſce quid Jucundum, & cognoſces quid & quale Cælum & Infernum eſt:* ſed e loco illo abiens circumvagatus eſt, & obvios alloquutus dixit, dicite quæſo, ſi placet, quid Jucundum; & dicebant aliqui, quæ qualis eſt hæc quæſtio, quis non ſcit quid Jucundum, eſtne gaudium & lætitia, quare jucundum eſt jucundum, unum ſicut alterum, non ſcimus diſcrimen: alii dicebant, quod jucundum eſſet riſus mentis, dum enim mens ridet, eſt facies hilaris, loquela jocularis, geſtus ludens, & totus homo in jucundo: aliqui autem dicebant, Jucundum nihil aliud eſt, quam epulari & edere lautitias, ac bibere & vino generoſo inebriari, & tunc confabulari de rebus variis, imprimis de ludis veneris & cupidinis. His auditis, Spiritus novitius indignatus ſecum dixit, hæc reſponſa ſunt ruſticalia & non forenſia, hæc Jucunda non ſunt Cælum nec Infernum, utinam conveniam Sapientes; & abivit ab illis, & quæſivit, ubi ſunt ſapientes; & tunc viſus eſt a quodam Spiritu Angelico, qui dixit, percipio quod accenſus ſis deſiderio ſciendi id, quod eſt Univerſale Cæli & Univerſale Inferni, & quia hoc eſt JUCUNDUM, deducam te ſuper Collem, ubi quotidie conveniunt illi, qui rimantur Effectus, &

V.R. n. 570.

illi qui investigant Causas, & illi qui explorant Fines; sunt tres Cætus, & illi qui rimantur Effectus vocantur Spiritus scientiarum, & abstracte Scientiæ, & illi qui investigant causas, vocantur Spiritus intelligentiæ, abstracte Intelligentiæ; & illi qui explorant fines, vocantur Spiritus sapientiæ, abstracte Sapientiæ; directe supra illos in Cælo, sunt Angeli, qui ex finibus vident causas & ex causis effectus; ex his Angelis est tribus illis Cætibus illustratio: ille tunc Spiritum novitium prehendens manu duxit super Collem, & ad Cætum, qui erat ex illis, qui explorant fines, & vocantur Sapientiæ; his dixit, ignoscite quod ad vos ascenderim; causa est, quia a pueritia meditatus sum de Cælo & Inferno, & in hunc Mundum nuper veni, & quidam mihi tunc associati dixerunt, quod hic Cælum sit supra caput meum, & Infernum sub pedibus meis; sed non dixerunt, quid & quale unum & alterum; quare ex constante cogitatione de illis anxius factus oravi ad Deum; & tunc adstitit Angelus, & dixit, *Inquire & disce quid Jucundum, & cognosces*; inquisivi, sed adhuc in vanum; peto itaque, ut, si libet, doceatis me, quid jucundum; ad hæc Sapientiæ respondebant, Jucundum est omne vitæ omnibus in Cælo, ac omne vitæ omnibus in inferno; illis qui in Cælo sunt, est Jucundum boni & veri, illis autem qui in Inferno sunt, est Jucundum mali & falsi; omne enim Jucundum est amoris, & Amor est esse vitæ hominis, quare sicut homo est homo secundum quale sui amoris, ita est homo secundum quale sui jucundi; activitas amoris facit sensum jucundi, activitas ejus in Cælo est cum sapientia, & activitas ejus in Inferno est cum insania; utraque in suis subjectis sistit Jucundum; sunt autem Cæli & Inferni in oppositis Jucundis, quia in oppositis amoribus; Cæli in Amore & inde Jucundo benefaciendi, Inferni autem in Amore & inde Jucundo malefaciendi; si itaque cognoscis quid jucundum, cognosces quid & quale est Cælum & Infernum. Sed inquire & disce adhuc quid Jucundum ab illis, qui investigant causas, & vocantur Intelligentiæ, sunt abhinc ad dextrum; & abivit, & accessit, & dixit causam adventus, & petiit ut instruerent quid Jucundum; & hi gavisi ab interrogatione dicebant, verum est quod qui cognoscit Jucundum, cognoscat quid & quale est Cælum & Infernum; Voluntas, ex qua homo est homo, ne quidem punctulum fertur, nisi a jucundo, nam voluntas in se spectata, non est nisi quam affectus & effectus alicujus amoris, ita jucundi, est enim aliquod placitum, libitum & volupe, quod facit velle; & quia Voluntas agit Intellectum ad cogitandum, non datur minimum ideæ cogitationis, nisi ab influo voluntatis jucundo: quod ita sit, est causa, quia Dominus per influxum a se actuat omnia animæ & omnia mentis apud Angelos, spiritus & homines, & actuat per influxum amoris & sapientiæ, & hic influxus est ipsa activitas, ex qua omne jucundum est, quod in origine sua vocatur beatum, faustum & felix, & in derivatione jucundum, amænum & volupe, & in universali sensu Bonum. Sed Spiritus inferni apud se invertunt omnia, ita quoque Bonum in Malum, & Verum in Falsum, permanente jugitur Jucundo; nam absque permanentia jucundi, non est illis voluntas, nec sensatio, ita non vita: ex his patet, quid, quale & unde jucundum Inferni est, tum quid, quale, & unde jucundum Cæli est. His auditis, deductus est ad Tertium Cætum,

tûm, ubi erant qui rimantur effectus, & vocantur Scientiæ; hi dicebant, descende in Terram inferiorem, & ascende in Terram superiorem; in hac percepturus & sensiturus es Jucunditates angelorum Cæli, & in illa Jucunditates spirituum inferni. Sed ecce tunc ad distantiam ab illis hiabat Solum, & per hiatum ascendebant tres diaboli, apparentes igniti ex jucundo amoris illorum; & quia consociati cum novitio spiritu percipiebant, quod illi tres ex proviso ex Inferno ascenderint, dictum est illis, ne accedite propius, sed e loco ubi estis, narrate aliquid de Jucundis vestris; & dicebant, scitote quod unusquisque, sive bonus sive malus sit, in suo Jucundo sit, bonus in sui boni jucundo, & malus in sui mali jucundo; & quæsiverunt, quid vestrum Jucundum, dicebant, quod esset Jucundum scortandi, furandi, defraudandi, blasphemandi; & iterum quæsiverunt, qualia sunt Jucunda illa, dicebant, quod sentiantur ab aliis sicut fætores ex stercoribus, & sicut putores ex cadaveribus, & sicut nidores ex urinis stagnatis; & quæsiverunt, sunt illa vobis jucunda, dicebant sunt jucundissima; & dixerunt, tunc estis sicut immundæ bestiæ quæ in talibus degunt; & responderunt, si sumus sumus, sed talia sunt delitiæ narium nostrarum: & quæsiverunt, quid plura, dicebant, quod cuivis liceat in suo jucundo esse, etiam immundissimo, ut illud vocant, modo non infestet bonos spiritus & angelos; sed quia ex jucundo nostro non aliter potuimus, quam illos infestare, conjecti sumus in ergastula, ubi patimur dira; inhibitio & retractio jucundorum nostrorum ibi, est quod vocatur cruciatus inferni, est quoque interior dolor: tunc quæsiverunt, cur infestavistis bonos; dicebant, quod non potuerint aliter, est sicut furor invadat, cum vident aliquem Angelum, & sentiunt sphæram Divinam circum illum; tunc dixerunt, sic estis etiam sicut feræ; & mox cum viderunt Novitium spiritum cum Angelis, supervenit diabolos furor, qui apparuit sicut ignis odii; quare ne damnum inferrent, in Infernum rejecti sunt. Post hæc apparebant Angeli, qui ex finibus vident causas, & per causas effectus, qui in Cælo supra tres illos Cætus erant, & hi visi sunt in candida luce, quæ per spirales flexus se devolvens, secum tulit rotundum sertum ex floribus, & posuit super Caput novitii Spiritus; & tunc ad illum facta est vox inde, hæc tibi laurea datur propter causam, quia a pueritia meditatus es de Cælo & Inferno.

De Concubinatu.

462. In præcedente Capite, ubi de Fornicatione, etiam de Pellicatu, actum est, & per hunc intellecta est conjunctio viri cælebis pacta cum fæmina; per Concubinatum autem hic intelligitur conjunctio viri uxorati similiter pacta cum fæmina: illi qui non distinguunt genera, duabus illis vocibus, tanquam unius intellectus & inde significationis, promiscue utuntur; sed quoniam duo genera sunt, & vox Pellicatus convenit priori, quia pellex est mæcha, & vox Concubinatus convenit huic posteriori, quia concubina est succuba lecti, ideo separationis causa, pactum antenuptiale cum fæmina significatur per Pel-

licatum, & postnuptiale per Concubinatum. De Concubinatu hic agitur propter ordinem; nam ex ordine detegitur, quale est Conjugium ab una parte, & quale est Adulterium ab altera. Quod Conjugium & Adulterium, sint opposita, in Capite de Oppositione illorum primum ast actum; & quantum & qualiter opposita sunt, non potest nisi ex intermediis, quæ intercedunt, hauriri, ex quibus etiam est concubinatus; sed quia duo hujus genera sunt, & hæc prorsus discriminanda, ideo hæc Transactio, ut priores, in suas partes dispescenda est; quod fiet in has. I. *Quod duo Concubinatus genera sint, quæ inter se valde differunt, unum conjunctim cum uxore, alterum sejunctim ab uxore.* II. *Quod Concubinatus conjunctim cum uxore, sit prorsus illicitus Christianis, & detestabilis.* III. *Quod sit polygamia, quæ ex orbe Christiano damnata est & damnanda.* IV. *Quod sit scortatio, per quam Conjugiale, quod est Cimelium vitæ Christianæ, deperditur.* V. *Quod Concubinatus sejunctim ab uxore, cum fit ex causis legitimis, justis, & vere sonticis, non sit illicitus.* VI. *Quod causæ legitimæ hujus Concubinatus, sint causæ legitimæ divortii, dum uxor nihilominus retinetur domi.* VII. *Quod causæ justæ hujus Concubinatus, sint causæ justæ separationis a toro.* VIII. *Quod causæ sonticæ hujus Concubinatus, sint reales & non reales.* IX. *Quod causæ sonticæ reales, sint, quæ ex justo sunt.* X. *At quod causæ sonticæ non reales, sint, quæ non ex justo sunt, tametsi ex apparentia justi.* XI. *Quod illi, qui ex causis legitimis, justis, & sonticis realibus, in hoc Concubinatu sunt, possint simul in amore conjugiali esse.* XII. *Quod quando hic concubinatus perstat, actualis conjunctio cum uxore non licita sit.* Sequitur nunc horum Explicatio.

463. I QUOD DUO CONCUBINATUS GENERA SINT, QUÆ INTER SE VALDE DIFFERUNT, UNUM CONJUNCTIM CUM UXORE, ET ALTERUM SEJUNCTIM AB UXORE. Quod duo genera Concubinatus sint, quæ valde inter se differunt, & quod unum genus sit, succubam adjungere toro, ac conjunctim & simul cum illa & cum uxore vivere; & quod alterum genus sit, post legitimam & justam separationem ab uxore, fœminam loco ejus in consociam lecti adsciscere. Quod hæc duo genera Concubinatus inter se abalienata sint sicut linteum sordidum a lavato, ab illis, qui elimate & distincte intuentur res, potest videri; at ab illis qui confuse & indistincte, non potest; imo ab illis qui in amore conjugiali sunt, potest, non autem ab illis qui in amore adulterii sunt; hi in nocte sunt de cunctis derivationibus amoris sexus, illi autem in die de illis sunt: at usque illi qui in adulterio sunt, possunt derivationes illas & harum discrimina videre, non quidem in se ex se, sed ex aliis dum audiunt illa, nam similis facultas elevandi intellectum est apud adulterum, quæ apud castum conjugem; sed adulter, postquam discrimina ex aliis audita, agnovit, usque obliterat illa, dum intellectum suum immergit spurcæ suæ voluptati; non enim potest castum & incastum, ac sanum & insanum una esse, sed possunt a separato intellectu distingui. Quondam a me in Mundo spirituali illi, qui adulteria non reputaverunt peccata, quæsiti sunt, num sciant unum discrimen inter fornicationem, pellicatum, duo genera concubinatus, ac inter gradus adulterii, dixerunt, quod unum sit sicut alterum; & quæsiti num etiam Conjugium, ac circumspexerunt,

num

num aliqui ex Clero adessent, & dum non, dixerunt, quod simile in se sit: aliter illi, qui in ideis cogitationis suæ adulteria reputaverunt peccata; hi dixerunt, quod in interioribus ideis, quæ sunt perceptionis, viderint discrimina, sed nondum studuerint illa discernere & internoscere: hoc possum asseverare, quod discrimina illa quoad sua minuta, ab angelis cæli percipiantur. Ut ergo pateat, quod duo Genera concubinatus inter se opposita dentur, unum ex quo aboletur amor conjugialis, alterum ex quo non aboletur, ideo damnabile Genus primum describetur, ac postea alterum indemne.

464. II. Quod Concubinatus conjunctim cum uxore, sit illicitus Christianis, ac detestabilis. Quod sit illicitus, est, quia contra fœdus conjugiale est, & quod detestabilis, est quia contra religionem, & quod contra hanc & simul illud est, est contra Dominum; quare ut primum aliquis absque sontica reali causa adjungit uxori concubinam, occluditur ei Cælum, & ab Angelis non plus inter Christianos numeratur: ex illo tempore etiam illa, quæ Ecclesiæ & Religionis sunt, aspernatur, ac postea faciem non supra naturam tollit, sed ad illam, sicut ad Numen, quod libidini suæ favet, se vertit, ex cujus influxu dein ejus spiritus animat: causa interior hujus apostaseos aperietur in sequentibus. Quod hic Concubinatus detestabilis sit, ipse ille vir non videt, quia post occlusum Cælum factus est insania spiritualis; at uxor casta id perspicit, quia est amor conjugialis, & hic amor nauseat id, quare etiam plures ex illis ad actualem conjunctionem cum suis viris postea renuunt, sicut ad id quod contaminaret castitatem illarum ex contagio libidinis adhærentis viris ex meretricibus.

465. III. Quod sit polygamia, quæ ex orbe Christiano damnata est et damnanda. Quod Concubinatus simultaneus seu conjunctus cum uxore, sit polygamia tametsi non agnita, quia non per aliquam legem statuta, & sic nominata, omnis, etiam non perspicax, videt; est enim fæmina sicut uxor usuraria & concuba spondæ conjugialis: quod polygamia e Christiano Orbe sit damnata & damnanda, in Capite de Polygamia evictum est; imprimis ex his ibi; Quod non liceat Christiano nisi unam uxorem ducere, n. 338: & quod Christianus, si plures ducit, non modo adulterium naturale, sed etiam adulterium spirituale, committat, n. 339: quod permissa fuerit genti Israeliticæ, quia apud illam Ecclesia Christiana non fuit, n 340: ex his patet, quod concubinam adjungere uxori, & cum utraque sociare lectum, sit fæda polygamia.

466. IV. Quod sit scortatio, per quod Conjugiale, quod est cimelium vitæ Christianæ, deperditur. Quod sit scortatio plus opposita amori conjugiali, quam scortatio communis, quæ simplex adulterium vocatur; & quod sit deprivatio omnis facultatis & inclinationis ad vitam conjugialem, quæ Christianis a nativitate inest, argumentis coram ratione sapientis validis, potest convinci. Quod Primum attinet, quod concubinatus simultaneus seu conjunctus cum uxore, sit scortatio plus opposita amori conjugiali, quam scortatio communis, quæ simplex adulterium vocatur, videri potest ex his; quod scortationi communi seu adulterio simplici non insit amor analogus amori con-

jugiali, nam eſt modo æſtrum carnis, quod illico defervefcit, & quandoque non veſtigium amoris poſt ſe relinquit ad illam; quare hæc effervefcens laſcivia, ſi non fit ex propoſito aut ex confirmato, & ſi mæchus ab illa reſipiſcit, modo aliquid pauculum derogat amori conjugiali: aliter ſcortatio polygamica, huic ineſt amor analogus amori conjugiali, non enim defervefcit, diſſipatur, & abit in nihilum poſt effervefcentiam, ſicut prior, ſed manet, renovat & ſtabilit ſe, & tantum ex amore ad uxorem decerpit, ac loco ejus pro uxore inducit frigus; ſpectat enim tunc concubam meretricem ut amabilem ex libero voluntatis quod poſſit, ſi lubet, recedere, quod naturali homini ingenitum eſt, & quia hoc inde gratum eſt, amorem illum ſuffulcit; ac inſuper cum concubina eſt propinquior unitio cum illecebris quam cum uxore; at viciſſim uxorem non ſpectat amabilem ex debito cohabitationis cum illa injuncto per fædus vitæ, quod tunc percipit ut coactum plus ex libero cum altera; quod amor pro conjuge pari gradu frigeſcat, & ipſa vileſcat, quo amor pro una mæcha caleſcit, & hæc in pretio eſt, conſtat. Quod Alterum attinet, quod concubinatus ſimultaneus ſeu conjunctus cum uxore deprivet virum omni facultate & inclinatione ad vitam conjugialem, quæ Chriſtianis ex nativitate ineſt, videri poteſt ex his; quod quantum amor ad conjugem tranſcribitur in amorem ad concubinam, tantum decerpatur, exantletur, & exinaniatur ille pro conjuge, ut nunc ſupra oſtenſum eſt; quod hoc fiat per occluſionem interiorum mentis naturalis ejus, & recluſionem inferiorum ejus, conſtare poteſt ex ſede inclinationis ad amandum unam e ſexu apud Chriſtianos, quod ſit in intimis ejus, & quod hæc ſedes intercludi poſſit, ſed non exſtirpari: quod inclinatio ad amandum unam e ſexu, & quoque facultas ad recipiendum illum amorem, Chriſtianis a nativitate implantata ſit, eſt cauſa, quia ille amor eſt a Solo Domino, & factus eſt religionis, & in Chriſtianiſmo Divinum Domini agnoſcitur & colitur, ac religio eſt ex Verbo Ipſius, inde eſt inſitio ejus, & quoque tranſplantatio ejus a generatione in generationem: dictum eſt, quod Conjugiale illud Chriſtianum per ſcortationem polygamicam pereat, ſed intelligitur, quod apud polygamum Chriſtianum occludatur & intercipiatur, ſed uſque reſuſcitabile eſt in ejus poſteris, ſicut fit cum ſimilitudine avi & atavi redeunte in nepote & pronepote: inde eſt quod Conjugiale illud dicatur Cimelium vitæ Chriſtianæ; & ſupra n. 457. 458, Clenodium vitæ humanæ, ac Reconditorium religionis Chriſtianæ. Quod Conjugiale illud per polygamicam ſcortationem apud Chriſtianum, qui in illa eſt, perdatur, patet manifeſte ex eo, quod non poſſit amare concubinam & uxorem æque ſicut polygamus Mahumedanus; ſed quod quantum amat concubam, ſeu caleſcit ad illam, tantum non amet uxorem, ſeu tantum frigeſcat ad illam; & quod deteſtabilius eſt, tantum etiam Dominum modo pro Naturali homine, proque Filio Mariæ, & non ſimul pro Filio Dei, corde agnoſcat, & quoque tantum Religionem floccipendat. At probe noſcendum eſt, quod hoc fiat illis, qui concubinam addunt uxori, & cum utraque actualiter ſe conjungunt; & prorſus non illis, qui ex cauſis legitimis, juſtis, & vere ſonticis ſe ſeparant, & quoad amorem

morem actualem se sejungunt ab uxore, ac usurariam fœminam collocat; de hoc Concubinatus genere nunc sequitur.

467. V. QUOD CONCUBINATUS SEJUNCTIM AB UXORE, DUM FIT EX CAUSIS LEGITIMIS, JUSTIS ET VERE SONTICIS, NON SIT ILLICITUS. Quænam causæ intelliguntur per legitimas, quænam per justas, & quænam per vere fonticas, dicetur in suo ordine; sola mentio causarum hic præmittitur, ut hic Concubinatus, de quo in sequentibus nunc agitur, distinguatur a priori concubinatu.

468. VI. QUOD CAUSÆ LEGITIMÆ HUJUS CONCUBINATUS, SINT CAUSÆ LEGITIMÆ DIVORTII, CUM UXOR NIHILOMINUS RETINETUR DOMI. Per divortium intelligitur abolitio fœderis conjugialis, & inde plenaria separatio, & post hanc integra libertas ducendi aliam uxorem; totalis hujus separationis seu divortii causa unica est scortatio, secundum præceptum Domini, Matth. XIX. 9. Ad eandem etiam se referunt manifestæ obscænitates, quæ solvunt pudorem, ac flagitiosis lenociniis implent & infestant domum, ex quibus impudicitia scortatoria, in quam tota mens est dissoluta, exstat. His accedit malitiosa desertio, quæ involvit scortationem, ac facit uxorem mæchari, & sic repudiari, Matth. V. 32. Hæ tres causæ, quia sunt legitimæ divortii, prima & tertia coram judice publico, ac media coram judice viro, sunt etiam causæ legitimæ concubinatus; sed quando uxor mæcha retinetur domi. Quod scortatio sit unica causa divortii, est quia e diametro est opposita vitæ amoris conjugialis, & hanc usque ad internecionem destruit, videatur supra n. 255.

469. Quod usque uxor meretrix a pluribus viris retineatur domi, sunt causæ. 1. Quod vir timeat cum uxore contestari litem, accusare adulterii, & sic in forum promulgare crimen; nam si testificationes oculares aut ocularium pares illam non convictam facerent, operiretur ille contumeliis tectis in cœtibus virorum, & apertis in cœtibus mulierum. 2. Timet etiam callidas expurgationes suæ meretricis, & quoque patrocinationes ejus a judicibus, & sic prostitutionem nominis sui. 3. Præter illa, dantur domesticorum usuum commoda, quæ dissuadent separationem e domo; ut si illis infantes sunt, erga quos etiam meretricis amor est maternus; si officia mutua intercedunt & conjungunt, quæ non possunt dirimi; si parentelæ & clientelæ sint uxori ab agnatis & cognatis, & ex illis spes fortunarum; si amabiles consuetudines cum illa in principio foverit; & si illa, postquam meretrix facta est, blandis facetiis ac civilitatibus simulatis callide sciat mulcere virum, ne inculpetur; præter alia, quæ quia in se sunt causæ legitimæ divortii, etiam sunt causæ legitimæ concubinatus; nam causæ retentionis domi non tollunt causam divortii, dum scortata est; quis, nisi vilis, potest servare jura lecti conjugialis, ac torum sociare, cum meretrice: si fiat, hic & ibi, non concludit.

470. VII. QUOD CAUSÆ JUSTÆ HUJUS CONCUBINATUS SINT CAUSÆ JUSTÆ SEPARATIONIS A TORO. Sunt causæ legitimæ separationis, & sunt causæ justæ; causæ legitimæ fiunt per edictiones a judicibus, & justæ per edictiones a solo viro judicatas: causæ tam legitimæ quam justæ separationis a toro, & quoque a domo, in compendio recensitæ sunt supra n. 252. 253; ex quibus VITIA CORPORIS,

CORPORIS, ſunt morbi, per quos totum corpus inficitur in tantum, ut lethale ex contagio inducatur; tales ſunt Febræ malignæ & peſtilentiales, Lepræ, Lues venereæ, Cancri: tum Morbi, ex quibus totum corpus ingravatum ſit in tantum, ut nulla conſociabilitas ſit, & ex quibus exhalantur effluvia detrimentoſa & vapores noxii, ſive e ſuperficie corporis, ſive ex interioribus ejus, in ſpecie ex Ventriculo & Pulmone: ex ſuperficie corporis, ſunt malignæ Variolæ, Verrucæ, Puſtulæ, Phtiſis ſcorbutica, Scabies virulenta, imprimis ſi ab his facies defædata eſt: ex Ventriculo, Ructus conſtanter tetri, graveolenti & olidi: ex Pulmone, Halitus fædi & putres ſubhalati ex apoſtematibus, ulceribus aut abſceſſibus, aut ex vitiato ſanguine vel ſero. Præter hos etiam ſunt alii Morbi varii nominis, ut Lipothamia, quæ eſt totalis languiditas corporis, & defectus virium; Paralyſis, quæ eſt reſolutio & relaxatio membranarum & ligamentorum motui inſervientium: Epilepſia; permanens infirmitas ex apoplexia; quidam Morbi chronici; Paſſio iliaca, Hernia, præter alios morbos, quos Pathologia docet. VITIA MENTIS, quæ ſunt cauſæ juſtæ ſeparationis a toro & a domo, ut Mania, Phrenitis, Veſania, actualis Stultitia & Fatuitas, Jactura memoriæ, ac ſimilia alia. Quod hæ cauſæ ſint cauſæ juſtæ Concubinatus, quia ſunt cauſæ juſtæ ſeparationis, ratio abſque judice videt.

471. VIII. QUOD CAUSÆ SONTICÆ HUJUS CONCUBINATUS, SINT REALES ET NON REALES. Quoniam præter cauſas juſtas, quæ ſunt juſtæ ſeparationis, & inde fiunt juſtæ concubinatus, etiam dantur cauſæ ſonticæ, quæ dependent a judicio & juſtitia apud virum, ideo hæ quoque memorandæ ſunt; ſed quia judicia juſtitiæ poſſunt perverti, ac in apparentias juſti per confirmationes converti, ideo hæ cauſæ in ſonticas reales & non reales diſtinguuntur, & ſeorſim deſcribuntur.

472. IX. QUOD CAUSÆ SONTICÆ REALES SINT, QUÆ EX JUSTO SUNT. Ad cognoſcendum has cauſas, ſufficit recenſio aliquarum, quæ ſonticæ reales ſunt, ſicut nulla ſtorge & inde rejectio infantum, intemperantia, ebrietas, immunditia, impudicitia, cupiditas promulgandi ſecreta domus, litigandi, verberandi, vindicandi, malefaciendi, furandi, fallendi; diſſimilitudo interna, ex qua antipathia; proterva expoſtulatio debiti conjugialis, ex qua vir fit frigidus lapis; applicatio ad magias & præſtigias; ſumma impietas: & ſimilia alia.

473. Dantur etiam cauſæ mitiores, quæ ſunt ſonticæ reales, ac ſeparant a toro, & tamen non a domo; prout apud uxorem ex provecto ſenio ceſſatio prolificationis, & inde intolerantia & tergiverſatio ad actualem amorem, perſtante uſque ardore apud virum; præter ſimilia, in quibus rationale judicium videt juſtum, & conſcientiam non lædunt.

474. X. QUOD CAUSÆ SONTICÆ NON REALES, SINT QUÆ NON EX JUSTO SUNT, TAMETSI EX APPARENTIA JUSTI. Hæ ex cauſis ſonticis realibus ſupra recenſitis cognoſcuntur, quæ ſi non rite explorantur, apparere poſſunt ut juſtæ, & tamen injuſtæ ſunt; ſicut quod tempora abſtinentiæ poſt partus requiſita ſint, ægritudines tranſitoriæ uxorum, inde & non inde diſpendia prolifici, polygamiæ

miæ permissæ Israelitis, & similes aliæ nullius valoris ex justitia; hæ effinguntur a viris post contracta frigora, dum incastæ libidines deprivaverunt illos amore conjugiali, ac infatuarunt illos idea similitudinis ejus cum amore scortatorio: hi, dum concubinatum intrant, ne diffamentur, causas tales spurias & & fallaces faciunt germanas & genuinas, ut plurimum etiam de uxore mentitas inspergunt, quæ etiam secundum favorem a civibus amicis assentiuntur & occentantur.

475. XI. QUOD ILLI, QUI EX CAUSIS LEGITIMIS, JUSTIS, ET SONTICIS REALIBUS, IN HOC CONCUBINATU SUNT, POSSINT SIMUL IN AMORE CONJUGIALI ESSE. Dicitur, quod possint simul in amore conjugiali esse, ac intelligitur, quod possint hunc amorem reconditum apud se tenere; nam amor ille in subjecto, in quo est, non perit, sed quiescit. Quod amor conjugialis apud illos, qui conjugium præferunt concubinatui, & in hunc ex causis supramemoratis intrant, conservetur, sunt hæ causæ; quod hic concubinatus non repugnet amori conjugiali; quod non sit separatio ab eo; quod sit modo circumvelatio ejus; & quod hoc velamen auferatur illis post mortem. Quod I. Concubinatus ille non repugnet amori conjugiali, sequitur a supra demonstratis, quod ille concubinatus, dum sit ex causis legitimis, justis, & sonticis realibus, non sit illicitus, n. 467 ad 473. II. Quod concubinatus ille non sit separatio ab amore conjugiali; nam quando causæ legitimæ, aut justæ, aut sonticæ reales intercedunt, suadent, adigunt, amor conjugialis cum conjugio non separatur, sed modo interpolatur, ac amor interpolatus, & non separatus, in subjecto remanet; hoc simile est cum illo, qui in amata functione est, & ab illa distinetur per consortia, vel per spectacula, vel per peregrinationes, usque non perdit amorem functionis; ac simile cum illo, qui amat generosum vinum, usque, dum non nobile bibit, non appetentem gustum pro generoso perdit. III. Quod concubinatus ille sit modo circumvelatio amoris conjugialis, est quia amor concubinatus est naturalis, & amor conjugii spiritualis, ac naturalis amor obvelat spiritualem dum hic intercipitur; quod ita sit, nescit amator, quia spiritualis amor non sentitur ex se, sed per naturalem, ac sentitur ut jucundum in quo est beatum e Cælo; at naturalis amor per se sentitur modo ut jucundum. IV. Quod hoc velamen auferatur post mortem, est quia tunc homo a naturali sit spiritualis, & pro corpore materiali gaudet substantiali, in quo jucundum naturale ex spirituali, in sua eminentia sentitur: quod ita sit, ex communicatione cum quibusdam in Mundo spirituali, etiam a Regibus ibi qui in Concubinatu ex causis sonticis realibus in Mundo naturali fuerant, audivi.

476. XII. QUOD QUANDO HIC CONCUBINATUS PERSTAT, ACTUALIS CONJUNCTIO CUM UXORE NON LICITA SIT. Causa est, quia tunc Amor conjugialis, qui in se est spiritualis, castus, purus, & sanctus, sit naturalis, contaminatur, & obsolescit, & sic perit; quare ut hic amor conservetur, expedit, ut concubinatus ex causis sonticis realibus, n. 472. 473, fiat cum una, & non cum duabus simul.

✤ ✤ ✤ ✤ ✤ ✤ ✤

477. His adjicietur hoc MEMORABILE. Audivi quendam Spiritum e Mundo recentem, juvenem, jactantem se ex Scortationibus, & affectantem aucupium laudis, quod vir masculus præ aliis esset; & inter jactationis insolentias etiam effudit hæc; quid tristius est quam incarcerare amorem suum, & vivere solus cum sola, & quid jucundius quam manumittere amorem, quis non delassatur ex una, & exsuscitatur ex pluribus; quid dulcius quam promiscua libertas, varietas, deflorationes, maritorum elusiones, ac hypocrises scortatoriæ, numne illa quæ astutiis, dolis & furtis obtinentur delectent intima mentis. His auditis adstantes dicebant, ne loquere ita, non scis ubi es, & cum quibus es, nuper huc venisti; est sub pedibus tuis Infernum, & super capite tuo Cælum, es nunc in Mundo, qui medius est inter illa duo, & vocatur Mundus Spirituum, hic adveniunt, & huc colliguntur omnes qui e Mundo decedunt, & explorantur quales sunt, ac præparantur mali ad Infernum & boni ad Cælum; forte ex sacerdotibus in Mundo tenes adhuc, quod scortatores & meretrices dejiciantur in Infernum, & quod casti conjuges eleventur in Cælum: ad hæc Novitius ille risit, dicens, quid Cælum & quid Infernum, estne Cælum ubi quis est liber, & estne ille liber cui licet amare quot lubet, & estne Infernum ubi quis est servus, & estne ille servus, quem oportet adhærere uni. Sed quidam Angelus e Cælo despiciens audivit illa, & abrupit sermonem, ne ulterius progrederetur ad prophanandum conjugia; & dixit illi, ascende huc, & ad vivum monstrabo quid Cælum & quid Infernum, & quale hoc est scortatoribus confirmatis, & monstravit viam, & ascendit; & post receptionem ducebatur primum in Hortum paradisiacum, ubi erant arbores fructus & flores, quæ ex pulchritudine, amænitate & fragrantia implebant animos delitiis vitæ; quæ dum vidit, admirabatur admiratione magna, sed erat tunc in visu externo, in quali fuit in Mundo, cum parilia vidit; & in hoc visu erat rationalis; in visu autem interno, in quo scortatio primas agebat, & omne punctum cogitationis occupabat, non erat rationalis; quare claudebatur visus externus, & aperiebatur visus internus; quo aperto dixit, quid nunc video, nonne stramenta & ligna arida; & quid nunc sentio, nonne maleolentia, ubi nunc paradisiaca; & dixit Angelus, in propinquo sunt & adsunt, sed non apparent coram visu tuo interno, qui est scortatorius, hic enim vertit cælestia in infernalia, & non videt nisi opposita: est cuivis homini mens interna & mens externa, sic visus internus & visus externus; apud malos mens interna insanit & externa sapit, at apud bonos interna sapit, & ex hac etiam externa; & sicut mens est, ita homo in Spirituali Mundo videt objecta. Post hæc Angelus ex potentia sibi data occlusit ejus visum internum, & aperuit externum, & deducebat illum per portas versus meditullium habitationum, & vidit palatia magnifica ex alabastro, marmore, & vario lapide pretioso; & juxta illa porticus, & circum circa columnas superinductas & circumductas insignibus & decoribus stupendis; quæ cum vidit, obstupuit, & dixit, quid video,

video, video magnifica in ipsa sua magnificentia, & achitectonica in ipsa sua arte; at tunc Angelus iterum occlusit ejus visum externum, & aperuit internum, qui malus quia fœde scortatorius erat; quo facto exclamavit dicens, quid nunc video, ubi sum, ubi nunc palatia & magnifica; video strues, rudera & cavernosa. At mox reductus est in externum, ac introductus in unum ex palatiis, & vidit decorationes portarum, fenestrarum, parietum, & tectorum, imprimis utensilium, super quibus & circum quæ erant formæ cælestes ex auro & lapidibus pretiosis, quæ non possunt ullis vocibus describi, nec ulla arte delineari, erant enim supra ideas vocum, & supra notiones artis; his visis iterum exclamavit dicens, hæc ipsa mirifica sunt, quæ oculus nusquam viderat; at tunc aperiebatur visus ejus internus, clauso externo, ut prius, & interrogabatur quid nunc videret, & respondit, non nisi quam macerias hic ex juncis, hic ex stramentis, & hic ex torribus. Sed perductus est adhuc in statum mentis externum, & adducebantur Virgines, quæ erant formositates, quia cælestis affectionis imagines, & hæ voce affectionis suæ suavi illum alloquebantur, & tunc ex visis & auditis mutabatur facies ejus, & ex se in sua interna, quæ erant scortatoria, rediit, quæ quia non sustinent aliquid amoris cælestis, & vicissim nec sustinentur ab amore cælesti, utrinque evanuerunt, virgines e conspectu viri, & vir e conspectu virginum. Post hæc Angelus instruxit illum, unde erant inversiones status visuum ejus, dicens, percipio, quod in Mundo, e quo advenis, fueris duplex, alius in internis, & alius in externis; quod in externis fueris homo civilis, moralis & rationalis, at in internis non civilis, non moralis, nec rationalis, quia scortator & adulter, & tales, dum illis licet ascendere in Cælum, & ibi in externis suis tenentur, possunt videre cælestia ibi, at cum aperiuntur interna illorum, loco cælestium vident infernalia. At scias, quod apud unumquemvis hic successive claudantur externa, & aperiantur interna, & sic præparentur ad Cælum aut ad Infernum; & quia malum scortationis fœdat interna mentis præ omni alio malo, non potest non ad fœda amoris tui deferri, & hæc sunt in infernis, ubi cavernæ putent ex stercoribus: quis non ex ratione potest scire, quod incastum & lascivum in Mundo Spirituali sit impurum & immundum, & sic quod nihil plus conspurcet & fœdet hominem, & inducat illi infernale. Cave itaque ne amplius glorieris ex scortatione tua, quod in illa sis vir masculus præ aliis; prædico tibi, quod futurus sis imbecillis, usque ut vix scias ubi tuum masculum est; talis sors gloriantes ex potentia scortationis manet. His auditis descendit, & rediit in Mundum Spirituum, & ad socios priores, & cum illis modeste & caste loquutus est, sed usque non diu.

De Adulteriis, & illorum Generibus & Gradibus.

478. Nemo scire potest, quod aliquod malum insit Adulterio, qui de illo solum ab externis judicat; est enim in his simile Conjugio; hi judices externi,

dum Interna nominantur, & illis dicitur, quod ab his Externa ducant suum bonum vel suum malum, secum dicunt, quid Interna, quis videt illa, estne hoc scandere supra sphæram cujusque intelligentiæ: hi sunt similes illis, qui omne simulatorium bonum acceptant pro genuino voluntario; ac qui hominis sapientiam spectant ex elegantia sermonis; aut ipsum hominem reputant ex amictu splendido, & vectione in curru magnifico, & non ex interno ejus habitu, qui est judicii ex affectione boni; pariter id simile est cum judicio de fructu arboris, deque aliquo esculento, ex solo visu & tactu, & non de bonitate ejus ex sapore & scientia: ita faciunt omnes qui nihil de internis hominis volunt percipere: inde est hodie vasania plurium, quod nihil mali in adulteriis videant, imo quod conjugia in eodem thalamo cum illis conjungant, hoc est, consimilia faciant; & id duntaxat propter apparentiam similitudinis in externis. Quod ita sit, convicit hoc experientiæ auctoramentum: quondam ab Angelis ex Orbe Europæo convocati sunt aliquot centum ex pollentibus ingenio, eruditis, & sapientibus ibi; & quæsiti de discrimine Conjugii & Adulterii, & rogati ut consulerent rationes intellectus sui, & post consultationem, omnes præter decem, responderunt, quod solum Lex forensis faciat discrimen, propter aliquod emolumentum, quod quidem potest sciri, sed usque accommodari per prudentiam civilem: deinde inrerrogati sunt, num aliquid boni videant in conjugio, & aliquid mali in adulterio, retulerunt, quod non aliquid rationale malum & bonum; quæsiti, num aliquid peccati, dixerunt ubinam id, estne factum simile: ad hæc responsa, obstupescebant Angeli, & exclamabant, oh, qualis & quanta obesitas Sæculi; quibus auditis, Centuriæ sapientum se converterunt, & cachinando inter se dixerunt, est hoc obesitas, num aliqua sapientia dabilis sit, quæ convictrix, quod amare uxorem alterius mereatur damnationem æternam. Quod autem Adulterium sit malum spirituale, ac inde malum morale, ac malum civile, ac e diametro contra sapientiam rationis, tum quod amor adulterii sit ex inferno & ad illud redeat, & quod amor conjugii sit ex cælo & ad hoc redeat, in Primo Capite hujus Partis, de Oppositione amoris scortatorii & amoris conjugialis, demonstratum est. Sed quia omnia mala sicut omnia bona latitudinem & altitudinem sortiuntur, ac secundum latitudinem sunt illis genera, & secundum altitudinem sunt illis gradus, ideo ut adulteria quoad utramque dimensionem noscantur, dispescentur illa primum in sua genera, & postea in suos gradus; quod fiet in hac serie. I. *Quod tria Genera adulteriorum sint, Simplex, Duplicatum, & Triplicatum.* II. *Quod Adulterium simplex sit viri cælebis cum uxore alterius, aut fœminæ innuptæ cum marito alterius.* III. *Quod Adulterium duplicatum sit mariti cum alterius uxore, seu vicissim.* IV. *Quod Adulterium triplicatum sit cum consanguineis.* V. *Quod quatuor Gradus adulteriorum sint, secundum quos fiunt illorum prædicationes, inculpationes, & post mortem imputationes.* VI. *Quod Adulteria primi gradus, sint adulteria ignorantiæ, quæ fiunt ab illis qui nondum vel non possunt consulere intellectum, & inde inhibere illa.* VII. *Quod Adulteria ab his facta sint mitia.* VIII. *Quod Adulteria secundi gradus, sint adulteria libidinis, quæ fiunt ab illis, qui quidem possunt consulere intellectum, sed propter contingentes causas illis*

lis momentis non possunt. IX. *Quod Adulteria ab his facta imputatoria sint, sicut postea intellectus illis favet vel non favet.* X. *Quod Adulteria tertii gradus sint adulteria rationis, quæ fiunt ab illis, qui intellectu confirmant quod non mala peccati sint.* XI. *Quod Adulteria ab his facta gravia sint, ac imputentur, secundum confirmationes.* XII. *Quod Adulteria quarti gradus, sint adulteria voluntatis, quæ fiunt ab illis, qui faciunt illa licita & placita, nec tanti ut mereatur de illis consulere intellectum.* XIII. *Quod Adulteria ex his facta maxime gravia sint, ac imputentur illis ut mala propositi, ac insideant ut reatus.* XIV. *Quod Adulteria tertii & quarti gradus sint mala peccati, quantum & quale intellectus & voluntatis in illis est, sive actu fiant, sive actu non fiant.* XV. *Quod Adulteria ex proposito voluntatis, & Adulteria ex confirmatione intellectus, reddant homines naturales, sensuales, & corporeos.* XVI. *Quod in tantum, ut tandem omnia Ecclesiæ & Religionis a se rejiciant.* XVII. *Quod tamen usque rationalitate humana polleant, sicut alii.* XVIII. *Sed quod rationalitate illa utantur dum in externis sunt, sed abutantur dum in suis internis.* Sequitur nunc horum Explicatio.

479. I. QUOD TRIA GENERA ADULTERIORUM SINT, SIMPLEX, DUPLICATUM, ET TRIPLICATUM. Creator universi omnia & singula quæ creavit, distinxit in genera, & unumquodvis genus in species, & unamquamvis speciem discriminavit, & quamvis discriminationem similiter, & sic porro; propter finem, ut existat imago Infiniti in perpetua qualitatum varietate: ita Creator universi distinxit bona & illorum vera, ac similiter mala & horum falsa postquam exorta sunt. Quod in genera, species ac differentias, distinxerit omnia & singula in Mundo Spirituali, & quod omnia bona & vera contulerit in Cælum, ac omnia mala & falsa in Infernum, ac quod disposuerit hæc e diametro contra illa, ex detectis in Opere DE CÆLO ET INFERNO, Londini Anno 1758, edito, constare potest: quod in Mundo naturali ita quoque distinxerit & distinguat bona & vera, ac mala & falsa apud homines, ita homines, potest nosci ex sorte illorum post mortem, quod bonis sit cælum, ac malis infernum. Nunc, quia omnia quæ boni sunt, & omnia quæ mali, distincta sunt in genera, species, & porro, ideo in illa distincta sunt Conjugia, & similiter horum opposita, quæ sunt Adulteria.

480. II. QUOD ADULTERIUM SIMPLEX SIT VIRI CÆLEBIS CUM UXORE ALTERIUS, AUT FÆMINÆ INNUPTÆ CUM MARITO ALTERIUS. Per Adulterium hic & in sequentibus intelligitur scortatio opposita conjugio; oppositum est, quia violat fædus vitæ pactum inter conjuges, discerpit amorem illorum, fædat illum, & occludit unionem tempore desponsationis initiatum, ac in principio conjugii firmatum; nam Amor conjugialis viri cum una uxore, post pactum & fædus unit animas; hanc unionem adulterium non solvit, quia non solvi potest, sed occludit, sicut qui obturat fontem in scaturigine ejus & inde venam, ac implet cisternam aquis fæculentis & putidis; similiter per adulterium oblimatur & operitur amor conjugialis, cujus origo est unio animarum; qua oblimata ab infra exsurgit amor adulterii, qui sicut increscit, fit ille carneus, & hic insurgit contra amorem conjugialem, & destruit illum: inde est oppositio adulterii & conjugii.

481. Ut iterum noscatur, qualis obesitas hujus sæculi est, quod a sapientibus ejus non videatur aliquid peccati in Adulterio, ut mox supra n. 478, ab Angelis detectum est, hoc Memorabile hic adjungam. „ Erant quidam spiritus, qui ex usu in vita corporis, me solertia peculiari infestabant, & hoc „ per influxum molliusculum quasi undantem, qualis solet esse proborum spirituum; sed perceptum, quod in illis essent astutiæ & similia, ut captarent & fallerent: tandem loquutus sum cum uno ex illis, qui quod fuerit „ Dux exercitus, cum vixit in Mundo, mihi dictum est: & quia percepi, „ quod in ideis cogitationis ejus esset lascivum, loquutus sum cum illo loquela „ spirituali cum repræsentativis, quæ plene exprimit sensa, & momento plura: dixit, quod in vita corporis in Mundo priori Adulteria pro nihilo reputaverit: sed ei dicere datum est, quod Adulteria sint nefanda, tametsi „ apparent coram illis, qui tales, ex jucundo quod captarunt, & ex persuasione inde, quod non talia, imo licita; quod etiam scire posset ex eo, quod „ Conjugia sint Seminaria Generis humani, & inde etiam Seminaria Regni „ cælestis, & idcirco quod non violanda, sed sancta habenda; tum ex eo, „ quod scire debet quia in Mundo spirituali est, ac in statu perceptionis, „ quod Amor conjugialis a Domino per Cælum descendat, & quod ab illo „ amore, ut parente, derivetur amor mutuus, qui est firmamentum Cæli; „ & ex eo, quod Adulteri, dum modo approximant ad Societates cælestes „ sentiant graveolentiam suam, & se inde præcipitent versus Infernum; ad „ minimum potuisset scire, quod violare conjugia, sit contra leges Divinas, „ contra omnium Regnorum leges civiles, tum contra genuinum lumen rationis, & sic contra jus gentium, quia contra Ordinem & Divinum & Humanum, præter plura. Sed respondebat, quod talia non cogitaverit in „ vita priore: voluit ratiocinari, num ita esset, sed dictum est ei, quod veritas non admittat ratiocinia, patrocinantur enim jucundis carnis contra jucunda spiritus, quæ nescit qualia sunt; & quod primum cogitare debeat de „ illis quæ dicta sunt, quia vera; aut ex illo principio, quod notissimum est „ in Mundo, quod nemo alteri facere debeat, quod non velit ut alter faciat „ sibi; & sic si quis ipsius uxorem, quam amavisset, quod fit in principio „ omnis conjugii, tali modo decepisset, tunc cum in statu excandescentiæ „ super id esset, si ex illo statu loqueretur, annon etiam ipse adulteria detestaturus fuisset, & tunc, quia ingenio pollet, se confirmavisset plus quam „ alii contra illa, usque ut damnavisset illa ad infernum; & quia Dux exercitus fuit, & cum strenuis ibi, ne id opprobrium illi fuisset, adulterum „ vel interemisset, vel meretricem e domo sua ejecisset.

482. III. Quod Adulterium duplicatum sit mariti cum alterius uxore, seu vicissim. Hoc Adulterium duplicatum vocatur, quia a duobus fit, ac utrinque violatur fœdus conjugii, quare etiam duplo gravius priori est. Dictum est supra, n. 480. quod Amor conjugialis unius viri cum una uxore post pactum & fœdus uniat animas, & quod unio illa sit ipse ille Amor in sua origine, & quod hæc per adulterium, sicut scaturigo & vena fontis, occludatur & obturetur; quod duorum animæ se uniant, quando amor ad sexum re-

restringitur ad unam seu ad unum e sexu, quod fit dum virgo se totam pacta est juveni, ac vicissim juvenis se totum pactus est virgini, patet clare ex eo, quod utriusque vitæ se uniant, consequenter animæ, quia hæ sunt principia vitæ: hæc unio animarum non dabilis est nisi quam in Conjugiis monogamicis seu unius viri cum una uxore, non autem in Conjugiis polygamicis seu unius viri cum pluribus, quia in his est Amor divisus, in illis unitus: quod Amor conjugialis in suprema hac sede sit spiritualis, sanctus & purus, est causa, quia anima cujusvis hominis ex origine sua est cælestis, quare illa a Domino immediate recipit influxum, recipit enim ab Ipso conjugium amoris & sapientiæ, seu boni & veri, & hic influxus facit illum hominem, & distinguit a bestiis. Ex hac unione animarum, Amor conjugialis, qui ibi est in spirituali sua sanctitate & puritate, defluit in vitam totius corporis, ac implet illam beatis jucundis, quamdiu vena ejus aperta manet, quod fit apud illos, qui a Domino spirituales fiunt. Quod nihil aliud hanc amoris conjugialis sedem, originem, seu fontem & ejus venam, occludat & obturet, quam adulterium, patet a Domini verbis, quod solum propter adulterium liceat dimittere uxorem, & aliam ducere, Matth. XIX. 4 ad 9; tum ex his ibi, quod qui dimissam ducit, adulterium committat, Vers 9. Cum itaque purus & sanctus ille fons obturatur, ut supra dictum est, circumstipatur ille fæditatibus, sicut gemma stercoribus, aut panis vomitu, quæ puritati & sanctitati illius fontis seu Amoris conjugialis prorsus opposita sunt; ex qua oppositione est frigus conjugiale, & secundum hoc est lascivum volupe amoris scortatorii, quod se sponte consummit: quod hoc fit malum peccati, est quia sanctum operitur, & sic vena ejus in corpus obstruitur, & loco ejus prophanum succedit, & hujus vena in corpus aperitur, inde homo a cælesti fit infernalis.

483. His adjiciam aliqua e Mundo spirituali, quæ memoratu digna sunt: „ Audivi ibi, quod quibusdam Viris uxoratis sit libido scortandi cum fæminis illibatis seu virginibus; quibusdam cum libatis seu scortis; quibusdam cum fæminis maritatis seu uxoribus; quibusdam cum talibus ex nobili prosapia, & quibusdam ex non nobili; quod ita sit, ex pluribus e variis Regnis in illo Mundo confirmatus sum. Cum meditatus sum de varietate talium libidinum, quæsivi, num dentur, qui omne jucundum captant cum uxoribus aliorum, & nullum cum fæminis innuptis; quare ut noscerem, quod dentur, adducti sunt ad me plures e quodam Regno, qui tenebantur loqui secundum libidinosum suum; hi dixerunt, quod illis unicum volupe & jucundum fuerit, & quoque sit, mæchari cum aliorum uxoribus; & quod prospiciant sibi pulchras, & conducant illas sibi pro mercede grandi secundum opulentiam; ac utplurimum de mercede paciscantur cum illa sola: quæsivi, cur non sibi conducunt fæminas innuptas, dixerunt, quod hoc sit illis commune, quod in se vile est, cui nihil jucundi inest: quæsivi etiam, num uxores illæ postea redeant ad suos viros, ac vivant cum illis, responderunt quod vel non, vel frigide, quia factæ meretrices. Postea interrogavi serio, num usquam cogitaverint, vel nunc cogitent, quod hoc sit adulterium duplicatum, quia dum uxorati sunt, hoc faciunt, & quod tale adulterium homi-

„ hominem ab omni bono spirituali depopuletur; sed ad hæc plerique qui „ aderant, riserunt, dicentes, quid bonum spirituale: at institi, dicendo, „ quid detestabilius est, quam animam suam cum anima mariti in uxore ejus „ commiscere, nostisne quod in semine sit anima viri; ad hæc averterunt se, „ & murmurabant, quid hoc nocet ibi: tandem dixi, tametsi non timetis „ leges Divinas, numne Civiles, responderunt quod non, solum aliquos ex „ Ministerio Ecclesiastico, sed coram illis celamus hoc, & si non possumus, „ cum illis bene agimus. Postea vidi illos divisos in turmas, & ex his quos„ dam conjectos in infernum.

484. IV. Quod Adulterium triplicatum sit cum consanguineis. Hoc Adulterium vocatur triplicatum, quia duobus prioribus triplo gravius est. Quænam Consanguinitates, seu Reliquiæ carnis, ad quas non appropinquandum est, Levit. XVIII: 6 ad 17, recensitæ videantur. Causæ, quod hæc Adulteria duobus supradictis triplo graviora sint, sunt Internæ & Externæ; Causæ internæ sunt ex correspondentia illorum cum violatione Conjugii spiritualis, quod est Domini & Ecclesiæ, & inde boni & veri; Causæ externæ autem sunt propter custodias ne homo fiat bestia: sed ad detectionem causarum non vacat hic progredi.

485. V. Quod quatuor gradus adulteriorum sint, secundum quos fiunt illorum prædicationes, inculpationes, et post mortem imputationes. Hi Gradus non sunt genera, sed intrant in unumquodvis, & faciunt discrimina ejus inter plus & minus malum aut bonum, hic num Adulterium cujusvis generis ex ratione circumstantiarum & contingentium, reputandum sit mitius aut gravius; quod circumstantiæ & contingentia unumquamque rem varient, notum est. At usque aliter reputantur ab homine ex rationali ejus lumine, aliter a judice ex lege, & aliter a Domino ex statu mentis hominis; quare dicuntur prædicationes, inculpationes, & post mortem imputationes; nam ab homine secundum rationale ejus lumen fiunt prædicationes, a judice secundum legem fiunt inculpationes, & a Domino secundum statum mentis hominis fiunt imputationes; quod hæc tria inter se valde differant, sine expositione videri potest: homo enim ex rationali evictione secundum circumstantias & contingentia potest aliquem absolvere, quem judex, dum judicium sedet, ex lege non potest, & quoque judex potest absolvere, qui post mortem damnatur; causa est, quia judex secundum facta sententiam statuit, at post mortem quisque judicatur secundum intentiones voluntatis & inde intellectus, & secundum confirmationes intellectus & inde voluntatis; has & illas judex non videt; at usque utrumque judicium est justum, unum propter Societatis civilis bonum, alterum propter Societatis cælestis bonum.

486. VI. Quod Adulteria primi gradus sint adulteria ignorantiæ, quæ fiunt ab illis, qui nondum vel non possunt consulere intellectum, et inde inhibere illa. Omnia mala, ita quoque Adulteria in se spectata sunt simul Interni & Externi hominis, Internus intendit illa, & Externus facit illa; qualis itaque internus homo est in factis quæ per externum fiunt, talia sunt facta in se spectata: sed quia internus homo cum sua intentione non appa-

apparet coram homine, unusquisque judicandus est in foro ex factis & loquelis secundum legem sancitam & ejus cautelas; interior sensus legis etiam a judice dispiciendus est. Sed exempla illustrent; si forte adulterium fit a puero adolescente, qui nondum scit quod adulterium sit plus malum quam fornicatio: si simile fit ab homine extremæ simplicitatis: si fit a quodam qui a morbo orbatur acie judicii; aut a quodam, ut aliquibus fit, qui alternis delirat, & tunc in statu est in quo sunt actuales deliri: tum etiam si fit in insaniente ebrietate, & sic porro; quod tunc internus homo, seu mens, non in externo adsit vix aliter quam in irrationali, constat: horum adulteria prædicantur ab homine rationali secundum illas circumstantias; at usque ab eodem ut judice factor inculpatur & punitur ex lege; at post mortem imputantur illa ex præsentia, qualitate, & facultate intellectus in voluntate illorum.

487. VII. Quod Adulteria ab his facta sint mitia. Constat ex supradictis n. 486 absque ulteriore confirmatione; notum enim est, quod qualitas omnis facti, in genere qualitas omnis rei, dependeat a circumstantiis, & quod hæ mitigent aut aggravent: sed hujus gradus adulteria sunt mitia primis temporibus dum fiunt; & quoque manent mitia quantum ille vel illa in sequente vitæ curriculo, abstinet ab illis, propter causas, quia sunt mala contra Deum, vel quia sunt mala contra proximum, vel quia sunt mala contra bonum civitatis, & ex his aut ex illis quia sunt mala contra rationem; vicissim autem numerantur illa etiam inter gravia, si non abstinent ab illis propter unam ex memoratis causis: ita est secundum Legem Divinam, Ezech. XVIII: 21, 22, 24, & alibi: ab homine autem exculpari & inculpari, aut prædicari & judicari, ut mitia aut gravia, ex illis circumstantiis, non possunt, quia non apparent coram illo, imo nec ejus judicii est; quare intelligitur, quod post mortem ita reputentur ac imputentur.

488, VIII. Quod Adulteria secundi gradus sint adulteria libidinis, quæ fiunt ab illis, qui quidem possunt consulere intellectum, sed propter contingentes causas illis momentis non possunt. Sunt duo, quæ in principio apud hominem, qui a naturali fit spiritualis, inter se pugnant, quæ communiter vocantur spiritus & caro; & quia amor conjugii est spiritus, & amor adulterii est carnis, fit tunc etiam pugna inter illos; si amor conjugii vincit, domat & subjugat ille amorem adulterii, quod fit per remotionem: at si contingit, quod libido carnis excitetur in æstum ultra quam ut spiritus ex ratione possit cohibere, sequitur, quod invertatur status, ac æstus libidinis obfundat spiritum illecebra, usque ut non amplius non suæ rationis, & inde sui juris sit: hoc intelligitur per adulteria secundi gradus, quæ fiunt ab illis, qui quidem possunt consulere intellectum, sed propter contingentes causas illis momentis non possunt. Sed sint exempla illustrationi; ut si uxor meretrix astutiis captat animum viri, alliciendo in thalamum, & exæstuando usque dum impos judicii evadit; & plus si tunc etiam, objicit ignominiam, si non: pariter si aliqua uxor meretrix callet præstigias, aut veneficiis accendit virum eo usque ut æstrum carnis auferat intellectui liberum rationis: similiter si vir suavibus allectamentis, adducit uxorem alte-

rius usque dum voluntas ejus accensa non amplius suæ potentiæ sit; præter similia alia. Quod hæc & parilia contingentia leniant gravitatem adulterii, ac in mitiorem partem vertant prædicationes vituperii ejus pro seducto aut seducta, ratio favet & adstipulatur. De imputatione hujus gradus Adulterii sequitur.

489. IX. Quod Adulteria ab his facta, imputatoria sint, sicut postea intellectus illis favet vel non favet. Quantum intellectus favet malis, tantum homo appropriat sibi illa, ac facit sua; favor est consensus, ac consensus inducit menti statum amoris illorum; simile est cum adulteriis, quæ principio absque consensu intellectus facta sunt, & faventur; contrarium fit, si postea non faventur: causa est, quia mala aut adulteria, quæ fiunt in occæcatione intellectus, fiunt ex concupiscentia corporis, quæ similitudine accedunt ad instinctus, quales sunt apud bestias: apud hominem quidem intellectus adest dum fiunt, sed in vi passiva seu mortua, non autem in vi activa seu viva: ex his a se sequitur, quod talia non imputentur, nisi quantum postea faventur vel non faventur. Per imputationem intelligitur hic incusatio post mortem, & inde judicatio, quæ fit secundum statum spiritus hominis; non autem intelligitur inculpatio ab homine coram judice, hæc non fit secundum statum spiritus ejus, sed corporis in facto; quæ nisi differrent, post mortem absolverentur qui absolvuntur in Mundo, & condemnarentur qui damnantur ibi, & sic non his foret aliqua spes salutis.

490. X. Quod Adulteria tertii gradus sint adulteria rationis, quæ fiunt ab illis, qui intellectu confirmant quod non mala peccati sint. Omnis homo scit, quod detur voluntas & intellectus, nam dum loquitur, dicit, hoc volo & hoc intelligo; at usque non distinguit, sed unum facit idem cum altero; causa est, quia solum reflectit super illa quæ cogitationis ex intellectu sunt, & non super illa quæ amoris ex voluntate sunt, hæc enim non apparent in luce sicut illa. Attamen qui non discriminat Voluntatem & Intellectum inter se, non potest discriminare mala & bona inter se, & inde prorsus non scire aliquid de culpa peccati. Sed quis non scit, quod bonum & verum duo distincta sint, sicut amor & sapientia, & quis, dum in rationali lumine est, inde non concludere potest, quod duo sint in homine, quæ distincte recipiunt & addicant sibi illa, & quod unum sit Voluntas, ac alterum Intellectus, ex causa quia id quod voluntas recipit & reproducit dicitur Bonum, ac id quod Intellectus recipit dicitur Verum, nam quod Voluntas amat & facit appellatur Bonum, & quod Intellectus percipit & cogitat, appellatur Verum. Nunc quia de Conjugio boni & veri in Parte prima hujus Operis actum est, ac ibi de Voluntate & Intellectu, ac de utriusque variis attributis & prædicatis, plura adducta sunt, quæ, ut autumo, percipiuntur etiam ab illis, qui non aliquid distincte de intellectu & voluntate cogitaverant; ratio enim humana talis est, ut vera ex luce illorum, tametsi illa non prius distinxit, intelligat: ut ergo discrimina intellectus & voluntatis clarius percipiantur, aliqua hic tradam, propter finem, ut sciatur, qualia sunt Adulteria rationis seu intellectus, & postea qualia sunt adulteria Voluntatis; pro cognitione de his, inserviant hæc, I. Quod Voluntas sola ex se nihil agat, sed

ſed quod quicquid agit per intellectum agat. 2. Viciſſim etiam, quod Intellectus ſolus ex ſe nihil agat, ſed quod quicquid agit ex voluntate agat. 3. Quod Voluntas in intellectum influat, non autem Intellectus in voluntatem, ſed quod Intellectus doceat quid bonum & malum eſt, & conſulat voluntatem ut ex duobus illis eligat & faciat quod placiti ejus eſt. 4. Quod poſt hæc fiat conjunctio dupla, una in qua voluntas ab intra agit & intellectus ab extra; altera, in qua intellectus ab intra agit, & voluntas ab extra: ita diſtinguuntur Adulteria rationis, de quibus hic, ab Adulteriis voluntatis, de quibus ſequitur: diſtinguuntur, quia unum eſt gravius altero; eſt enim Adulterium rationis minus grave quam adulterium voluntatis; cauſa eſt, quia in Adulterio rationis agit intellectus ab intra, & voluntas ab extra; at in Adulterio voluntatis agit voluntas ab intra ac intellectus ab extra, ac voluntas eſt ipſe homo, ac intellectus eſt homo ex voluntate; ac id quod intra agit, dominatur ſuper id quod extra agit.

491. XI. Quod adulteria ab his facta gravia sint secundum confirmationes. Solus intellectus confirmat, & cum confirmat, voluntatem adſciſcit, & circum ſe ponit, & ſic adigit illam ad obſequium: confirmationes fiunt per ratiocinia, quæ Mens captat vel e regione ſua ſuperiore, vel e regione inferiore; ſi e regione ſuperiore, quæ communicat cum Cælo, confirmat conjugia & damnat adulteria; at ſi e regione inferiore, quæ communicat cum Mundo, confirmat adulteria, & conjugia floccipendit. Quiſque poteſt confirmare malum æque ac bonum, ſimiliter falſum & verum, & confirmatio mali delectabilius percipitur quam confirmatio boni, ac confirmatio falſi lucidius apparet quam confirmatio veri; cauſa eſt, quia confirmatio mali & falſi trahit ſua ratiocinia ex jucundis, voluptatibus, apparentiis & fallaciis ſenſuum corporis, at confirmatio boni & veri trahit ſuas rationes e regione ſupra ſenſualia corporis. Nunc quia mala & falſa æque poſſunt confirmari ſicut bona & vera, & quia intellectus confirmans trahit voluntatem in ſuas partes, ac voluntas una cum intellectu format mentem, conſequitur, quod forma mentis humanæ ſit ſecundum confirmationes, verſa ad cælum ſi confirmationes ejus ſunt pro conjugiis, at verſa ad infernum ſi ſunt pro adulteriis; & qualis eſt forma mentis hominis, talis eſt ſpiritus ejus, proinde talis eſt homo. Ex his nunc conſtat, quod Adulteria hujus gradus poſt mortem imputentur ſecundum confirmationes.

492. XII. Quod Adulteria quarti gradus sint adulteria voluntatis, quæ fiunt ab illis, qui faciunt illa licita et placita, nec tanti, ut mereatur de illis consulere intellectum. Hæc Adulteria diſtinguuntur a prioribus ex illorum originibus; Origo horum adulteriorum eſt ex prava Voluntate connata homini, ſeu ex malo hæreditario, cui homo, poſtquam ſui judicii factus eſt, cæce obedit, nihil judicando de illis num mala ſint vel non; quare dicitur, quod illa non tanti reputet, ut mereatur ut de illis conſulatur intellectus: origo autem adulteriorum, quæ vocantur adulteria rationis, ſunt ex perverſo intellectu, & fiunt ab illis, qui confirmant quod non mala peccati ſint; apud hos Intellectus agit primas, apud illos Voluntas. Hæc duo diſcrimina nulli homini apparent in Mundo naturali, ſed

evidenter Angelis in Mundo ſpirituali; in hoc Mundo in genere diſtinguuntur omnes ſecundum mala quæ originitus ſcaturiunt ex voluntate vel ex intellectu, & acceptantur & appropriantur; ſeparantur etiam ſecundum illa in Inferno; in hoc illi qui ex intellectu mali ſunt, anterius habitant, & vocantur Satanæ, qui autem ex voluntate mali ſunt, habitant poſterius, & vocantur Diaboli; propter univerſale hoc diſcrimen, in Verbo dicitur ſatanas & diabolus: apud illos malos, & quoque adulteros, qui vocantur ſatanæ, intellectus agit primas, at apud illos, qui vocantut diaboli, voluntas agit primas. Sed diſcrimina exponere, uſque ut intellectus videat illa, non dari poteſt, niſi diſcrimina voluntatis & intellectus prius noſcantur, & quoque niſi deſcribatur formatio mentis a voluntate per intellectum, ac formatio ejus ab intellectu per voluntatem; horum cognitio prælucebit, ut diſcrimina ſupra dicta a ratione videantur; ſed hoc eſt membranæ opus.

493. XIII. Quod adulteria ab his facta maxime gravia sint, ac imputentur illis ut mala propositi, et insideant illis ut reatus. Quod ſint maxime gravia, & prioribus graviora, eſt quia in his voluntas primas partes agit, at in prioribus intellectus, ac vita hominis eſſentialiter eſt voluntatis ejus, ac formaliter eſt intellectus ejus; cauſa eſt, quia voluntas unum agit cum amore, ac amor eſt eſſentia vitæ hominis, & hic format ſe in intellectu per talia quæ concordant; quare intellectus in ſe ſpectatus non aliud eſt, quam forma voluntatis; & quia amor eſt voluntatis, ac ſapientia eſt intellectus, ideo ſapientia nec aliud eſt quam forma amoris, ſimiliter verum nec aliud quam forma boni. Illud, quod profluit ex ipſa eſſentia vitæ hominis, ita quod ex voluntate ſeu amore ejus, principaliter vocatur propoſitum; aſt quod profluit ex forma vitæ ejus, ita ex intellectu & ejus cogitatione, vocatur intentio: reatus etiam principaliter prædicatur de voluntate; inde dicitur, quod reatus mali unicuique ſit ex hæreditate, at malum ex homine. Inde eſt, quod hæc quarti gradus adulteria, imputentur ut mala propoſiti, ac inſideant ut reatus.

494. XIV. Quod Adulteria tertii et quarti gradus sint mala peccati, quantum et quale intellectus et voluntatis in illis est, sive actu fiant, sive actu non fiant. Quod Adulteria rationis ſeu intellectus, quæ ſunt tertii gradus, ac Adulteria voluntatis, quæ ſunt quarti gradus, ſecundum quale intellectus & voluntatis in illis ſint gravia, conſequenter mala peccati, ex commentatione de illis ſupra n. 490 ad 493, videri poteſt; cauſa eſt, quia homo eſt homo ex Voluntate & Intellectu; nam ex illis duobus non ſolum exiſtunt omnia quæ fiunt in Mente, ſed etiam omnia quæ fiunt in Corpore; quis non novit, quod corpus non agat ex ſe, ſed voluntas per corpus, tum quod os non ex ſe loquatur ſed cogitatio per os; quare ſi auferretur voluntas momento ſubſiſteret actio, & ſi auferretur cogitatio, momento ſubſiſteret loquela oris: inde plane evidens eſt, quod Adulteria, quæ actu fiunt, gravia ſint ſecundum quantum & quale intellectus & voluntatis in illis eſt; quod ſimiliter gravia ſint, ſi eadem non actu fiunt, conſtat ex his Domini verbis „ *Dictum eſt a veteribus, non mæchaberis; Ego vero dico vobis, quod ſi quis aſpexerit mulierem alterius, ita ut concupiſcat illam, jam adulterium cum illa commiſerit in corde*, Matth. V. 27. 28; corde committere adulterium, eſt voluntate. Sunt multæ cauſæ,

quæ

quæ faciunt, quod adulter non fit actu adulter, & usque voluntate ac intellectu; sunt enim qui abstinent ab adulteriis quoad actum, ex timore legis civilis & ejus pænarum; ex timore jacturæ famæ & inde honoris; ex timore morborum ex illis; ex timore jurgiorum domi ab uxore, & inde intranquillitatis vitæ; ex timore vindictæ a marito aut ab affine, ita quoque ex timore verberum a famulis; ex egestate, aut ex avaritia; ex imbecillate oriunda vel ex morbo, vel ex abusu, vel ex ætate, vel ex impotentia, & inde pudore; si quis ex his & parilibus causis ab adulteriis actu se retinet, & tamen voluntate & intellectu pro illis est, usque est adulter; nihilominus enim credit quod non peccata sint, & illa coram Deo non illicita facit in suo spiritu, & sic in spiritu committit illa, tametsi non corpore coram Mundo; quare post mortem, cum fit spiritus, aperte loquitur pro illis.

495. XV. Quod Adulteria ex proposito voluntatis, et Adulteria ex confirmatione intellectus reddant homines naturales, sensuales, et corporeos. Homo est homo, & distinguitur a bestia, per id, quod Mens ejus in tres regiones distincta sit, in totidem quot Cæli; & quod possit elevari ex regione infima in superiorem, & quoque ab hac in supremam, & sic fieri Angelus unius Cæli, & quoque Tertii: propter illum finem, data est homini facultas elevandi intellectum usque illuc; si autem non amor voluntatis ejus simul elevatur, non fit spiritualis, sed manet naturalis; nihilominus retinet facultatem elevandi intellectum: causa quod retineat, est ut possit reformari, nam reformatur per intellectum, quod fit per cogitationes boni & veri, & per intuitionem rationalem ex illis; si rationaliter intuetur cognitiones illas, ac vivit secundum illas, tunc amor voluntatis simul elevatur, & in eo gradu perficitur humanum, ac homo fit plus & plus homo. Aliter evenit, si non vivit secundum cognitiones boni & veri, tunc amor voluntatis ejus manet naturalis, ac intellectus ejus per vices fit spiritualis; sublevat enim se alternis, sicut aquila, & despicit quid infra amoris ejus est, quod cum videt, ad hoc devolat, & cum hoc se conjungit; si itaque concupiscentiæ carnis sunt amoris ejus, ad has ex altitudine demittit se, & in conjunctione cum illis ex jucundis illarum oblectat se, ac iterum, propter aucupium famæ, ut sapiens credatur, in altum se attollit, & sic subsultim per vices, ut modo dictum est. Quod Adulteri tertii & quarti gradus, qui sunt qui ex proposito voluntatis & ex confirmatione intellectus se adulteros fecerunt, plane naturales sint, & progressive fiant sensuales & corporei, est quia amorem voluntatis suæ & una tunc intellectum immerserunt immunditiis amoris scortatorii, & his oblectati sunt, sicut immundæ aves & bestiæ ex putidis & stercoreis ut lautitiis & cupediis; nam halitus effluviosi e carne illorum assurgentes mentis habitaculum implent crassamentis suis, & faciunt ut voluntas non sentiat aliquid lautius & cupidius: hi sunt, qui post mortem fiunt spiritus corporei, & e quibus immunda Inferni & Ecclesiæ, de quibus supra, n. 430. 431, scaturiunt.

496. Sunt tres Gradus naturalis hominis; in Primo sunt, qui solum amant Mundum, ponendo cor in opibus, hi proprie intelliguntur per Naturales; in Secundo gradu sunt, qui solum amant jucunda sensuum, ponendo cor in om-

nis generis luxuriis & voluptatibus, hi proprie intelliguntur per Sensuales; in Tertio gradu sunt, qui solum amant seipsos, ponendo cor in ambitu honoris, hi proprie intelliguntur per corporeos; causa est, quia omnia voluntatis & inde intellectus immergunt corpori, ac retro ab aliis se spectant, & propria sua duntaxat amant; Sensuales autem omnia voluntatis & inde intellectus immergunt illecebris & fallaciis sensuum, his solum indulgendo; Naturales autem omnia voluntatis & intellectus effundunt in Mundum, avare & fraudulenter conquirendo opes, & non alium usum quam possessionis in illis & ex illis spectando. Adulteria supranominata vertunt homines in degeneres hos gradus, unum in hunc, alterum in illum, quemlibet secundum placitum volupe, ex quo fit genius ejus.

497. XVI. QUOD IN TANTUM, UT TANDEM OMNIA ECCLESIÆ ET RELIGIONIS A SE REJICIANT. Quod Adulteri ex proposito & ex confirmato omnia Ecclesiæ & Religionis a se rejiciant, est quia Amor conjugii & Amor adulterii oppositi sint, n. 425, & amor conjugii cum Ecclesia & Religione, unum agit, n. 130, & ubivis alibi in Parte priore; inde amor adulterii, quia oppositus, cum illis quæ contra Ecclesiam sunt, unum agit. Quod Adulteri illi omnia Ecclesiæ & ejus Religionis a se rejiciant, est quia amor conjugii & amor adulterii oppositi sunt, sicut conjugium boni & veri oppositum est connubio mali & falsi, n. 427. 428; ac conjugium boni & veri est Ecclesia, at connubium mali & falsi est AntiEcclesia. Quod Adulteri illi a se rejiciant omnia Ecclesiæ & Religionis, est quia amor conjugii & amor adulterii sunt oppositi sicut Cælum & Infernum, n. 429; & in Cælo est amor omnium Ecclesiæ, at in Inferno est odium contra omnia Ecclesiæ. Quod Adulteria illa omnia Ecclesiæ & Religionis a se rejiciant, est quoque quia jucunditates illorum inchoant a carne, & quod sint carnis etiam in spiritu, n. 440, 441; & caro est contra spiritum, hoc est, contra spiritualia Ecclesiæ; inde etiam jucunditates amoris scortatorii vocantur Voluptates insaniæ. Si desideratis demonstrationes, adite quæso illos, quos nostis tales adulteros esse, & quærite in occulto, quid cogitant de Deo, de Ecclesia, & de Vita æterna, & audietis: genuina causa est, quia sicut amor conjugialis aperit interiora mentis, & sic elevat illa supra sensualia corporis usque in lucem & calorem Cæli; ita vicissim, amor adulterii occludit interiora mentis, & ipsam mentem quoad voluntatem ejus detrudit in corpus usque in omnia concupita carnis ejus, & quo profundius, eo plus detrahit & elongat illam e Cælo.

498. XVII. QUOD USQUE RATIONALITATE HUMANA POLLEANT SICUT ALII. Quod homo naturalis, sensualis, & corporeus, æque rationalis quoad intellectum sit sicut homo spiritualis, demonstratum mihi est ex satanis & diabolis ex venia assurgentibus ex Inferno, & colloquentibus cum spiritibus angelicis in Mundo spirituum, de quibus passim in MEMORABILIBUS; sed quia Amor voluntatis facit hominem, & hic trahit intellectum in consensum, ideo tales non rationales sunt, nisi quam in statu remoto ab amore voluntatis; at dum in hunc amorem iterum redeunt, insaniunt pejus quam feræ. Atqui homo sine facultate elevandi intellectum supra amorem voluntatis, non foret homo sed bestia,

bestia, bestia enim facultate illa non gaudet; consequenter nec potuisset eligere quicquam, & ex electione facere quod bonum est, & quod conducit, & sic non potuisset reformari, & duci ad Cælum, & vivere in æternum. Exinde est, quod Adulteri ex proposito & confirmato, tametsi mere naturales, sensuales, & corporei sunt, usque dote intelligendi seu rationalitate polleant sicut alii; sed cum in libidine adulterii sunt, & ex illa de illa cogitant & loquuntur, non rationalitate ista gaudent, causa est, quia tunc caro agit in spiritum, & non spiritus in carnem. At sciendum est, quod hi tandem post mortem fiant stupidi; non quod illis auferatur facultas sapiendi, sed quod non velint sapere, quoniam sapientia injucundat illos.

499. XVIII. Sed quod rationalitate illa utantur dum in externis sunt, sed abutantur dum in suis internis. In externis sunt, dum loquuntur foris & in cætu, in suis internis autem cum domi aut secum: experire si vis, adduc aliquem talem, ut pro exemplo, quendam ex ordine vocatum Jesvitam, & fac ut de Deo, de Sanctis Ecclesiæ, deque Cælo & Inferno, loquatur in Cætu, aut doceat in Templo, & audies illum plus rationalem Zeloten, quam quempiam alium; forte etiam te ad gemitus & lachrymas pro salute adiget: sed assume illum in domum tuam, extolle illum supra Ordines, voca illum Patrem sapientiæ, & fac te amicum, usque dum aperit cor suum, & audies, quid tunc de Deo, de Sanctis Ecclesiæ, ac de Cælo & Inferno, concionaturus est, videlicet quod sint phantasiæ ac elusiones, & sic inventa animarum vincula, quibus magnos & parvos, divites & pauperes, captent & ligent, & sub jugo Dominii sui contineant. Hæc sufficiant pro illustratione, quid intelligitur per quod homines naturales usque ad corporeos, rationalitate humana polleant sicut alii, at quod illa utantur dum in externis sunt, sed abutantur dum in suis internis. Consequentia inde est, quod non judicandum sit de aliquo ex sapientia oris, sed una ex sapientia vitæ ejus.

❁ ❁ ❁ ❁ ❁ ❁ ❁

500. His adjiciam hoc Memorabile. Quondam in Mundo Spirituum audivi magnum tumultum; erant Chiliades congregati, qui clamabant, puniantur, puniantur: accessi propius, & quæsivi, quid hoc; dixit mihi unus e magna illa Congregatione separatus, quod in excandescentia iræ sint contra tres Sacerdotes, qui circumvagantur, & ubivis prædicant contra adulteros, dicendo, quod Adulteris non sit agnitio Dei, & quod illis Cælum occlusum sit, ac Infernum apertum; & quod in Inferno sint diaboli immundi, quia e longinquo apparent ibi sicut porci volutantes se in stercoribus, & quod Angeli Cæli illos abominentur. Quæsivi ubinam illi Sacerdotes, & cur propterea talis vociferatio; respondit, quod tres illi Sacerdotes sint in medio illorum a satellitibus custoditi, & quod congregati sint ex illis, qui credunt adulteria non esse peccata, & qui dicunt quod adulteris æque sit agnitio Dei, sicut illis qui suis uxoribus adhærent; sunt omnes illi ex Christiano Orbe; & visitatum est ab angelis, quot ibi essent qui credunt adulteria esse peccata, & ex Mille

non

non inventi sunt Centum, & dixit mihi quod Nongenti illi de adulteriis loquantur ita; Quis non novit, quod jucundum adulterii sit supereminens præ jucundo conjugii; quod adulteri in perpetuo calore sint, & inde in alacritate, industria & activa vita præ illis, qui cum una sola fæmina vivunt; & quod vicissim amor cum conjuge frigescat, & quandoque in tantum, ut tandem vix una vox loquelæ & consortii cum illa vivat; aliter cum scortis; quod mortificatio vitæ cum uxore, oriunda ex defectu potentiæ, reficiatur & vivificetur per scortationes, numne id quod reficit & vivificat, pluris est quam quod mortificat: quid conjugium nisi quam scortatio licita; quis novit discrimen; num amor potest cogi, & tamen amor cum uxore cogitur per fædus & leges; estne amor cum conjuge amor sexus, & hic tam universalis est, ut sit etiam apud aves & bestias, quid amor conjugialis nisi quam amor sexus, & amor sexus est liber cum omni fæmina: quod leges civiles sint contra adulteria, est quia latores legum crediderunt, quod id esset cum bono publico, & tamen ipsi latores & judices quandoque mæchantur, & inter se dicunt, ille qui absque peccato est, mittat primum lapidem; quod solum simplices & religiosi credant adulteria esse peccata, non ita intelligentes, qui sicut nos intuentur illa ex lumine naturæ: numne ex adulteriis æque nascuntur proles, ut ex conjugiis, numne spurii æque habiles & utiles sunt ad officia & ministeria, quemadmodum legitimi; ac insuper prospiciuntur familiæ alioquin steriles, estne hoc emolumentum & non damnum: quid nocet uxori si admittat plures rivales; & quid nocet viro, quod dedecus viro sit, est opinio frivola ex phantasia: quod adulterium sit contra Ecclesiæ leges & statuta, est ex Ordine Ecclesiastico propter potestatem, sed quid Theologicum & Spirituale cum delitio mere corporeo & carnali; danturne presbyteri & monachi tales, num illi propterea non possunt agnoscere & colere Deum; cur itaque tres illi prædicant, quod adulteris non sit agnitio Dei; tales blasphemias non toleramus, quare judicentur & puniantur. Posthæc vidi, quod vocarent Judices, quos rogaverunt, ut pænas illis irrogarent; sed Judices dicebant, hoc nostri muneris non est, nam agitur de Agnitione Dei, & de Peccato, & sic de salvatione & damnatione, de his judicabitur e Cælo: sed consilium dabimus, quomodo scire potestis, num tres illi Sacerdotes prædicaverint veritates; sunt tria Loca, quæ nos Judices novimus, ubi talia singulari modo explorantur & revelantur; Unus est, ubi omnibus patet via in Cælum, sed dum in Cælum veniunt, percipiunt ipsi quales sunt quoad Agnitionem Dei: Secundus locus est, ubi etiam patet via in Cælum, sed viam illam intrare nemo potest, nisi qui Cælum in se habet: & Tertius locus est, ubi via est ad Infernum, & viam illam intrant ex spontaneo, quia ex jucundo, qui infernalia amant: nos Judices ad illa Loca amandamus omnes, qui de Cælo & Inferno judicium a nobis postulant. His auditis dixerunt congregati, eamus ad illa Loca; & cum iverunt ad Primum, ubi omnibus patet via in Cælum, subito facta est caligo, quare aliqui ex illis accendebant faces & prætulerunt; judices cum illis dicebant, hoc fit omnibus qui ad Primum locum vadunt, at sicut appropinquant, ignis facularum fit hebetior, & in illo loco ex luce cæli influente exstinguitur, quod signum est quod ibi sint; causa est,

eſt, quia primum occluditur illis Cælum, & poſtea aperitur: & venerunt in locum illum, & exſtinctis faculis a ſeipſis, videbant viam tendentem oblique ſurſum in Cælum; illam intrabant illi qui in excandeſcentia iræ contra Sacerdotes erant; inter primos illi qui Adulteri ex propoſito erant, poſt illos qui Adulteri ex confirmato erant; & in aſcendendo primi clamabant, ſequimini, & ſequentes clamabant, feſtinate, & urgebant: poſt horulam, cum omnes intus in cæleſti Societate erant, apparuit hiatus inter illos & inter Angelos, & Lux Cæli ſuper hiatum influens in oculos aperiebat interiora mentis illorum, ex quo tenebantur loqui ſicut interius cogitabant; & tunc ſciſcitabantur ab Angelis, num agnoſcant quod Deus ſit, reſponderunt Primi, qui ex propoſito voluntatis erant adulteri, Quid Deus, & aſpexerunt ſe mutuo, & dixerunt, quis veſtrum vidit Illum: Secundi, qui ex confirmatione intellectus erant adulteri, dixerunt, ſuntne Naturæ omnia, quid ſupra illam niſi Sol: & tunc Angeli dixerunt illis, diſcedite a nobis, nunc ipſi percipitis quod vobis non ſit agnitio Dei; quando deſcenditis, claudentur interiora mentis veſtræ, & aperientur exteriora ejus, & tunc poteſtis loqui contra interiora, & dicere quod Deus ſit; credite, quod ut primum homo actualiter fit adulter, occludatur illi Cælum, quo occluſo Deus non agnoſcitur; audite cauſam, ex adulteriis eſt omne immundum inferni, & hoc putet in Cælo ſicut putre cænum platearum. His auditis, converterunt ſe, & deſcenderunt per tres vias; & cum infra erant, Primi & Secundi inter ſe colloquuti dicebant, vicerunt ibi Sacerdotes, ſed ſcimus, quod nos æque ac illi poſſimus loqui de Deo, & cum loquimur quod ſit, annon agnoſcimus Illum; Interiora & Exteriora mentis, de quibus Angeli narrabant, ſunt inventa. Sed ad ſecundum Locum a Judicibus deſignatum, ubi via patet in Cælum illis, qui Cælum in ſe habent, ita illis qui in Cælum venturi ſunt, abeamus; & cum acceſſerunt, exivit vox e Cælo illo, claudite portas, Adulteri in propinquo ſunt; & ſubito clauſæ ſunt portæ, & cuſtodes cum baculis in manibus abegerunt illos; & tres Sacerdotes, contra quos tumultuati ſunt, exemerunt cuſtodia, & in Cælum introduxerunt: & illico, cum Porta pro Sacerdotibus aperta erat, e Cælo afflabat rebelles jucundum conjugii, quod quia caſtum & purum erat, pæne exanimabat illos, quare ex timore deliquii a ſuffocatione properabant ad Tertium locum, de quo Judices dixerunt, quod inde via ad Infernum eſſet, & tunc inde efflabat jucundum adulterii, ex quo ita vivificati ſunt illi, qui ex propoſito & qui ex confirmato erant adulteri, ut quaſi ſaltando deſcenderent, & ſe ſicut porci ibi immergerent immundis.

De Libidine Deflorationis.

501. Libidines, de quibus in quatuor Capitibus poſthac ſequentibus agitur, non modo ſunt libidines adulterii, ſed illis graviores, quoniam non dantur niſi ex Adulteriis, nam captantur poſtquam adulteria faſtidiuntur; ſicut Libido deflorationis, de qua primum agitur, quæ non prius exordiri poteſt

apud aliquem; pariter Libido varietatum, Libido violationis, & Libido feducendi innocentias, de quibus fequitur. Dicuntur Libidines, quia quanta & qualis eft Libido ad illa, tanta & talis eft appropriatio illorum. Quod in fpecie Libidinem deflorationis concernit, ut convictio evidens fiat quod fit flagitium, manifeftabitur ex his in ordine. I, *Ex ftatu virginis feu fœminæ illibatæ ante conjugium, & poft conjugium.* II. *Quod Virginitas fit corona caftitatis, & tefféra amoris conjugialis.* III. *Quod defloratio abfque fine conjugii fit flagitium prædonis.* IV. *Quod fors illorum, qui apud fe confirmaverunt libidinem deflorationis non effe malum peccati, poft mortem gravis fit.* Sequitur horum Explicatio.

502. I. De statu virginis seu fæminæ illibatæ ante conjugium, et post conjugium. Qualis eft ftatus Virginis, antequam inftructa eft de variis tædæ conjugialis, mihi manifeftatum eft ab uxoribus in Mundo fpirituali, ab illis ibi, quæ in infantia fua e Mundo naturali exceflerunt, ac educatæ funt in Cælo: dixerunt, quod dum in ftatum nubilem venerunt, ex vifis conjugibus, inceperint vitam conjugialem amare, fed propter folum finem ut dicantur uxores, ac ut amice & confidenter cum uno viro confortium teneant, & quoque ut abalienatæ e domo obedientiæ, fui juris fiant; & dixerunt quod folum ex beatitudine amicitiæ & confidentiæ mutuæ cum conforte viro de conjugio cogitaverint, & prorfus non ex delitio alicujus flammæ. At quod ftatus illarum virgineus poft nuptias mutatus fit in novum, de quo prius ne hilum fciverunt; & inquierunt, quod hic ftatus effet ftatus expanfionis omnium vitæ corporis fui a primis ad ultima ad recipiendum dona mariti fui, & ad hæc uniendum fuæ vitæ, ut fic fiat amor ejus, & uxor; & quod hic ftatus inchoaverit a momento deflorationis, & quod poft hanc arferit flamma amoris ad folum maritum, & quod delitias expanfionis iftius fenferit cæleftes: & quod quia in hunc ftatum a fuo marito introducta eft, & quia eft ex illo, & fic ejus in fe, plane non poffit quam illum folum amare. Ex his manifeftatum eft, qualis eft ftatus virginum ante conjugium & poft conjugium in Cælo: quod fimilis fit virginum & uxorum in terris, quæ primis ominibus junguntur, non latet; quæ virgo poteft fcire novum illum ftatum, antequam in illo eft; quærite & audietis: difcrimen eft apud illos, quæ ante conjugium ex eruditione illecebram captant.

503. II. Quod Virginitas sit corona castitatis, ac tessera amoris conjugialis. Virginitas vocatur corona caftitatis, quia caftitatem conjugii coronat, & quoque eft infigne caftitatis, quare fponfa in nuptiis fuper capite portat coronam: eft etiam infigne fanctitatis conjugii; nam fponfa poft florem virgineum fe totam dat & addicat fponfo tunc marito, ac maritus viciffim fe totum fponfæ tunc uxori. Virginitas etiam vocatur tefféra amoris conjugialis, quia eft fæderis, ac fædus eft ut amor uniat illos in unum hominem, feu in unam carnem. Ipfi viri ante nuptias etiam fpectant virginitatem fponfæ ut coronam caftitatis ejus, ac ut tefferam amoris conjugialis; ac ut ipfum cupedium, ex quo delitiæ illius amoris inchoaturæ & perennaturæ funt. Ex his & ex illis quæ præcedunt, conftat, quod poftquam zona adempta

ta est, ac virginitas libata, virgo fiat uxor, & si non uxor, fiat meretrix; novus enim status, in quem tunc inducitur, est status amoris pro suo viro, & si non pro viro, est status libidinis.

504. III. Quod defloratio absque fine conjugii sit flagitium prædonis. Est quibusdam adulteris cupido deflorandi virgines, & inde quoque puellas in ætate illarum innocua: pelliciuntur ad talia, vel per suasus a lænis, vel per dona a viris, vel per sponsiones conjugii; & viri illi post deflorationem relinquunt illas, ac alias & alias perquirunt: accedit, quod non oblectentur præteritis, sed ex jugiter novis; & quod hæc libido crescat usque in caput jucunditatum carnis illorum. Addunt etiam illis hoc facinus, quod variis astutiis virgines nupturas aut illico post nuptias pelliciant ad offerendum sibi primitias conjugii, quod etiam sic fœde conspurcant. Audivi etiam, quod cum æstrum illud cum sua potentia defecit, glorientur ex numero virginitatum, sicut ex totitem velleribus aureis Jasonis. Hoc flagitium, quod est stuprum, quia in ætate roboris inceptum est, & postea per gloriationes firmatum, manet irradicatum, & sic insitum post mortem. Quale hoc flagitium est, constat ex supradictis, quod virginitas sit corona castitatis, tessera futuri amoris conjugialis, & quod virgo illi, cui illam addicat, animam & vitam suam addicet; amicitia conjugialis & hujus confidentia, super illa etiam fundatur: & quoque fæmina, a talibus deflorata, postquam hoc ostium amoris conjugialis perruptum est, solvit pudorem, & fit meretrix, in cujus causa etiam prædator ille est. Ipsi illi prædones, si post exactas has satyriases & prophanationes castitatum, applicant animum ad conjugium, non aliud mente volvunt, quam futuræ conjugis virginitatem, quam postquam libaverant, torum & thalamum fastidiunt, imo etiam, præter puellas, totum sexum fæmininum: & quia tales sunt violatores conjugii, & despectores sexus fæminini, & sic latrones spirituales, patet quod nemesis Divina illos persequatur.

505. IV. Quod sors illorum, qui apud se confirmaverunt libidinem deflorationis non esse malum peccati, post mortem gravis sit. Sors illorum est hæc, quod postquam in Mundo spirituum exegerunt tempus primum, quod est modestiæ & moralitatis, quia in consortiis cum spiritibus angelicis; postea ab externis suis immittantur in interna sua, & tunc in concupiscentias, quibus inescati fuerant in Mundo, & hi in suas, propter finem, ut appareat in quo gradu fuerant; & si in minori gradu, ut postquam in illas immissi fuerint, emittantur, & suffundantur pudore. At illi qui in maligna hac libidine fuerant, in tantum ut persenserint ejus delitium eminens, & gloriati sunt super furtis illis sicut super spoliis opimis, non patiuntur se abduci, quare emittuntur in suum liberum, & tunc illico circumvagantur, & inquirunt lupanaria, & illa, dum indicantur, etiam intrant, sunt hæc a lateribus inferni; sed cum ibi non nisi quam prostibula offendunt, abeunt, & inquirunt ubi sunt virgines; & tunc feruntur ad scorta, quæ per phantasiam sibi inducere possunt supereminentem pulchritudinem, ac floridum puellare decus, & jactare se virgines, ad quas similiter ut in Mundo ardent; quare cum his paciscuntur, sed cum potituri sunt pacto, phantasia inducta e Cælo aufertur,

& tunc virgines illæ apparent in ſua deformitate, monſtroſæ & furvæ, quibus tamen adhærere ad horulam coguntur; ſcorta illa vocantur Sirenes. Sed ſi per tales faſcinationes non patiuntur ſe a veſana illa libidine abduci, dejiciuntur in Infernum, quod in confinio meridiei & occidentis ſub Inferno meretricum aſtutiorum eſt, & ibi adſociantur ſodalibus ſuis. Datum etiam eſt videre illos in Inferno illo, ac mihi dictum eſt, quod ibi ſint multi ex nobili ſtemmate, & ex opulentioribus; ſed quia tales fuerant in Mundo, aufertur illis omnis recordatio ſtemmatis ac dignitatis ex opulentia, ac inducitur perſuaſio, quod fuerint vilia mancipia, & inde omni honore indigni. Inter ſe quidem apparent ſicut homines, ſed ab aliis, quibus licet illuc intueri, ſicut Simiæ, facie torva loco faciei blandæ, ac vultu horrido loco vultus facetiarum; incedunt contracti a lumbis, & ſic incurvati, ſuperiore parte propendente antrorſum ſicut proni ad lapſum, & maleolent: faſtidiunt ſexum, & ab illis, quas vident, avertunt ſe, eſt enim illis nulla cupido. Tales apparent in propinquo, ſed e longinquo ſicut Canes indulgentiarum ſeu Catuli delitiarum, & quoque ſicut aliquid latratus auditur in ſonis loquelæ illorum.

De Libidine Varietatum.

506. Per Libidinem varietatum, de qua hic agitur, non intelligitur Libido fornicationis, de qua in ſuo Capite actum eſt, hæc tametſi promiſcua & vaga ſolet eſſe, uſque non infert libidinem varietatum, niſi dum excedit modum, & fornicator ſpectat numerum, & de illo ex cupidine jactat; hæc idea initiat hanc libidinem, ſed qualis ſit in ſua progreſſione, non poteſt diſtincte percipi, niſi in aliqua ſerie, quæ erit hæc. I. *Quod per Libidinem varietatum intelligatur libido ſcortationis prorſus diſſoluta.* II. *Quod Libido illa ſit amor & ſimul faſtidium pro ſexu.* III. *Quod Libido illa prorſus adnihilet amorem conjugialem apud ſe.* IV. *Quod illorum ſors poſt mortem miſera ſit, quoniam illis vitæ intimum non eſt.* Sequitur horum explicatio.

507. I. Quod per libidinem varietatum intelligatur libido scortationis prorsus dissoluta. Hæc Libido inſinuat ſe apud illos, qui in adoleſcentia relaxarunt vincula pudicitiæ, & quibus copia meretricum non defuit, imprimis ſi nec opulentia impendendi quæſtus: hanc libidinem inſerunt & irradicant ſibi per inordinatas & illimitatas ſcortationes, & per cogitationes nullius pudoris de Amore ſexus fæminini, & per confirmationes quod Adulteria non ſint mala, & prorſus non peccata. Hæc Libido apud illos progrediendo creſcit, uſque ut fæminas totius Mundi cupiant, ac ut velint turmas, ac unam novam quotidie. Quoniam hæc libido ejicit ſe ex amore ſexus communi cuivis homini implantato, & prorſus ex amore unius e ſexu qui eſt conjugialis, ac injicit ſe in cordis exteriora ut delitium amoris ſeparatum ab illis, & tamen ex illis, ideo irradicatur cuticulis tam penitus, ut poſtquam elanguerunt vires, remaneat in tactu. Hi nihili faciunt Adulteria, quare de toto ſexu fæminino cogitant ſicut de communi Scorto, & de conjugio ſicut de communi

muni Meretricatu, & ſic impudicitiam immiſcent pudicitiæ, & ex mixto inſaniunt. Ex his patet, quid per Libidinem varietatum hic intelligitur, quod Libido ſcortationis prorſus diſſoluta.

508. II. Quod Libido illa sit amor et simul fastidium pro sexu. Eſt illis amor pro ſexu quia ex ſexu eſt varietas, & eſt faſtidium pro ſexu, quia poſt libamen rejiciunt, ac libidinantur ad alias: obſcæna hæc libido æſtuat ad fœminam novam, & poſt æſtum frigeſcit ad illam; ac frigus eſt faſtidium. Quod Libido illa ſit amor & ſimul faſtidium pro ſexu, illuſtrari poteſt ita; pone a parte ſiniſtra cohortem ex libatis ab illis, & a parte dextra cohortem ex non libatis, numne hanc aſpicerent ex amore, illam autem ex faſtidio; & tamen utraque cohors eſt ſexus.

509. III. Quod Libido illa prorsus adnihilet amorem conjugialem apud se, eſt quia libido illa amori conjugiali prorſus oppoſita eſt, ac ita oppoſita, ut non modo diſcindat illum, ſed quaſi commolat illum in pulverem, & ſic adnihilet; nam Amor conjugialis eſt ad unam e ſexu, Libido autem illa non moratur apud unam, ſed poſt horam aut diem intenditur frigore ſicut prius æſtu pro illa; & quia frigus eſt faſtidium, hoc per cohabitionem & commorationem coactam coacervatur uſque ad nauſeam, & ſic amor conjugialis conſumitur in tantum, ut nihil ejus reſiduum ſit. Ex his videri poteſt, quod hæc libido ſit internecina amori conjugiali; & quia amor conjugialis facit intimum vitæ apud hominem, quod ſit internecina illius vitæ; & quod libido illa per ſucceſſivas interceptiones & occluſiones interiorum mentis tandem fiat cuticularis, & ſic mere illecebroſa; remanente tamen facultate intelligendi ſeu rationalitate.

510. IV. Quod illorum sors post mortem sit misera, quoniam illis vitæ intimum non est. Præſtantia vitæ eſt cuique ſecundum Amorem ejus conjugialem, illa enim conjungit ſe cum vita uxoris, & per conjunctionem ſe exaltat; at quia apud hos ne hilum ſupereſt ex amore conjugiali, & inde nec aliquid ex intimo vitæ, ideo ſors illorum poſt mortem miſera eſt. Hi poſt exactam periodum temporis in externis ſuis, in quibus rationaliter loquuntur & civiliter agunt, immittuntur in interna ſua; & tunc in ſimilem libidinem & ejus jucunda in eodem gradu, in quo ejus fuerunt in Mundo; unuſquiſque enim poſt mortem intromittitur in eundem ſtatum vitæ, quem ſibi appropriaverat, propter cauſam ut inde abducatur; non enim poteſt aliquis abduci a ſuo malo, niſi prius in illud inductus fuerit; alioquin malum reconderet ſe, & inquinaret interiora mentis, & ſicut peſtis ſe diffunderet, & dein rumperet repagula, ac diſperderet externa quæ corporis ſunt. Propter hunc finem aperiuntur illis Ganæa, quæ a latere inferni ſunt, ubi ſcorta, cum quibus datur copia variandi ſuas libidines; ſed hoc conceditur in die cum una, & ſub pœna interdicitur cum pluribus eodem die. Poſtea, dum explorati ſunt, quod Libido illa tantum ingenerata ſit, ut non queant ab illa abduci, feruntur ad quendam locum, qui proxime eſt ſupra Infernum illis addicatum, & tunc apparent ſibi ſicut cadant in deliquium, & aliis ſicut ſubſidant ſupino vultu; & quoque actualiter aperitur ſolum ſub dorſis illorum, & abſorbentur, & illa-

buntur in Infernum ubi similes; ita colliguntur ad suos. Datum est mihi illos ibi videre, & quoque cum illis loqui; inter se apparent sicut homines, quod datur illis ne consociis terrori sint, sed ad quandam distantiam visi sunt facie alba constante sicut ex sola cute, & hoc quia non illis inest vita spiritualis, quæ cuivis est secundum conjugiale ei insitum. Loquela illorum est sicca, torrida & tristis: dum esuriunt, lamentantur, & lamenta illorum audiuntur sicut fremitus peculiaris soni: sunt illis laceræ vestes, & femoralia subtracta super ventrem circum pectus, quia non illis lumbi sunt, sed a regione imæ ventris incipiunt tali pedum illorum; causa est, quia lumbi apud homines correspondent Amori conjugiali, & hic illis non est. Dixerunt, quod fastidiant sexum ex nulla illis potentia. At usque inter se de variis ratiocinari possunt sicut ex rationalitate, sed quia cutanei sunt, ratiocinantur ex fallaciis sensuum. Infernum hoc est in plaga occidentali versus septentrionem. Iidem vero e longinquo non apparent sicut homines, nec ut monstra, sed sicut gelatina. At sciendum est, quod tales fiant illi, qui Libidinem illam in tali gradu imbuerunt, ut Conjugiale humanum apud se discerpserint & adnihilaverint.

De Libidine violationis.

511. Per Libidinem violationis non intelligitur Libido deflorationis, hæc libido est violatio virginitatum, non autem virginum, dum fit ex consensu; at Libido violationis, de qua hic agitur, recedit ex consensu, & exasperatur ex dissensu; & est ardor violandi fæminas quascunque, quæ prorsus renuunt, & violenter renituntur; sive sint virgines, sive viduæ, sive uxores; sunt sicut latrones & piratæ, qui delectantur raptis & prædatis, & non donatis & juste acquisitis; & sunt sicut malefactores, qui inhiant illicitis & vetitis, & aspernantur licita & concessa: violatores hi prorsus aversantur consensum, & exardescunt ex repugnantia, quam si non internam animadvertunt, illico libidinis illorum ardor, sicut ignis ex injecta aqua, exstinguitur. Notum est, quod uxores non ex spontaneo se arbitriis maritorum suorum quoad effectus amoris ultimos submittant, & quod ex prudentia repugnent sicut ad violationes, propter finem ut auferant maritis frigus a communi ex jugi licito, & quoque ex idea lasciviæ de illis, oriundum: & hæ repugnantiæ, tametsi accendunt, usque non sunt causæ, sed modo sunt initia hujus libidinis: causa ejus est, quod postquam amor conjugialis, & quoque amor scortatorius per exercitia, obsoleverunt, ut reparentur, velint ignescere per absolutas repugnantias: hæc Libido ita incepta crescit postea, & sicut crescit, omnes limites amoris sexus spernit & rumpit, & exterminat se, & ab amore lascivo corporeo & carneo fit cartilagineus & osseus, & tunc ex periosteis, quæ sensu acuto gaudent, fit acutus. Sed usque hæc libido rara est, quia non datur nisi apud illos, qui conjugium iniverant, & tunc scortationes, usque dum obsoletæ factæ sunt, exercuerant: præter hanc naturalem causam hujus libidinis, datur etiam causa spiritualis, de qua aliquid in sequentibus.

512. Sors

512. Sors illorum post mortem talis est; tunc violatores illi sponte separant se ab illis qui in limitato amore sexus sunt, & prorsus ab illis qui in amore conjugiali, ita a Cælo: postea delegantur ad scorta astutissima, quæ non modo persuasione, sed etiam ex imitamine perfecte histrionico, possunt fingere & repræsentare sicut forent ipsæ Castitates; hæ probe perspiciunt, quinam in illa libidine sunt; coram his loquuntur de castitate & ejus pretiositate; & cum violator accedit, & tangit, excandescunt, & effugiunt sicut ex terrore in conclavium, ubi est sponda & lectus, ac post se januam leviter occludunt, seque reponunt; ac inde per artem suam inspirant violatori effrænem cupidinem excutiendi januam, irruendi, & invadendi; quod cum fit, scortum erigens se cum violatore incipit pugnare manibus & unguibus, laniando faciem, dilacerando vestes ejus, ac voce furibunda clamando ad scorta consocia ut ad famulas pro opitulatione, ac aperiendo fenestram, vociferans fur, prædo, homicida; & cum violator in accinctu est, plangit & lachrymatur; & post violationem prosternit se, ejulat, & clamat infandum, & tunc gravi tono minatur quod nisi violationem grandi mercede expiet, molitura sit perniciem ejus: cum in scenica hac Venere sunt, apparent e longinquo sicut feles, qui pæne similiter ante conjunctiones dimicant, procurrunt, & ejulant. Post aliquot talia certamina lupanaria, eximuntur, & transferuntur in cavernam, ubi ad aliquod opus adiguntur; sed quia graveolent, ex eo quod Conjugiale, quod est Cimelium vitæ humanæ, dispersèrint, amandantur ad fines Plagæ occidentalis; ubi ad quandam distantiam apparent macilenti sicut constantes ossibus sola cute obductis, at e longinquo sicut pantheræ. Cum datum est videre illos propius, miratus sum quod aliqui ex illis tenerent libros in manibus, ac legerent; & dictum est, quod hoc fit, quia in Mundo loquuti fuerunt varia de spiritualibus Ecclesiæ, & tamen illa per adulteria, usque ad illas extremitates illorum, conspurcaverunt, & quod talis hujus libidinis correspondentia esset cum violatione Conjugii spiritualis. Sed sciatur, quod rari sint, qui in hac libidine sunt: certum est, quod fæminæ, (quia non decet illas prostituere amorem, subinde repugnent, & quod repugnantia evigoret, sed usque hoc non est ex aliqua libidine violationis.

De Libidine seducendi Innocentias.

513. Libido seducendi Innocentias, non est Libido deflorationis, nec libido violationis, sed est peculiaris & singularis per se; datur imprimis apud dolosos. Fæminæ, quæ apparent illis ut innocentiæ, sunt quæ malum scortationis ut enorme peccatum reputant, & quæ sic castitati & simul pietati student, ad has ardent: in Regnis Religionis Catholicæ sunt Virgines monasteriales, quia has credunt præ omnibus reliquis pias innocentias, has spectant ut libidinis suæ cupedias & lautitias. Ut has aut illas seducant, quia dolosi sunt, primum excogitant artes, & dein, postquam illis genium suum imbuerant, absque retractione a pudore sicut a natura illas exercent: artes imprimis

mis sunt simulationes innocentiæ, amoris, castitatis & pietatis; per has & per alias astutias intrant in interiorem amicitiam illarum, & inde in amorem, & hunc per varias persuasiones & simul insinuationes a spirituali vertunt in naturalem, ac postea per irritationes in corporeo carnalem, & tunc ex lubitu possident illas; quibus peractis gaudent corde, ac violatas irrident.

514. Sors horum seductorum post mortem est tristis, quoniam seductio illa non modo est impietas sed etiam malignitas: illi, postquam primam periodum transigerant, quæ est in externis, in quibus præ multis aliis elegantes moribus & suaviloquentes sermonibus sunt, rediguntur in alteram periodum vitæ suæ, quæ est in internis, in quibus libido manumittitur, & inchoat suum ludum; & tunc primum feruntur ad fæminas, quæ castitatem voverant, apud has explorantur qualis maligna illorum concupiscentia est, propter causam ne judicentur nisi convicti; cum illarum castitatem sentiunt, dolus illorum incipit agere, ac moliri suos astus, sed quia incassum, ab illis abeunt. Postea introducuntur ad fæminas genuinæ innocentiæ, has cum similiter decipere conantur, ex data fæminis illis potentia, graviter mulctantur, inferunt enim manibus & pedibus illorum gravedinem stuporis, pariter cervicibus illorum, & demum faciunt illos sentire sicut deliquium; quæ dum passi sunt, se ab illis eripiunt. Post hæc aperitur illis via ad quandam catervam meretricum, quæ callide mentiri innocentiam dedicerant; & hæ primum exponunt illos risui inter se, & demum post varias sponsiones patiuntur se violari. Post tales aliquot scenas supervenit Tertia periodus, quæ est judicii; & tunc convicti subsidunt, & colliguntur ad similes in Inferno, quod est in Plaga septentrionali, & ibi apparent e longinquo sicut mustelæ: sed si dolo inescati fuerint, ab hoc deferuntur ad Infernum dolosorum, quod est in Plaga occidentali profunde a tergo, In hoc e longinquo apparent sicut serpentes varii generis, & dolosissimi sicut viperæ: at in ipso Inferno, in quod datum est inspicere, visi mihi sunt sicut luridi, facie calcaria; & quia sunt meræ Concupiscentiæ, non amant loqui, & si loquuntur, solum mutiunt & murmurant varia, quæ non ab aliis quam a consociis a latere intelliguntur; sed mox ut sedent aut stant, faciunt se inconspicuas, & in caverna circumvolitant sicut larvæ, tunc enim in phantasia sunt, & phantasia apparet volare: post volatum se reponunt; & tunc, quod mirum est, non cognoscit unus alterum; hoc inde est, quia in dolo sunt, ac dolus non credit alteri, & sic subtrahit se. Hi cum sentiunt aliquid ex Amore conjugiali, aufugiunt in cryptas, & se abscondunt, sunt etiam absque amore sexus, & sunt ipsæ impotentiæ; vocantur Genii infernales.

De Correspondentia scortationum cum violatione Conjugii Spiritualis.

515. Hic præfaturus essem aliquid de Correspondentia, quid illa, sed hoc non hujus operis est: quid autem Correspondentia, in brevi summario videatur

tur supra n. 76, & n. 342; ac plene in APOCALYPSI REVELATA a principio ad finem, quod sit inter sensum naturalem & sensum spiritualem Verbi. Quod in Verbo sit sensus naturalis & sensus spiritualis, & inter illos correspondentia, in DOCTRINA NOVÆ HIEROSOLYMÆ DE SCRIPTURA SACRA, & in specie, n. 5 ad 26, ibi demonstratum est.

516. Per Conjugium spirituale intelligitur Conjugium Domini & Ecclesiæ, de quo supra n. 116 ad 131; & inde quoque Conjugium boni & veri, de quo etiam supra n. 83 ad 102; & quia hoc Conjugium est Domini & Ecclesiæ, & inde conjugium boni & veri, est in omnibus & singulis Verbi, est hujus violatio, quæ per violationem conjugii spiritualis hic intelligitur, est enim Ecclesia ex Verbo, & Verbum est Dominus; Dominus est Verbum, quia est Divinum Bonum & Divinum Verum ibi. Quod Verbum sit illud Conjugium, in DOCTRINA NOVÆ HIEROSOLYMÆ DE SCRIPTURA SACRA, n. 80 ad 90, plene confirmatum videatur.

517. Cum itaque violatio conjugii spiritualis est violatio Verbi, patet quod hæc violatio sit adulteratio boni & falsificatio veri; conjugium enim spirituale est conjugium boni & veri, ut dictum est, inde consequitur, quod dum adulteratur bonum & falsificatur verum Verbi, illud Conjugium violetur; quæ violatio quomodo fit & a quibus, ex his quæ subsequuntur, aliquantisper patet.

518. Prius, ubi actum est de Conjugio Domini & Ecclesiæ n. 116, seq. & ubi de Conjugio boni & veri n. 83 seq. demonstratum est, quod illud Conjugium correspondeat Conjugiis in terris; inde consequitur, quod violatio illius Conjugii correspondeat scortationibus & adulteriis: quod ita sit, manifeste patet ex ipso Verbo, quod ibi per Scortationes & Adulteria significentur falsificationes veri & adulterationes boni, ut in evidentia videri potest ex locis e Verbo in APOCALYPSI REVELATA, n. 134, in copia adductis.

519. Violatio Verbi fit ab his, qui in Ecclesia Christiana adulterant bona & vera ejus, & illi hoc faciunt, qui separant verum a bono, & bonum a vero; tum qui apparentias veri & fallacias pro genuinis veris assumunt & confirmant; ut &, qui vera doctrinæ ex Verbo sciunt, & male vivunt, præter similes alios. Hæ Violationes Verbi & Ecclesiæ correspondent Gradibus prohibitis, Levit. XVIII. enumeratis.

520. Quoniam Naturale & Spirituale apud unumquemvis hominem cohærent sicut Anima & corpus, nam homo absque spirituali quod influit & vivificat naturale ejus, non est homo; inde consequitur, quod qui in Conjugio spirituali est etiam sit in Conjugio naturali felici; & vice versa, quod qui in Adulterio spirituali est, etiam sit in Adulterio naturali, & vicissim. Nunc quia omnes qui in Inferno sunt, in Connubio mali & falsi sunt, & hoc est ipsum Adulterium Spirituale, & omnes qui in Cælo sunt, in Conjugio boni & veri sunt, & hoc est ipsum Conjugium, ideo totum Infernum vocatur Adulterium, ac totum Cælum vocatur Conjugium.

❀ ❀ ❀ ❀ ❀ ❀ ❀

521. His adjicietur hoc MEMORABILE. Aperiebatur mihi oculus, & vidi Sylvam opacam, & ibi turbam Satyrorum; Satyri erant quoad pectora hirsuti, & quoad pedes quidam sicut Vituli, quidam sicut Pantheræ, & quidam sicut Lupi, ac ferini ungues loco digitorum in plantis. Hi sicut feræ discurrebant vociferantes, ubi fæminæ; & tunc visa sunt Scorta quæ exspectabant illos; hæc quoque diversimode monstrosa erant: Satyri accurrebant, & illas prehendebant, detrahentes in Cavernam, quæ in medio sylvæ alte sub terra erat; & supra terram circum circa Cavernam jacebat magnus Serpens flexus in spiram, qui in Cavernam inflabat venenum; in ramis sylvæ supra serpentem crocitabant & ululabant aves noctis ferales. Sed hæc non viderunt Satyri & Scorta, quia erant correspondentiæ lasciviarum illorum, & sic apparentiæ solitæ e longinquo. Postea exibant e Caverna, & intrabant in quandam humilem casam, quæ erat lupanar; & tunc separati a scortis inter se loquebantur, ad quæ intendi aurem; loquela enim in Mundo spirituali audiri potest e distanti sicut in præsenti, quoniam extensum spatii ibi est modo apparentia; loquebantur de Conjugiis, de Natura & de Religione: de CONJUGIIS loquebantur illi, qui quoad pedes apparebant sicut Vituli, & dixerunt, quid Conjugia nisi Adulteria licita; & quid dulcius quam hypocrises scortatoriæ, ac elusiones maritorum; ad hæc reliqui in cachinnis applaudebant manibus. De NATURA loquebantur Satyri, qui quoad pedes apparebant ut Pantheræ, & dicebant, quid aliud est quam natura; quodnam discrimen est inter hominem & bestiam, quam quod homo possit articulate loqui, & bestia sonore, estne utrique vita ex calore, ac intellectus ex luce, operante natura; ad hæc reliqui clamabant, heu loquimini ex judicio. De RELIGIONE loquebantur, qui quoad pedes apparebant sicut Lupi; dicentes quid Deus aut Divinum nisi intimum naturæ operans; quid Religio nisi inventum ad captandum & ligandum vulgus; ad hæc reliqui vociferabantur, Bravo. Aliquibus momentis post, eruperunt, & in eruptione viderunt me e longinquo intentis oculis ad illos spectantem; ex quo exarcerbati e Sylva excurrerunt, & minaci vultu accelerabant cursum ad me; ajebant, cur hic consistis & attendis ad nostros susurros; & respondi, cur non, quid prohibet, erant loquelæ; & retuli quæ ab illis audivi; ex hoc sedabantur animi illorum, quod erat ex timore ne divulgarentur; & tunc incipiebant modeste loqui, & pudice agere; ex quo cognovi quod non ex vili plebe, sed ex prosapia digniore fuerint; & tunc narravi illis, quod viderim illos in Sylva ut Satyros, viginti ut Satyros vitulinos, sex ut Satyros parthetinos, & quatuor ut Satyros lupinos, erant numero triginta: hoc mirati sunt quia ipsi se ibi non viderunt nisi ut homines, similiter ut se videbant hic apud me; & instruxi, quod ita apparuerint e longinquo ex libidine scortatoria, & quod Satyriaca hæc forma esset forma adulterii dissoluti, & non forma personæ; causam dixi hanc, quod unaquævis concupiscentia mala sistat similitudinem sui in quadam forma, quæ non conspicitur ab ipsis, sed a stantibus ad

distan-

distantiam; & dixi, ut credatis, emittite aliquos e vobis in Sylvam illam, ac vos permanete hic, & aspectate; ac fecerunt ita, & emiserunt duos, & juxta Casam lupanarem illam viderunt illos prorsus ut Satyros, & cum redibant, salutabant illos Satyros, & dixerunt, o qualia ludibria: cum in risu erant, jocatus sum cum illis varia, & narravi, quod Adulteros etiam viderim ut porcos; & tunc recordatus sum Fabulæ de Ulysse & Medea, quod hæc Ulyssis comites & famulos conspersit herbis hecateis, & contigerit virga magica, & converterit in porcos, forte in Adulteros, quia non potuit ulla arte convertere aliquem in porcum; postquam ad hæc & similia solverunt cachinnos, quæsivi, num sciant ex quibus Regnis in Mundo fuerant, dixerunt, quod ex variis, & nominabant Italiam, Poloniam, Germaniam, Angliam, Sueciam, & quæsivi num aliquem inter se viderint ex Hollandia, & dixerunt, non aliquem. Post hæc converti sermonem ad seria, & interrogavi, num usquam cogitaverint quod Adulterium sit peccatum; responderunt, quid peccatum, non scimus quid hoc: interrogavi, num usquam meminerint quod Adulterium esset contra sextum præceptum Decalogi, responderunt, quid Decalogus, estne Cathechesis, quid nobis viris cum puerili illo codicillo: interrogavi, num usquam cogitaverint aliquid de Inferno, responderunt quis inde ascendit & narravit: interrogavi, num aliquid in Mundo cogitaverint de vita post mortem, dixerunt, simile quod de bestiis, & quandoque simile quod de larvis, quæ si ex cadaveribus exhalantur, diffluunt: porro interrogavi, numne de his & illis aliquod audiverint a Sacerdotibus, responderunt quod modo attenderint ad sonum loquelæ illorum, & non ad rem, & quid hæc. Ex his stupefactus dixi ad illos, convertite faciem & aciem ad medium sylvæ, ubi Caverna, in qua fuistis; & converterunt se, ac viderunt magnum illum Serpentem circum illam flexum in spiram, ac insufflantem venenum, & quoque funestas aves in ramis supra illum; & quæsivi, quid videtis, sed territi facti nihil responderunt; & dixi, vidistisne horrendum; scitote, quod hoc sit repræsentativum adulterii in libidinis suæ flagitio. Subito tunc quidam Angelus adstitit, erat Sacerdos, & aperuit Infernum in Plaga occidentali, in quod tandem colliguntur tales; & dixit, conspicite illuc, & viderunt Stagnum sicut igneum; & cognoverunt ibi aliquos in Mundo amicos, qui invitabant illos ad se. His visis & auditis averterunt se, & proripuerunt se e conspectu meo, & recesserunt a Sylva, sed observabam gressus illorum, quod simularent recessum, sed quod per ambages in Sylvam reverterentur.

522. Post hæc reversus sum domum, & post diem ex recordatione tristium illorum, spectavi ad eandem Sylvam, & vidi illam disparatam, & loco ejus Campum arenosum, & in medio ejus Stagnum, in quo erant aliqui serpentes rubri. Sed post septimanas, dum iterum illuc spectavi, vidi a latere ejus dextro Arvum, & super eo aliquot Colonos; ac iterum post septimanas vidi ex Arvo illo enascens Novale circumcinctum arbustis: & audivi tunc vocem e Cælo, intra in Cubiculum tuum, & claude januam, & intende operi incepto in Apocalypsi; & hoc infra biennium persequere ad finem.

De Imputatione utriusque amoris, scortatorii & conjugialis.

523. Dicit Dominus, NON JUDICATE, NE CONDEMNEMINI, Matth. VII: 1; per quod nullatenus potest intelligi judicatio de alicujus vita morali & civili in Mundo; sed judicatio de alicujus vita spirituali & cælesti: quis non videt, quod si non liceret judicare de vita morali cohabitantium secum in Mundo, caderet societas; quid foret societas, si non Judicia publica, & si non cuivis suum judicium de altero; at judicare qualis interior mens aut anima inest, ita qualis ei status spiritualis, & inde sors post mortem, de hoc, quia Soli Domino notum est, non licet judicare; hoc nec Dominus revelat nisi quam post obitum, ob causam ut quisque ex libero agat quod agit, & per hoc ut bonum aut malum sit ab illo & sic in illo, & inde vivat sibi & suus in æternum: quod interiora mentis in Mundo recondita revelentur post mortem, est quia hoc interest & conducit societatibus, in quas tunc homo venit, sunt enim omnes ibi spirituales: quod tunc illa revelentur, patet ex his Domini verbis „*Nihil occultatum est, quod non revelabitur, aut absconditum quod non cognoscetur; ideo quæcunque in tenebris dixeritis, in luce audientur; & quod in aurem loquuti fueritis in cubiculis, prædicabitur super tectis*, Luc. XII: 2. 3. Commune judicium, ut hoc, si talis es in internis qualis appares in externis, salvaberis vel condemnaberis, concessum est; at judicium singulare, ut hoc, tu es talis in internis, ergo salvaberis vel condemnaberis, non conceditur. Judicatio de Vita hominis spirituali, seu interna animæ, intelligitur per Imputationem, de qua hic agitur: quis hominum novit, quinam Scortator corde est, & quinam Conjux corde est, & tamen cordis cogitata, quæ sunt voluntatis proposita, judicant quemcunque. Sed hæc aperientur in hoc ordine, I. *Quod cuique post mortem imputetur malum in quo est; similiter bonum.* II. *Quod transcriptio boni unius in alterum impossibilis sit.* III. *Quod Imputatio, si per illam intelligitur talis transcriptio, sit vox frivola.* IV. *Quod malum cuivis imputetur secundum quale voluntatis ejus, & secundum quale intellectus ejus; similiter bonum.* V. *Quod sic cuivis imputetur Amor scortatorius.* VI. *Quod similiter Amor conjugialis.* Sequitur horum Explicatio.

524. I. QUOD CUIQUE POST MORTEM IMPUTETUR MALUM IN QUO EST; SIMILITER BONUM. Hoc, ut in aliqua evidentia pateat, lustrabitur in distinctione, in hac, 1. Quod unicuique sit vita propria. 2. Quod unumquemvis sua vita post mortem maneat. 3. Quod Malo tunc imputetur malum ejus vitæ, & quod Bono imputetur bonum ejus. PRIMUM, quod unicuique sit vita propria, ita distincta ab alterius, notum est; est enim perpetua varietas, & non aliquid idem, inde est cuivis suum proprium; hoc patet manifeste ex faciebus hominum, quod non detur unius facies absolute similis alterius, nec dari possit in æternum; causa est, quia non dantur animi similes, & ex animis sunt faci-

es, est enim facies, ut dicitur, typus animi, ac animus ducit suam originem & formam ex vita. Nisi homini propria vita foret, sicut est proprius animus, & propria facies, non foret ei aliqua vita post mortem, separata ab alterius; imo nec foret Cælum, hoc enim ex perpetuis aliis consistit; hujus forma unice est ex varietatibus animarum & mentium in talem ordinem dispositis, ut unum faciant, ac unum faciunt ex Uno, cujus vita est in omnibus & singulis ibi, sicut anima est in homine; quod nisi foret, dispergeretur Cælum, quia dissolveretur forma. Unus ex Quo est vita omnibus & singulis, & ex Quo cohæret forma, est Dominus. In genere est omnis forma ex variis, ac talis, qualis est horum harmonica coordinatio & dispositio ad unum; talis est forma humana, inde est quod homo ex tot membris, visceribus & organis consistens, non sentiat aliquid in se & a se nisi sicut unum. SECUNDUM, quod unumquemvis sua vita post mortem maneat, notum est in Ecclesia ex Verbo, & ex his ibi "*Venturus est Filius hominis, & tunc reddet unicuique secundum facta ejus*" Matth. XVI: 27. *Vidi libros apertos, & judicati sunt omnes secundum opera illorum*, Apoc XX: 12. 13. *In die judicii reddet Deus unicuique secundum opera ejus*, Rom II: 6. II Cor. V: 10; Opera, secundum quæ reddetur unicuique, sunt vita, quia vita facit illa, & secundum vitam sunt. Quia datum est mihi per plures annos una esse cum Angelis, ac loqui cum advenis e Mundo, pro certo testari possum, quod unusquisque exploretur ibi qualis ei vita fuit, & quod vita, quam contraxit in Mundo, maneat illum in æternum; loquutus sum cum illis, qui ante Sæcula vixerunt, quorum vita ex historicis mihi nota fuit, & cognovi similem descriptioni; & audivi ab Angelis, quod vita alicujus post mortem non possit mutari, quia organizata est secundum amorem ejus & inde opera; & quod si mutaretur, discerperetur organizatio, quod nusquam fieri potest; tum quod mutatio organzationis detur unice in corpore materiali, & prorsus non dabilis in corpore spirituali, postquam prius rejectum est. TERTIUM, quod Malo tunc imputetur malum ejus vitæ, & quod Bono imputetur bonum ejus; Imputatio mali non est accusatio, incusatio, inculpatio & judicatio sicut in Mundo, sed ipsum malum hoc facit; mali enim ex suo libero separant se a bonis, quoniam non possunt simul esse; jucunda amoris mali aversantur jucunda amoris boni, & jucunda ex unoquovis exhalant, sicut odorata ex omni vegetabili in terris; non enim absorbentur & occultantur a corpore materiali sicut prius, sed libere in auram spiritualem effluunt ex amoribus illorum: & quia malum ibi sentitur sicut in suo odore, est hoc quod accusat, incusat, inculpat & judicat, non coram aliquo judice, sed coram unoquovis, qui in bono est; & hoc est quod intelligitur per imputationem: præterea, Malus eligit socios, cum quibus in suo jucundo vivat, & quia aversatur jucundum boni, sponte se confert ad suos in inferno. Imputatio boni fit similiter, hoc fit illis, qui in Mundo agnoverunt, quod omne bonum in illis fit a Domino, & nihil a se; hi postquam præparati sunt, mittuntur in jucunda interiora boni, & tunc aperitur illis via in Cælum ad Societatem, ubi ejus jucunda homogenea sunt; hoc fit a Domino.

525. II. QUOD TRANSCRIPTIO BONI UNIUS IN ALTERUM IMPOSSIBILIS SIT.

Hujus evidentia quoque videri poteſt ex his in ordine; 1. Quod unuſquiſque homo naſcatur in malo. 2. Quod in bonum inducatur per regenerationem a Domino. 3. Quod fit per vitam ſecundum præcepta Ipſius. 4. Quare bonum, cum ita implantatur, non poteſt tranſcribi. Primum, quod unuſquiſque homo naſcatur in malo, in Eccleſia notum eſt; dicitur quod hoc malum ſit hæreditario ex Adamo; ſed eſt ex parentibus, ab his ducit quiſque indolem, quæ eſt inclinatio; quod ita ſit, ratio & experientia convincunt; ſimilitudines enim parentum quoad facies, genios & mores in proximis liberis & in poſteris ex his, exſtant; inde a multis noſcuntur familiæ, & quoque judicatur de illorum animis; quare mala, quæ ipſi parentes contraxerunt, & per traducem in proles intulerunt, ſunt in quibus homines naſcuntur: quod credatur, quod reatus Adami inſcriptus ſit omni generi humano, eſt quia pauci ſuper aliquod malum reflectunt apud ſe, & inde ſciunt id, quare opinantur, quod ſit tam alte reconditum, ut non appareat niſi coram Deo. Secundum, quod homo in bonum inducatur per regenerationem a Domino; quod ſit Regeneratio, & quod niſi quis regeneratur, non poſſit ingredi in Cælum, patet clare a Domini verbis apud Johan. III. 3. 5; quod Regeneratio ſit purificatio a malis, & ſic renovatio vitæ, non poteſt in Chriſtiano Orbe latere, nam ratio etiam hoc videt dum agnoſcit quod unuſquiſque naſcatur in malo, & quod malum non poſſit ablui & abſtergi ſicut ſordes per ſaponem & aquam, ſed per reſipiſcentiam. Tertium, quod homo inducatur in bonum a Domino per vitam ſecundum præcepta Ipſius; præcepta regenerationis ſunt quinque, quæ videantur ſupra n. 82, inter quæ ſunt hæc, quod fugienda ſint mala, quia ſunt diaboli & a diabolo, & quod facienda ſint bona quia ſunt Dei & a Deo, & quod adeundus ſit Dominus, ut adducat illos ad faciendum illa; conſulat quiſque ſe, & expendat, num aliunde homini bonum; & ſi non bonum, non ei eſt ſalus. Quartum, quod bonum, cum ita implantatur, non poſſit tranſcribi; per tranſcriptionem intelligitur tranſcriptio boni unius in alterum: ex ſupradictis conſequitur, quod homo per regenerationem innovetur prorſus quoad ſpiritum, & quod hoc fiat per vitam ſecundum præcepta Domini; quis non videt, quod hæc innovatio non fieri poſſit niſi a tempore in tempus; vix aliter quam ſicut ſucceſſive radicatur & creſcit arbor a ſemine, & perficitur: illi qui aliter percipiunt regenerationem, non ſciunt aliquid de ſtatu hominis, nec aliquid de malo & bono, quod hæc duo ſint prorſus oppoſita, & quod bonum non poſſit implantari niſi quantum removetur malum; nec ſciunt quod quamdiu quis in malo eſt, averſetur bonum quod in ſe bonum eſt; quare ſi bonum unius transferreretur in quendam qui in malo eſt, foret ſicut agnus conjiceretur coram lupo, aut ſicut margarita alligaretur naribus porci: ex quibus patet, quod tranſcriptio impoſſibilis ſit.

526. III. Quod Imputatio, si per illam intelligitur talis transcriptio, sit vox frivola. Quod cuique poſt mortem imputetur malum in quo eſt, ſimiliter bonum, ſupra n. 524, demonſtratum eſt; inde conſtat quid intelligitur per Imputationem; at ſi per imputationem intelligitur tranſcriptio boni in quempiam, qui in malo eſt, eſt vox frivola, quia impoſſibilis, ut quo-

que

que mox supra n. 525, demonstratum est. In Mundo ab hominibus possunt merita quasi transscribi, hoc est, benefieri liberis propter parentes, aut amicis cujusdam clientis ex favore, verum bonum meriti non potest inscribi animabus illorum, sed solum extrinsecus adjungi: simile non dabile est cum hominibus quoad vitam illorum spiritualem; hæc, ut supra ostensum est, implantanda est, quæ si non implantatur per vitam secundum percepta Domini supra memorata, homo in malo, in quo natus est, manet; antequam hoc factum est, non potest aliquod bonum contingere illum, quod si tangit, illicò repercutitur & resilit sicut globulus elasticus cadens in petram, aut absorbetur sicut adamas injectus paludi. Homo non reformatus quoad spiritum est sicut panthera, aut sicut bubo, & comparari potest senti & urticæ; at homo regeneratus est sicut ovis aut sicut columba, & comparari potest oleæ & viti; cogitate, quæso, si lubet, quomodo potest homo panthera converti in hominem ovem, aut bubo in columbam, aut sentis in oleam, aut urtica in vitem, per aliquam imputationem, si per illam intelligitur transscriptio; numne, ut conversio fiat, ferinum pantheræ & bubonis, aut noxium sentis & urticæ, prius auferendum est, & sic vere humanum & innocuum implantandum est; quomodo hoc fit, etiam docet Dominus apud Johannem Cap. XV: 1 ad 7.

527. IV. QUOD MALUM CUIVIS IMPUTETUR SECUNDUM QUALE VOLUNTATIS, ET SECUNDUM QUALE INTELLECTUS EJUS. Notum est, quod duo sint, quæ faciunt vitam hominis, Voluntas & Intellectus, & quod omnia, quæ fiunt ab homine fiant a voluntate & ab intellectu ejus, & quod absque his agentibus non foret homini actio nec loquela, alia quam machinæ; inde patet, quod homo, qualis est ejus voluntas & intellectus, talis homo sit; tum etiam, quod talis sit hominis actio in se, qualis est ejus voluntatis affectio, quæ producit illam, & quod talis sit hominis sermo in se, qualis est ejus intellectus cogitatio, quæ producit illum; quare possunt plures homines similiter agere & loqui, & tamen dissimiliter agunt & loquuntur, unus ex voluntate & cogitatione prava, alter ex voluntate & cogitatione proba. Ex his constat, quid per Facta seu Opera, secundum quæ unusquisque judicabitur, intelligitur, nimirum quod voluntas & intellectus, consequenter quod per opera mala intelligantur opera voluntatis malæ, qualiacunque apparuerint in externis, & quod per opera bona intelligantur opera voluntatis bonæ, tametsi in externis similia apparuerint cum operibus ex homine malo. Omnia quæ fiunt ab interiore voluntate hominis, fiunt ex proposito, quoniam illa voluntas id quod sua intentione agit, proponit sibi; & omnia quæ fiunt ab intellectu, fiunt ex confirmato, quoniam intellectus confirmat: ex his constare potest, quod cuivis imputetur malum aut bonum secundum quale voluntatis ejus in illis, & secundum quale intellectus ejus de illis. Hæc confirmare licet per hoc; in Mundo spirituali offendi plures, qui in Mundo naturali similes aliis vixerant, splendide se vestiendo, laute epulando, cum fænore sicut alii negotiando, ludos scenicos spectando, de amatoriis sicut ex libidine jocando, præter consimilia alia, & tamen Angeli quibusdam inculpabant illa ut mala peccati, & quibusdam

dam non imputabant illa ut mala, & hos declarabant insontes, illos autem sontes: ad interrogationem cur ita, cum tamen parilia fecerant; respondebant, quod ex proposito, intentione seu fine, omnes contemplentur, & secundum illa distinguant; & quod ideo illos, quos finis aut excusat aut damnat, ipsi excusent aut damnent, quoniam finis boni est omnibus in Cælo, & finis mali omnibus in inferno.

528. His adjicietur hoc; dicitur in Ecclesia, quod nemo possit implere legem, & eo minus, quoniam qui prævaricatur contra unum præceptum Decalogi, prævaricatur contra omnia; verum hæc loquutionis formula non est qualis sonat; nam hoc ita intelligendum est, quod qui ex proposito aut confirmato agit contra unum præceptum, ille agat contra reliqua, quoniam ex proposito aut ex confirmato agere, est prorsus negare quod peccatum sit, & qui negat peccatum, ille nihili facit si contra præcepta reliqua agit: quis non scit, quod qui adulter est, non ideo sit homicida, fur, & falsus testis, nec velit esse; at qui adulter ex proposito & confirmato est, hic nihili facit omnia quæ religionis, ita nec homicidia, furta & falsa testimonia, & quod ab his non abstineat quia peccata sunt, sed quia timet legem & famam: quod adulteri ex proposito & ex confirmato nihili pendant sancta Ecclesiæ & religionis, videatur supra n 490 ad 493, & in binis MEMORABILIBUS n. 500. & 521. 522. simile est, si quis ex proposito aut confirmato contra unum aliud præceptum Decalogi agit, quod etiam contra reliqua agat, quia non aliquid reputat peccatum.

529. Consimile est apud illos, qui in bono a Domino sunt; hi si ex voluntate & intellectu, seu ex proposito & confirmato, abstinent ab uno malo, quia peccatum est, abstinent ab omnibus, & plus adhuc si abstinent a pluribus: ut primum enim aliquis ex proposito aut confirmato ab aliquo malo, quia peccatum est, abstinet, ille a Domino in proposito abstinendi a reliquis tenetur; quare si ex inscitia aut ex prævalente aliqua corporis concupiscentia, malum facit, usque hoc non ei imputatur, quia id sibi non proposuit, nec apud se confirmat. Homo in hoc propositum venit, si semel aut bis in anno explorat se, & a malo, quod deprehendit apud se, resipiscat; aliter qui nusquam explorat se. Ex his patescit, quis est cui non imputatur peccatum, & quis cui imputatur.

530. V. QUOD SIC CUIVIS IMPUTETUR AMOR SCORTATORIUS; videlicet, non secundum facta, qualia in externis coram hominibus apparent, imo nec qualia coram judice, sed qualia apparent in internis coram Domino, & ab Ipso coram angelis, quod est secundum quale voluntatis & quale intellectus hominis in illis. Dantur variæ circumstantiæ in Mundo, quæ crimina mitigant & excusant, tum quæ aggravant & incusant; at usque imputationes post mortem non fiunt secundum circumstantias quæ sunt externæ facti, sed secundum internas mentis; & hæ spectantur secundum statum Ecclesiæ apud unumquemvis; ut pro exemplo, homo voluntate ac intellectu impius, qui est, cui non timor Dei, nec amor proximi, & inde nec reverentia pro aliqua sanctitate Ecclesiæ; ille post mortem fit reus omnium criminum, quæ corpore fecit,

cit, nec fit recordatio benefactorum ejus; quoniam cor ejus, a quo illa ut a fonte fcaturiverunt, averfum fuit a Cælo, & converfum ad infernum, & acta profluunt ex loco habitationis cordis cujusvis; ut hoc intelligatur, referam arcanum; Cælum eft in innumerabiles Societates diftinctum, fimiliter ex oppofito Infernum; & cujusvis hominis Mens fecundum voluntatem & inde intellectum ejus, in una Societate actualiter habitat, & cum illis ibi fimiliter intendit & cogitat; fi Mens in aliqua focietate Cæli eft, tunc intendit & cogitat fimiliter cum illis ibi; fi in aliqua focietate Inferni eft, fimiliter cum illis ibi; fed quamdiu homo in Mundo vivit, tamdiu migrat ab una Societate in alteram fecundum mutationes affectionum voluntatis & inde cogitationum mentis fuæ; at poft mortem colliguntur peregrinationes ejus, & ex collectis in unum defignatur ei locus, fi malus in Inferno, fi bonus in Cælo: nunc quia omnibus in Inferno eft voluntas mali, ex ea fpectantur omnes ibi, & quia omnibus in Cælo eft voluntas boni, ex ea fpectantur omnes ibi, quare fecundum quale cujusvis voluntatis & intellectus fiunt imputationes poft mortem. Simile fit cum Scortationibus, five fint Fornicationes, five Pellicatus, five Concubinatus, five Adulteria; quoniam illa cuivis imputantur, non fecundum facta, fed fecundum ftatum mentis in factis; facta enim fequuntur Corpus in tumulum, at Mens refurgit.

531. VI. Quod sic cuivis imputetur amor conjugialis. Dantur Conjugia in quibus non apparet amor conjugialis, & tamen eft, & dantur Conjugia in quibus apparet amor conjugialis, & tamen non eft; caufæ funt plures utrinque, quoad partem cognofcibiles ex tranfactis de Amore vere conjugiali, n. 57 ad 73; deque Caufis frigorum & feparationum, n. 234 ad 260: & de Caufis apparentis Amoris & amicitiæ in conjugiis, n. 271 ad 292; fed apparentiæ in externis nihil concludunt de Imputatione: unicum quod concludit eft Conjugiale, quod infideat alicujus voluntati, & cuftodiatur, in qualicunque conjugii ftatu homo fit; Conjugiale illud eft ficut trutina, qua expenditur ille amor; eft enim Conjugiale unius viri cum una uxore Clenodium vitæ humanæ, & Reconditorium religionis Chriftianæ, ut fupra n. 457, 458, oftenfum eft: & quia ita eft, poteft ille Amor dari apud unum conjugem, & non fimul apud alterum; & poteft ille Amor altius latere reconditus, quam ut ipfe homo animadvertat aliquid de eo; & quoque poteft infcribi in fucceffu vitæ; caufa eft, quia Amor ille in paffibus fuis comitatur Religionem, ac Religio, quia eft conjugium Domini & Ecclefiæ, eft illius amoris initiamentum & inoculatio; quare Amor conjugialis imputatur cuivis poft mortem, fecundum ejus fpiritualem rationalem vitam; & illi, cui Amor ille imputatur, poft obitum providetur Conjugium in Cælo, qualecunque ei fuerit conjugium in Mundo. Ex his nunc fit hæc Claufula, quod non ex apparentiis conjugiorum, nec ex apparentiis fcortationum, concludendum fit de aliquo, quod illi fit Amor conjugialis, vel non; quare *Ne judicate ne condemnemini*, Matth. VII. 1.

R. n. 846.

532. His adjiciam hoc MEMORABILE. Quondam quoad ſpiritum meum evectus ſum in Cælum Angelicum, & in unam ejus Societatem; & tunc acceſſerunt ad me aliqui ex ſapientibus ibi, & dixerunt, quid Novum e terra; dixi illis, hoc Novum eſt, quod Dominus revelaverit Arcana, quæ excellentia excedunt Arcana ab initio Eccleſiæ huc uſque revelata; quæſiverunt, quæ ſunt illa, dixi quod hæc ſint. I. Quod in Verbo in omnibus & ſingulis ejus ſit Senſus ſpiritualis correſpondens Senſui naturali, & quod per illum Senſum ſit conjunctio hominum Eccleſiæ cum Domino, & conſociatio cum Angelis, & quod ſanctitas Verbi in eo reſideat. II. Quod Correſpondentiæ, ex quibus Senſus ſpiritualis Verbi conſiſtit, detectæ ſint; quæſiverunt Angeli, anne habitatores Orbis de Correſpondentiis prius ſciverunt, dixi, quod prorſus nihil; & quod latuerint nunc per aliquot millia annorum, nempe uſque a Hiobi tempore; & quod apud illos qui eo tempore & ante illud vixerunt, Scientia correſpondentiarum fuerit Scientia ſcientiarum, ex qua illis ſapientia, quia cognitio de ſpiritualibus quæ Cæli & inde Eccleſiæ ſunt; ſed quod Scientia illa, quia verſa eſt in idolatricam, ex Divina Domini Providentia ita obliterata & deperdita ſit, ut nemo viderit aliquod ſignum de illa: ſed quod uſque nunc a Domino detecta ſit, ut fiat conjunctio hominum Eccleſiæ cum Ipſo, & conſociatio cum Angelis; & hæc fit per Verbum, in quo omnia & ſingula Correſpondentiæ ſunt. Angeli valde gaviſi ſunt, quod placuerit Domino revelare hoc magnum Arcanum per aliquot millia annorum tam alte reconditum; & dixerunt, quod hoc ſit propter finem, ut Eccleſia Chriſtiana, quæ fundatur ſuper Verbo, & nunc in ſuo fine eſt, iterum revivat & trahat ſpiritum per Cælum a Domino. Quæſiverunt num per illam Scientiam hodie detectum ſit, quid Baptiſmus & quid Sacra Cæna ſignificant, de quibus tam varia huc uſque cogitaverunt, & reſpondi, quod detectum ſit. III. Porro dixi, quod hodie a Domino revelatum ſit de Vita hominum poſt mortem; dixerunt Angeli, quid de vita poſt mortem, quis non ſcit, quod homo vivat poſt mortem, reſpondi, ſciunt & non ſciunt, dicunt, quod non homo, ſed anima ejus, & quod hæc vivat ſpiritus, & de ſpiritu fovent ideam ſicut de vento aut æthere, & quod non vivat homo, quam poſt diem ultimi Judicii, & quod tunc corporea, quæ reliquerant in Mundo, tametſi a vermibus, muribus & piſcibus exeſa, recolligerentur & rurſus coaptarentur in corpus, & quod homines ſic reſurrecturi ſint; dixerunt Angeli, quid hoc, quis non ſcit quod homo vivat homo poſt mortem, cum ſola differentia quod tunc vivat homo ſpiritualis, & quod homo ſpiritualis videat hominem ſpiritualem, ſicut homo materialis materialem, & quod non ſciant unum diſcrimen, præter quod in ſtatu perfectiori ſint. IV. Quæſiverunt Angeli, quid ſciunt de noſtro Mundo, ac de Cælo & Inferno; dixi, quod nihil ſciverint, at quod hodie a Domino detectum ſit, qualis eſt Mundus in quo Angeli & Spiritus vivunt, ita quale eſt Cælum & quale eſt Infernum; tum etiam quod Angeli & Spiritus ſint in conjunctione cum hominibus; præter multa Mirabilia de illis: Angeli

lætati

lætati sunt, quod Domino placuerit talia detegere, ne homo amplius ex ignorantia in ambiguitate sit de sua Immortalitate. V. Amplius dixi, quod hodie a Domino revelatum sit, quod in Vestro Mundo sit alius Sol, quam in nostro, & quod Sol vestri Mundi sit purus Amor, & quod Sol nostri Mundi sit purus ignis; & quod ideo omne quod procedit ex vestro Sole, quia est purus Amor, trahat ex vita, & quod omne quod a nostro, quia est purus ignis, nihil ex vita trahat; & quod inde sit differentia inter Spirituale & Naturale, quæ differentia hactenus ignota etiam detecta est. Ex quo notum factum est, unde est Lux quæ illuminat sapientia intellectum humanum, & unde est Calor, qui accendit amore voluntatem humanam. VI. Insuper quod detectum sit, quod sint tres gradus vitæ, & quod inde sint tres Cæli; & quod in illos gradus distincta sit Mens humana, & quod inde homo correspondeat tribus Cælis; dixerunt Angeli, annon sciverunt hoc prius, respondi, quod sciverint de gradibus inter magis & minus, sed nihil de gradibus inter prius & posterius. VII. Interrogaverunt Angeli, num præter illa revelata sint plura, dixi quod plura; quæ sunt de Ultimo Judicio; de Domino, quod sit Deus Cæli & terræ, quod Deus sit unus & persona & essentia, in quo Divina Trinitas, & quod Ille sit Dominus; tum de Nova Ecclesia ab Ipso instauranda, & de Doctrina illius Ecclesiæ; De Sanctitate Scripturæ sacræ; quod etiam Apocalypsis revelata sit, quæ ne quidem quoad unum versiculum revelari potuit nisi a Domino. Insuper de Incolis Planetarum, ac de Telluribus in Universo: præter multa Memorabilia & Mirabilia e Mundo Spirituali, per quæ plura, quæ sapientiæ sunt, e Cælo detecta sunt.

533. Angeli ex his auditis valde gavisi sunt, sed percipiebant tristitiam in me, & sciscitabant unde tibi tristitia, dixi; quod Arcana illa hodie a Domino revelata, tametsi excellentia & dignitate excedunt cognitiones hactenus evulgatas, usque in terris reputentur sicut non alicujus pretii: hoc mirati sunt Angeli, & petierunt a Domino, ut liceret illis despicere in Mundum, & despexerunt, & ecce meræ tenebræ ibi; & dictum illis est, ut scriberentur Arcana illa super Charta, & Charta demitteretur in terras, & viderent portentum; & factum est ita, & ecce Charta, cui Arcana illa inscripta erant, demissa est e Cælo, & in progressu dum adhuc erat in Mundo spirituali, lucebat sicut stella, at dum illapsa est in Mundum naturalem, lux disparata, & ad gradum sicut decidit, obtenebrata est: & dum ab Angelis immissa est in Cœtus ubi docti & eruditi ex quibusdam Clericis & Laicis, auditum est murmur a multis, in quo erant hæ voces, quid hoc, num aliquid, quid refert si illa scimus vel non scimus, nonne sunt fætus cerebri; & apparebat sicut aliqui sumerent chartam, ac plicarent, volverent & revolverent illam digitis, ut obliterarent Scripturam; ac apparebat sicut aliqui illam discerperent, & aliqui sicut vellent proculcare illam pedibus; sed a Domino arcebantur ab illo facinore, & mandatum est Angelis ut retraherent illam & custodirent; & quia Angeli tristes facti sunt, & cogitaverunt quousque hoc, dictum est, *Usque ad tempus & tempora & dimidium temporis*, Apoc. XII. 14.

534. Post hæc loquutus sum cum Angelis, quod adhuc aliquid reveletur in

Mundo a Domino, quæſiverunt, quid hoc, dixi, de Amore vere Conjugiali, & de Cæleſtibus ejus delitiis; dixerunt Angeli, quis non ſcit, quod delitiæ Amoris conjugialis excedant delitias omnium amorum; & quis non poteſt videre, quod in aliquem amorem collatæ ſint omnes beatitudines, fauſtitates & jucunditates, quæ uſquam conferri poſſunt a Domino, & quod receptaculum illarum ſit amor vere conjugialis, qui ad plenum ſenſum poteſt illas recipere & percipere: reſpondi, quod hoc non ſciant, quia non adiverunt Dominum, & vixerunt ſecundum præcepta Ipſius fugiendo mala ut peccata, & faciendo bona; & Amor vere conjugialis cum ſuis delitiis unice eſt a Domino, & datur illis qui vivunt ſecundum præcepta Ipſius; ita quod detur illis, qui recipiuntur in Novam Domini Eccleſiam, quæ in Apocalypſi per Novam Hieroſolymam intelligitur. His addidi, quod in dubio ſim, num velint in Mundo hodie credere, quod ille Amor in ſe ſit Amor ſpiritualis, & inde ex Religione, ex cauſa, quia de illo fovent modo ideam corpoream; tunc dixerunt ad me, ſcribe de illo, & ſequere revelationem, & poſtea Liber de illo ſcriptus demittetur a nobis e Cælo, & videbimus num recipiantur illa quæ inibi ſunt; & ſimul num velint agnoſcere, quod ille Amor ſit ſecundum Religionem apud hominem, ſpiritualis apud ſpirituales, naturalis apud naturales, & mere carnalis apud adulteros.

535. Poſt hæc audivi infeſtum murmur ex inferis, & ſimul has voces, fac Miracula & credemus; & quæſivi numne illa ſunt miracula, & reſponſum eſt, non ſunt; & quæſivi, quæ ergo miracula, & dictum eſt, manifeſta & revela futura, & fidem habebimus, ſed reſpondi, talia e Cælo non dantur, quoniam quantum homo ſcit futura, tantum ejus ratio & intellectus cum prudentia & ſapientia, cadit in otium, torpet, & labefactatur: & iterum quæſivi, quæ alia Miracula faciam, & tunc clamatum eſt, fac ſimilia quæ Moſes in Ægypto; ad hoc reſpondi, forte ad illa obduraturi eſtis corda veſtra ſicut Pharao & Ægyptii, & reſponſum eſt, quod non; at iterum dixi, aſſeverate mihi, quod non ſaltaturi ſitis circum Vitulum aureum, & adoraturi illum ſicut poſteri Jacobi, quod fecerunt a Menſis ſpatio poſtquam viderunt totum Montem Sinai ardentem, & audiverunt Ipſum Jehovam ex igne loquentem, ita poſt Miraculum, quod erat omnium maximum; Vitulus aureus in Spirituali ſenſu eſt Voluptas carnis; & reſponſum eſt ex inferis, non erimus ſicut poſteri Jacobi. At tunc audivi hoc e Cælo illis dictum, ſi non creditis Moſen & Prophetas, hoc eſt, Verbum Domini, non credetis ex Miraculis plus quam filii Jacobi in deſerto; neve plus quam illi crediderunt, dum ſuis oculis viderunt Miracula ab Ipſo Domino, dum fuit in Mundo, facta.

COMMUNIS INDEX.

De Gaudiis Cæli, et de Nuptiis ibi, n. 1 ad 26.

De Conjugiis in Cælo, n. 27 ad 41. Quod homo vivat homo post mortem, n. 28 ad 31. Quod tunc masculus sit masculus, & fæmina sit fæmina, n. 32, 33. Quod suus Amor apud unumquemvis post mortem maneat, n. 34, 35, 36. Quod principaliter amor sexus; & apud illos qui in Cælum veniunt, qui sunt qui spirituales in terris fiunt, Amor conjugialis, n. 37, 38. Hæc plene confirmata per autopsiam, n. 39. Consequenter quod Conjugia sint in Cælo, n. 40. Quod Spirituales nuptiæ intelligantur per Domini verba, quod post resurrectionem non dentur nuptui, n. 41.

De Statu conjugum post mortem, n. 45 ad 54. Quod Amor sexus maneat apud omnem hominem post mortem, qualis ille interius, hoc est, in interiore ejus voluntate & cogitatione fuerat in Mundo, n. 46, 47. Quod Amor conjugialis similiter maneat, qualis ille interius, hoc est, in interiore voluntate & cogitatione apud hominem fuerat in Mundo, n. 48. Quod duo conjuges ut plurimum post mortem conveniant, se agnoscant, consocient, & per aliquod tempus vivant simul; quod fit in primo statu, ita dum in externis sunt sicut in Mundo, n. 47, pag. 37. Sed quod successive, sicut exuunt externa, ac intrant in interna sua, percipiant quali amore & inclinatione inter se ad se mutuo fuerant, & inde num possint una vivere vel non, n. 48, pag. 37. Quod si possunt una vivere, maneant conjuges, at si non possunt, se separent, quandoque vir ab uxore, quandoque uxor a viro, & quandoque se uterque ab invicem, n. 49. Quod tunc detur viro uxor conveniens, ac fæminæ maritus similiter, n. 50. Quod conjuges inter se fruantur consortiis similibus, quibus in Mundo, sed jucundioribus & beatioribus; verum absque prolificatione, pro qua seu loco ejus est illis prolificatio spiritualis, quæ est amoris & sapientiæ, n. 51, 52. Quod ita fiat illis, qui veniunt in Cælum; aliter vero illis, qui in infernum, n. 53, 54.

De Amore vere conjugiali, n. 57 ad 73. Quod detur Amor vere conjugialis, qui hodie tam rarus est, ut non sciatur qualis est, & vix quod sit, n. 58, 59. Quod illius amoris origo sit ex conjugio boni & veri, n. 60, 61. Quod illius amoris correspondentia sit cum Conjugio Domini & Ecclesiæ, n. 62, 63. Quod ille Amor ex sua origine, & ex sua correspondentia spectatus, sit cælestis, spiritualis, sanctus, purus, & mundus præ omni amore, qui a Domino est apud angelos Cæli & apud homines Ecclesiæ, n. 64. Quod etiam sit amor fundamentalis omnium amorum cælestium & spiritualium & inde naturalium, n. 65, 66, 67. Quodque in illum amorem collata sint omnia gaudia & omnes delitiæ a primis ad ultima, n. 68, 69. Sed quod non alii in illum amorem veniant, & in illo esse possint, quam qui adeunt Dominum, ac vera Ecclesiæ amant, & bona ejus faciunt, n. 70, 71, 72. Quod hic Amor fuerit Amor amorum apud Antiquos, qui in Sæculo aureo, argenteo, & cupreo vixerunt, n. 73.

De Origine Amoris conjugialis ex conjugio boni et veri, n. 83 ad 102. Quod bonum & verum sint universalia creationis, & inde in omnibus creatis; sed quod in subjectis creatis sint secundum cujusvis formam, n. 84, 85, 86. Quod non detur bonum solitarium, nec verum solitarium, sed quod ubivis conjuncta sint, n. 87. Quod detur verum boni, & ex hoc bonum veri, seu verum ex bono, ac bonum ex illo vero; & quod duobus illis a creatione insita sit inclinatio ad se conjungendum in unum, n. 88, 89. Quod in subjectis Regni animalis verum boni seu verum ex bono sit masculinum, & quod ex illo bonum veri seu bonum ex illo vero sit fæmininum, n. 91. Quod ex influxu bo-

ni & veri a Domino fit amor fexus & quod fit amor conjugialis, n. 92, 93. Quod amor fexus fit externi feu naturalis hominis, & quod inde hic fit communis omni animali, n. 94. Sed quod Amor conjugialis fit interni feu fpiritualis hominis, n. 95, 96. Quod apud hominem amor conjugialis fit in amore fexus, ficut gemma in matrice, n. 97. Quod Amor fexus apud hominem non fit origo amoris conjugialis, fed quod fit primum ejus, ita ficut eft externum naturale, cui implantatur internum fpirituale, n. 98. Quod dum amor conjugialis implantatus eft, amor fexus invertat fe, & fiat amor fexus caftus, n. 99. Quod mas & fæmina creati fint, ut fint ipfa forma conjugii boni & veri, n. 100. Quod duo conjuges fint illa forma in intimis fuis, & inde in fequentibus ex illis, ficut interiora mentis illorum aperta funt, n. 101, 102.

De Conjugio Domini et Ecclesiæ, et de ejus correspondentia, n. 116 ad 131. Quod Dominus in Verbo dicatur Sponfus & Maritus, & quod Ecclefia fponfa & uxor; & quod conjunctio Domini cum Ecclefia, & reciproca Ecclefiæ cum Domino dicatur Conjugium, n. 117. Tum quod Dominus dicatur Pater, & Ecclefia mater, n. 118, 119. Quod proles ex Domino ut Marito & Patre, & ex Ecclefia ut uxore & matre, fint omnes fpirituales, & in Verbi fenfu fpirituali, intelligantur per filios & filias, generos & nurus, & per alia nomina quæ funt generationis, n. 120. Quod proles fpirituales, quæ nafcuntur ex conjugio Domini cum Ecclefia, fint Vera ex quibus intellectus, perceptio & inde cogitatio, & quod fint Bona, ex quibus amor, charitas, & affectio, n. 121. Quod ex Conjugio boni & veri, quod procedit a Domino & influit, homo recipiat verum, & Dominus huic conjungat bonum, & quod fic Ecclefia formetur a Domino apud hominem, n. 122, 123. Quod maritus non repræfentet Dominum, & uxor Ecclefiam, quia ambo fimul, maritus & ejus uxor, faciunt Ecclefiam, n. 125. Quod ideo non fit correfpondentia mariti cum Domino & uxoris cum Ecclefia in conjugiis angelorum in cælis & hominum in terris, n. 126. Sed quod fit correfpondentia cum amore conjugiali, feminatione, prolificatione, amore infantum, & cum fimilibus quæ in conjugiis, & ex illis funt, n. 127. Quod Verbum fit medium conjunctionis, quia illud eft a Domino & fic Dominus, n. 128. Quod Ecclefia fit a Domino, & apud illos qui adeunt Ipfum, & vivunt fecundum præcepta Ipfius, n. 129. Quod Amor conjugialis fit fecundum ftatum Ecclefiæ, quia fecundum ftatum fapientiæ, apud hominem, n. 130. Et quia Ecclefia eft a Domino, quod etiam Amor conjugialis fit ab Ipfo, n. 131.

De Casto et non Casto, n. 138 ad 156. Quod caftum & non caftum prædicentur de Conjugiis, & de talibus quæ conjugii funt, n. 139, 140. Quod caftum modo prædicetur de conjugiis monogamicis, feu unius viri cum una uxore, n. 141. Quod Conjugiale Chriftianum folummodo detur caftum, n. 142. Quod Amor vere conjugialis fit ipfa caftitas, n. 143. Quod omnes delitiæ amoris vere conjugialis, etiam ultimæ, fint caftæ, n. 144. Quod Amor conjugialis apud illos, qui a Domino fiunt fpirituales, plus & plus purificetur, & fiat caftus, n. 145, 146. Quod Caftitas exiftat per totalem abdicationem fcortationum ex religione, n. 147, 148, 149. Quod caftitas non prædicari poffit de infantibus, nec de pueris & puellis, neque de adolefcentibus & virginibus antequam apud fe fentiunt amorem fexus, n. 150. Quod caftitas non prædicari poffit de eunuchis natis, nec de eunuchis factis, n. 151. Quod caftitas nec prædicari poffit de illis, qui non credunt adulteria effe mala religionis; & adhuc minus de illis, qui non credunt adulteria effe damna focietatis, n. 152. Quod caftitas non prædicari poffit de illis, qui folum propter varias caufas externas ab adulteriis abftinent, n. 153. Quod caftitas non prædicari poffit de illis, qui credunt

dunt conjugia esse incasta, n. 154. Quod castitas non prædicari possit de illis, qui abdicaverunt conjugia, vovendo perpetuum cælibatum, nisi in illis sit & permaneat Amor vitæ vere conjugialis, n. 155. Quod status Conjugii præferendus sit statui cælibatus, n. 156.

De Conjunctione animarum et mentium per conjugium, quæ intelligitur per Domini verba, quod non amplius sint duo, sed una caro. Quod a creatione insita sit utrique sexui facultas & inclinatio, ut possint & velint conjungi sicut in unum, n. 157. Quod Amor conjugialis conjungat duas animas & inde mentes in unum, n. 158. Quod voluntas uxoris se conjungat cum intellectu viri, & inde intellectus viri cum voluntate uxoris, n. 159. Quod inclinatio ad uniendum sibi virum sit constans & perpetua apud uxorem, sed inconstans & alterna apud virum, n. 160. Quod conjunctio inspiretur viro ab uxore secundum ejus amorem, & recipiatur a viro secundum ejus sapientiam, n. 161. Quod conjunctio illa fiat a primis diebus conjugii successive; & quod apud illos qui in amore vere conjugiali sunt, penitius & penitius in æternum, n. 162. Quod conjunctio uxoris cum sapientia rationali mariti fiat ab intra, sed cum sapientia morali ejus ab extra, n. 163, 164, 165. Quod propter conjunctionem illam ut finem, uxori sit data perceptio affectionum mariti, & quoque summa prudentia moderandi illas, n. 166. Quod uxores hanc perceptionem apud se recondant, & a maritis abscondant, propter causas, quæ sunt necessitates, ut conjugialis amor, amicitia & confidentia, & sic beatitudo cohabitationis, & felicitas vitæ, constabiliantur, n. 167. Quod perceptio hæc sit sapientia uxoris; & quod hæc non dabilis sit apud virum, nec quod sapientia rationalis viri dabilis sit apud uxorem, n. 168. Quod uxor jugiter cogitet de inclinatione viri ad se, animo conjungendi sibi illum, n. 169. Quod uxor conjungat se viro per applicationes ad ejus voluntatis desideria, n. 170. Quod uxor conjungatur viro suo per sphæram vitæ exeuntem ex amore ejus, n. 171. Quod uxor conjungatur marito per appropriationem virium virtutis ejus; sed quod hoc fiat secundum amorem mutuum spiritualem illorum, n. 172. Quod sic uxor imaginem sui mariti recipiat in se, & inde percipiat, videat, & sentiat ejus affectiones, n. 173. Quod sint officia propria viri, & officia propria uxoris; & quod uxor non possit intrare in officia propria viri, nec vir in officia propria uxoris, & illis rite fungi, n. 174, 175. Quod officia illa secundum mutuum auxilium etiam conjungant duos in unum; & simul faciant unam domum, n. 176. Quod conjuges secundum conjunctiones supradictas fiant unus homo plus & plus, n. 177. Quod illi, qui in amore vere conjugiali sunt, sentiant se unitum hominem, & sicut unam carnem, n. 178. Quod amor vere conjugialis in se spectatus, sit unio animarum, conjunctio mentium, nisus ad conjunctionem in pectoribus, & inde in corpore, n. 179. Quod status hujus amoris sint innocentia, pax, tranquillitas, amicitia intima, confidentia plena, desiderium cordis mutuum faciendi alteri omne bonum; & ex omnibus illis beatitudo, faustitas, jucunditas, voluptas, & ex harum fruitione æterna cælestis felicitas, n. 180. Quod hæc nullatenus possint dari, nisi in conjugio unius viri cum una uxore, n. 181.

De mutatione status vitæ apud viros et apud fæminas per conjugium, n. 184 ad 206. Quod status vitæ hominis ab infantia usque ad finem vitæ, & postea in æternum, continue mutetur, n. 185. Quod similiter forma interna hominis, quæ est spiritus ejus, n. 186. Quod hæ mutationes aliæ sint apud viros, aliæ apud fæminas, quoniam viri a creatione sunt formæ scientiæ, intelligentiæ & sapientiæ, fæminæ formæ amoris illarum apud viros, n. 187. Quod apud viros sit elevatio mentis in superiorem lucem, & quod apud fæminas sit elevatio mentis in superiorem calorem, & quod fæmina sentiat delitias sui

ſui caloris in luce viri, n. 188, 189. Quod ſtatus vitæ alii ſint viris & fæminis ante conjugium, & alii poſt conjugium, n. 190. Quod ſtatus vitæ poſt conjugium apud conjuges mutentur & ſuccedant ſecundum conjunctiones mentium illorum per amorem conjugialem, n. 191. Quod conjugia etiam inducant animabus & mentibus alias formas, n. 192. Quod fæmina actualiter formetur in uxorem ſecundum deſcriptionem in Libro creationis, n. 193. Quod formatio illa fiat ab uxore modis arcanis, & quod hoc intelligatur per quod fæmina creata ſit dormiente viro, n. 194. Quod formatio illa ab uxore fiat per conjunctionem ſuæ voluntatis cum interna viri, n. 195. Propter finem, ut utriuſque voluntas fiat una, & ſic ambo unus homo, n. 196. Quod formatio illa fiat per appropriationem affectionum mariti, n. 197. Quod formatio illa fiat per receptionem propagationum animæ mariti, cum deſitio oriundo ex eo, quod velit eſſe ſapientiæ ſui mariti amor, n. 198. Quod ſic formetur virgo in uxorem, & juvenis in maritum, n. 199. Quod in conjugio unius viri cum una uxore, inter quos eſt Amor vere conjugialis, uxor fiat plus & plus uxor, & maritus plus & plus maritus, n. 200. Quod etiam ita ſucceſſive ab interiori perficiantur & nobilitentur illorum formæ, n. 201. Quod proles natæ a duobus, qui in Amore vere conjugiali ſunt, trahant a parentibus Conjugiale boni & veri, ex quo illis eſt inclinatio & facultas, ſi filius, ad percipiendum illa quæ ſapientiæ ſunt, ſi filia, ad amandum illa quæ ſapientia docet, n. 202, 203, 204, 205. Quod ita fiat, quia anima prolis eſt a patre, ac induitio ejus a matre, n. 206.

Universalia de Conjugiis, n. 209 ad 230. Quod proprius ſenſus Amoris conjugialis ſit ſenſus tactus, n. 210. Quod apud illos, qui in amore vere conjugiali ſunt, creſcat facultas ſapiendi; ſed quod hæc apud illos, qui non in amore conjugiali ſunt, decreſcat, n. 211, 212. Quod apud illos, qui in amore vere conjugiali ſunt, creſcat fauſtitas cohabitationis; ſed quod hæc apud illos, qui non in amore conjugiali ſunt, decreſcat, 213. Quod apud illos, qui in amore vere conjugiali ſunt, creſcat conjunctio mentium, & cum hac amicitia; ſed quod hæc cum illa apud illos, qui non in amore conjugiali ſunt, decreſcat, n. 214. Quod illi, qui in amore vere conjugiali ſunt, continue velint unus homo eſſe; ſed quod illi, qui non in amore conjugiali ſunt, velint duo eſſe, n. 215. Quod illi, qui in amore vere conjugiali ſunt, ſpectent æternum; viciſſim autem illi, qui non in amore conjugiali ſunt, n. 216. Quod amor conjugialis reſideat apud uxores caſtas; ſed quod amor illarum dependeat a maritis, n. 216, pag. 139. Quod uxores ament vincula conjugii, modo viri ament illa, n. 217. Quod intelligentia fæminarum in ſe ſit modeſta, elegans, pacifica, cedens, mollis, tenera; & quod intelligentia virorum in ſe ſit gravis, aſpera, dura, animoſa, licentiæ amans, n. 218. Quod uxores in nulla excitatione ſint ſicut viri; ſed quod illis ſit ſtatus præparationis ad receptionem, n. 219. Quod viris ſit copia ſecundum amorem propagandi vera, & ſecundum amorem faciendi uſus, n. 220. Quod determinationes ſint in beneplacitis mariti, n. 221. Quod Sphæra conjugialis ſit, quæ a Domino per Cælum influit in omnia & ſingula univerſi uſque ad ultima ejus, n. 222. Quod hæc Sphæra recipiatur a ſexu fæminino, & per hunc transferatur in ſexum maſculinum, n. 223. Quod ubi Amor vere conjugialis eſt, hæc Sphæra recipiatur ab uxore, & unice per uxorem a marito, n. 224. Quod ubi amor non conjugialis eſt, Sphæra illa quidem recipiatur ab uxore, ſed non a marito per illam, n. 225. Quod amor conjugialis dari poſſit apud unum ex conjugibus, & non ſimul apud alterum, n. 226. Quod ſint variæ ſimilitudines, & variæ diſſimilitudines, tam internæ quam externæ, n. 227. Quod variæ ſimilitudines poſſint conjungi, ſed non cum diſſimilitudinibus, n. 228. Quod Dominus illis, qui de-

fide-

fiderant amorem conjugialem, provideat fimilitudines; & quod fi non dantur in terris, provideat illas in Cælis, n. 229. Quod homo fecundum defectum & jacturam amoris conjugialis, accedat ad naturam beftiæ, n. 230.

De Causis frigorum, separationum, et divortiorum in conjugiis, n. 234 ad 260. Quod fit calor fpiritualis, & quod fit frigus fpirituale; & quod calor fpiritualis fit amor, & frigus fpirituale privatio ejus, n. 235. Quod frigus fpirituale in conjugiis fit difunio animarum, & disjunctio mentium; unde indifferentia, difcordia, contemtus, faftidium, averfatio; ex quibus tandem apud plures feparatio quoad torum, cubiculum, & domum, n. 236. Quod caufæ frigorum in fuis fucceffionibus fint plures, quædam internæ, quædam externæ, & quædam accidentales, n. 237. Quod caufæ frigorum internæ fint ex religione, n. 238, 239. Quod caufarum internarum frigorum Prima fit rejectio religionis ab utroque, n. 240. Quod caufarum internarum frigorum Secunda fit, quod uni fit religio, & non alteri, n. 241. Quod caufarum internarum frigorum Tertia fit, quod alia religio fit uni & alia alteri, n. 242. Quod caufarum internarum Quarta fit falfitas religionis imbuta, n. 243. Quod caufæ fupradictæ fint caufæ frigoris interni; fed non fimul externi apud plures, n. 244, 245. Quod caufæ externæ frigoris etiam fint plures; & quod harum Prima fit diffimilitudo animorum & morum, n. 246. Quod caufarum externarum frigoris Secunda fit, quod Amor conjugialis credatur unus cum amore fcortatorio, modo quod hic ex lege fit illicitus, ille autem licitus, n. 247. Quod caufarum externarum frigoris Tertia fit æmulatio fupereminentiæ inter conjuges, n. 248. Quod caufarum externarum frigoris Quarta, fit nulla determinatio ad aliquod ftudium aut negotium, ex qua cupiditas vaga, n. 249. Quod caufarum externarum frigoris Quinta fit inæqualitas ftatus & conditionis in externis, n. 250. Quod caufæ feparationum etiam fint aliquæ, n. 251. Quod Prima caufa legitimæ feparationis fit vitium mentis, n. 252. Quod Secunda caufa legitimæ feparationis fit vitium corporis, n. 253. Quod Tertia caufa legitimæ feparationis fit impotentia ante conjugium, n. 254. Quod Adulterium fit caufa divortii, n. 255. Quod caufæ accidentales frigoris etiam fint; & quod harum Prima fit commune ex jugi licito, n. 256. Quod caufarum accidentalium frigoris Secunda fit, quod cohabitatio cum conjuge ex fædere & lege videatur coacta, & non libera, n. 257. Quod caufarum accidentalium frigoris Tertia fit affirmatio ab uxore, & fermocinatio de amore ab illa, n. 258. Quod caufarum accidentalium frigoris Quarta fit cogitatio viri interdiu & noctu de uxore quod velit, & viciffim cogitatio uxoris de viro quod non velit, n. 259. Quod ficut frigus eft in mente, etiam fit in corpore; & quod fecundum frigoris illius incrementa claudantur etiam externa corporis, n. 260.

De Causis apparentis amoris, amicitiæ, et favoris in conjugiis, n. 271 ad 292. Quod in Mundo naturali pæne omnes conjungi poffint quoad affectiones externas, fed non quoad affectiones internas fi hæ diffident & apparent, n. 272. Quod in Mundo Spirituali omnes conjungantur fecundum affectiones internas, non autem fecundum externas, nifi hæ unum agant cum internis, n. 273. Quod fint externæ affectiones, fecundum quas matrimonia communiter contrahuntur in Mundo, n. 274. Sed quod fi non internæ affectiones, quæ conjungunt mentes, infunt, matrimonia in domo folvantur, n. 275. Quod tamen matrimonia in Mundo ad finem vitæ permanfuræ fint, n. 276. Quod in matrimoniis, in quibus internæ affectiones non conjungunt, dentur externæ, quæ fimulant internas, & confociant, n. 277. Quod inde fit apparens amor, apparens amicitia, & favor inter conjuges, n. 278. Quod apparentiæ hæ fint fimulationes conjugiales, quæ laudabiles quia utiles & neceffariæ, n. 279. Quod hæ fimulationes conjugiales apud fpiritualem hominem conjunctum naturali fapiant ex judicio, n. 280.

Quod hæ simulationes conjugiales apud naturalem hominem sapiant ex prudentia propter varias causas, n. 281. Quod sint propter emendationes & accommodationes, n. 282. Quod sint propter ordinem servandum in rebus domesticis, & propter mutuum auxilium, n. 283. Quod sint propter curam infantum, & erga liberos, unicordem, n. 284. Quod sint propter pacem in domo, n. 285. Quod sint propter famam extra domum, n. 286. Quod sint propter varios favores exspectatos a conjuge, aut ab ejus cognatis, & sic propter timorem jacturæ illorum, n. 287. Quod sint propter excusationes nævorum, & inde evitationes infamiæ, n. 288. Quod sint propter reconciliationes, n. 289. Quod si apud uxorem non cessat favor, dum facultas apud virum, fieri possit amicitia æmulans conjugialem cum senescunt, n. 290. Quod variæ species apparentis amoris & amicitiæ dentur inter conjuges, quarum unus est subjugatus, & inde subjectus alteri, n. 291. Quod dentur conjugia infernalia in Mundo inter conjuges, qui interius sunt infensissimi hostes, & exterius sicut conjunctissimi amici, n. 292.

De desponsationibus et nuptiis, n. 295 ad 314. Quod viro sit electio, & non fæminæ, n. 296. Quod virum oporteat ambire & rogare fæminam de conjugio secum, & non vicissim, n. 297. Quod fæminam oporteat consulere parentes, aut illos qui loco parentum sunt, & dein apud se deliberare, antequam consentit, n. 298, 299. Quod post declarationem consensus pignora danda sint, n. 300. Quod consensus per solennem desponsationem firmandus & constabiliendus sit, n. 301. Quod per desponsationem præparetur uterque ad amorem conjugialem, n. 302. Quod per desponsationem unius mens conjungatur menti alterius, ut fiat conjugium spiritus antequam fit corporis, n. 303. Quod ita fiat apud illos, qui de conjugiis cogitant caste; aliter qui de illis incaste, n. 304. Quod intra tempus desponsationis non liceat corporaliter conjungi, n. 305. Quod post exactum tempus desponsationis fieri debeant nuptiæ, n. 306. Quod ante celebrationem nuptiarum fædus conjugiale pangendum sit in præsentia testium, n. 307. Quod conjugium a sacerdote consecrandum sit, n. 308. Quod nuptiæ cum festivitate celebrandæ sint, n. 309. Quod post nuptias conjugium spiritus etiam fiat corporis, & sic plenum, n. 310. Quod hic sit amoris conjugialis ordo cum suis modis a primo ejus calore ad primam ejus facem, n. 311. Quod amor conjugialis absque ordine & hujus modis præcipitatus exurat medullas, & consummetur, n. 312. Quod status mentium utriusque in successivo ordine procedentes influant in statum conjugii; attamen aliter apud spirituales, & aliter apud naturales, n. 313. Quia ordo datur successivus, & ordo simultaneus, & hic est ex illo, & secundum illum, n. 314.

De Conjugiis iteratis, n. 317 od 325. Quod post mortem conjugis iterum contrahere matrimonium dependeat a præcedente amore conjugiali, n. 318. Quod post mortem conjugis iterum contrahere matrimonium dependeat etiam a statu conjugii, in quo vixerant, n. 319. Quod illis, quibus non fuit Amor vere conjugialis, nihil obstet & obsit, quin matrimonium iterato contrahant, n. 320. Quod illi, qui inter se in amore vere conjugiali vixerant, iteratum conjugium non velint, nisi propter causas separatas ab amore conjugiali, n. 321. Quod sit alius status conjugii cum virgine, & alius juvenis cum vidua, n. 322. Quod etiam alius status conjugii sit vidui cum virgine, & alius vidui cum vidua, n. 323. Quod varietates & diversitates horum conjugiorum quoad amorem & ejus attributa, excedant omnem numerum, n. 324. Quod status viduæ sit gravior statu vidui, n. 325.

De Polygamia, 332 ad 342. Quod nisi cum una uxore non dari queat amor vere conjugialis, consequenter nec vere conjugialis amicitia, confidentia, potentia; & talis mentium conjunctio, ut sint una caro, n. 333. 334. Quod sic nisi cum una uxore non dari queant beatitudines cælestes, faustitates spirituales,

les, & jucunditates naturales, quæ ab initio provisæ sunt illis, qui in amore vere conjugiali sunt, n. 335. Quod illa omnia non dari queant nisi a Solo Domino; & quod non dentur aliis, quam qui Ipsum Solum adeunt, & vivunt secundum præcepta Ipsius, n. 336. Consequenter quod non dari queat amor vere conjugialis, nisi quam apud illos, qui ab Ecclesia Christiana sunt, n. 337. Quod inde sit, quod Christiano non liceat nisi unam uxorem ducere, n. 338. Quod Christianus, si plures uxores ducit, non modo adulterium naturale, sed etiam adulterium spirituale, committat, n. 339. Quod genti Israeliticæ permissum fuerit plures uxores ducere, quia apud illam non Ecclesia Christiana fuit, & inde nec dabilis amor vere conjugialis, n. 340. Quod hodie Mahumedanis permissum sit plures uxores ducere, quia non agnoscunt Dominum Jesum Christum unum cum Jehovah Patre, & sic pro Deo Cæli & Terræ, & inde non possunt amorem vere conjugialem recipere, n. 341. Quod Cælum Mahumedanum sit extra Cælum Christianum, & quod illud in duos cælos, inferius & superius, sit divisum; & quod non alii in Cælum illorum superius eleventur, quam qui abdicant pellices, & vivunt cum una uxore, & agnoscunt Dominum nostrum æqualem Deo Patri, cui Dominium super Cælum & Terram datum est, n. 342. 373. 344. Quod Polygamia sit lascivia, n. 345. Quod apud polygamos non dabilis sit conjugialis castitas, puritas, & sanctitas, n. 346. Quod polygamus, quamdiu manet polygamus, non fieri possit spiritualis, n. 347. Quod polygamia non sit peccatum, apud quos illa est ex religione, n. 348. Quod polygamia non sit peccatum apud illos, qui in ignorantia sunt de Domino, n. 349. 350. Quod ex his illi, tametsi polygami, salventur, qui agnoscunt Deum, & ex religione vivunt secundum leges justitiæ civiles, n. 351. Sed quod nulli ex his & illis consociari possint angelis in Christianis Cælis, n. 352.

De Zelotypia, n. 354 ad 379. Quod Zelus in se spectatus sit sicut ignis amoris flagrans, n. 358. Quod flagratio seu flamma illius amoris, quæ est zelus, sit flagratio seu flamma spiritualis, oriunda ex infestatione & impugnatione amoris, n. 359. 360. 361. Quod Zelus homini sit, qualis est ejus amor, ita alius cui amor bonus est, & alius cui amor malus, n. 362. Quod Zelus amoris boni, & Zelus amoris mali, in externis sibi similes sint, sed in internis prorsus dissimiles, n. 363. 364. Quod Zelus amoris boni in internis suis recondat amorem & amicitiam, & quod zelus amoris mali in internis suis recondat odium & vindictam, n. 365. 366. Quod Zelus amoris conjugialis dicatur Zelotypia, n. 367. Quod Zelotypia sit sicut flagrans ignis contra infestantes amorem cum conjuge, & quod sit sicut horridus timor pro jactura illius amoris, n. 368. Quod Zelotypia detur spiritualis apud monogamos, & naturalis apud polygamos, n. 369. 370. Quod Zelotypia apud illos conjuges, qui se tenere amant, sit justus dolor ex sana ratione, ne amor conjugialis dividatur, & sic pereat, n. 371. 372. Quod Zelotypia apud conjuges, qui se non amant, sit propter plures causas, & apud quosdam ex varia ægritudine mentis, n. 373. 374. 375. Quod apud quosdam non sit aliqua Zelotypia, etiam ex variis causis, n. 376. Quod Zelotypia etiam sit pro pellicibus, sed non qualis est pro uxoribus, n. 377. Quod Zelotypia etiam sit apud bestias, & apud aves, n. 378. Quod Zelotypia apud viros & maritos alia sit, quam apud fæminas & uxores, n. 379.

De conjunctione amoris conjugialis cum amore infantum, n. 385 ad 414. Quod binæ Sphæræ universales procedant ad Domino a conservandum Universum in statu creato, quarum una est sphæra procreandi, & altera sphæra tutandi procreata, n. 386. Quod binæ illæ sphæræ universales unum faciant cum sphæra amoris conjugialis, & cum sphæra amoris infantum, n. 387. Quod binæ illæ sphæræ universaliter & singulariter influant in omnia Cæli & in omnia Mundi;

Mundi, a primis ad ultima, n. 388. 389. 390. Quod sphæra amoris infantum, sit sphæra tutelæ & sustentationis illorum, qui semet ipsos tutari & sustentare nequeunt, n. 391. Quod hæc sphæra afficiat tam malos quam bonos, ac disponat unumquemvis ad amandum, tutandum, & sustentandum suam progeniem, ex proprio amore, n. 392. Quod hæc sphæra afficiat sexum fæmininum principaliter, ita matres, & sexum masculinum seu patres ab illis, n. 393. Quod hæc sphæra etiam sit sphæra innocentiæ & pacis, n. 394. Quod sphæra innocentiæ influat in infantes, & per illos in parentes, & afficiat, n. 395. Quod etiam influat in animas parentum, & conjungat se cum eadem sphæra apud infantes; & quod imprimis insinuetur per tactum, n. 396. 397. Quod in eo gradu, in quo recedit innocentia apud infantes, etiam remittatur affectio & conjunctio, & id successive usque ad separationem, n. 398. Quod status rationalis innocentiæ & pacis apud parentes erga infantes, sit quod nihil sciant & possint ex se, sed ex aliis, imprimis ex patre & matre; & quod ille status successive recedat, sicut sciunt & possunt ex se & non ex illis, n. 399. Quod sphæra amoris procreandi in ordine a fine per causas in effectus progrediatur, ac periodos faciat, per quas conservatur creatio in statu prævisio & proviso, n. 400. 401. Quod amor infantum descendat, & non ascendat, n. 402. Quod alius status amoris uxoribus sit ante conceptionem, & alius status post illam usque ad partum, n. 403. Quod amor conjugialis cum amore infantum apud parentes conjungatur per causas spirituales & inde naturales, n. 404. Quod amor infantum alius sit apud conjuges spirituales, & alius apud naturales, n. 405. 406. 407. Quod ille amor apud spirituales sit ab interiori seu priori, apud naturales autem ab exteriori seu posteriori, n. 408. Quod inde sit, quod ille amor sit apud conjuges qui se mutuo amant, & quoque apud conjuges, qui se prorsus non amant, n. 409. Quod amor infantum post mortem maneat, imprimis apud mulieres, n, 910. Quod infantes sub auspicio Domini per illas educentur, ac statura & intelligentia crescant sicut in Mundo, n. 411. Quod ibi a Domino provideatur, ut apud illos innocentia infantiæ fiat innocentia sapientiæ, n. 413. 414.

Pars altera.

De oppositione amoris scortatorii et amoris conjugialis, n. 423 ad 443. Quod non sciatur qualis est amor scortatorius, nisi scitur qualis est amor conjugialis, n. 424. Quod amor scortatorius sit oppositus amori conjugiali, n. 425. Quod amor scortatorius sit oppositus amori conjugiali, sicut naturalis homo in se spectatus est oppositus spirituali homini, n. 426. Quod amor scortatorius sit oppositus amori conjugiali, sicut connubium mali & falsi est oppositum conjugio boni & veri, n. 427. 428. Quod inde amor scortatorius sit oppositus amori conjugiali, sicut infernum est oppositum cælo, n. 429. Quod immundum inferni sit ex amore scortatorio, & quod mundum cæli sit ex amore conjugiali, n. 430. Quod similiter immundum in Ecclesia, & mundum ibi, n. 431. Quod amor scortatorius plus & plus faciat hominem non hominem & virum non virum, & quod amor conjugialis faciat hominem plus & plus hominem & virum, n. 432. 433. Quod sit sphæra amoris scortatorii, & sphæra amoris conjugialis, n. 434. Quod sphæra amoris scortatorii ascendat ex inferno, & quod sphæra amoris conjugialis descendat e Cælo, n. 435. Quod binæ illæ sphæræ sibi obvient in utroque Mundo, sed non se conjungant, n. 436. Quod inter binas illas sphæras æquilibrium sit, & quod homo in illo sit, n. 437. Quod homo se convertere possit ad quam sphæram libet, sed quod quantum se convertit ad unam, tantum se avertat ab altera, n. 438. Quod utraque sphæra secum ferat jucunditates, n. 439. Quod jucunditates amoris scortatorii inchoens

choent a carne, & quod ſint carnis etiam in ſpiritu; ſed quod jucunditates amoris conjugialis inchoent in ſpiritu, & quod ſint ſpiritus etiam in carne, n. 440. 441. Quod jucunditates amoris ſcortatorii ſint voluptates inſaniæ; & quod jucunditates amoris conjugialis ſint delitiæ ſapientiæ, n. 442. 443.

De Fornicatione, n. 444 ad 460. Quod fornicatio ſit amoris ſexus, n. 445. Quod amor ſexus, ex quo eſt fornicatio, inchoet cum adoleſcens ex proprio intellectu incipit cogitare & agere, & vox loquelæ incipit fieri maſculina, n. 446. Quod fornicatio ſit naturalis hominis, n. 447. Quod fornicatio ſit libido, ſed non libido adulterii, n. 448. 449. Quod amor ſexus, quin exeat in fornicationem, apud quoſdam ſine damnis non poſſit in totum coerceri, n. 450. Quod ideo in populoſis civitatibus lupanaria tolerentur, n. 451. Quod fornicatio levis ſit, quantum ſpectat ad amorem conjugialem, & hunc præfert, n. 452. Quod libido fornicandi gravis ſit, quantum ſpectat ad adulterium, n. 453. Quod libido fornicandi gravior ſit, ſicut vergit ad cupidinem varietatum, & ad cupidinem deflorationis, n. 454. Quod Sphæra libidinis fornicandi, qualis eſt in principio, ſit media inter ſphæram amoris ſcortatorii & ſphæram amoris conjugialis, & faciat æquilibrium, n. 455. Quod proſpiciendum ſit, ne amor conjugialis per fornicationes immoderatas & inordinatas perdatur, n. 456. Quoniam Conjugiale unius viri cum una uxore eſt Clenodium vitæ humanæ, & Reconditorium religionis Chriſtianæ, n. 457. 458. Quod Conjugiale hoc apud illos, qui propter varias cauſas nondum conjugia poſſunt inire, & propter ſalaciam non poſſunt moderari libidines, queat conſervari, ſi amor ſexus fiat ſtrictus ad unam pellicem, n. 459. Quod pellicatus libidini vagæ præſtet, modo non pangatur cum pluribus, nec cum virgine ſeu illibata, neque cum maritata, ac teneatur ſeparatus ab amore conjugiali, n. 460.

De Concubinatu, n. 462 ad 476. Quod duo concubinatus Genera ſint, quæ inter ſe valde differunt, unum conjunctim cum uxore, & alterum ſejunctim ab uxore, n. 463. Quod concubinatus conjunctim cum uxore, ſit illicitus Chriſtianis, ac deteſtabilis, 464. Quod ſit polygamia, quæ ex orbe Chriſtiano damnata eſt & damnanda, n. 465. Quod ſit ſcortatio, per quod Conjugiale, quod eſt Cimelium vitæ Chriſtianæ, deperditur, n. 466. Quod Concubinatus ſejunctim ab uxore, dum ſit ex cauſis legitimis, juſtis, & vere ſonticis, non ſit illicitus, n. 467. Quod cauſæ legitimæ hujus Concubinatus, ſint cauſæ legitimæ divortii, cum uxor nihilominus retinetur domi, n. 468. 469. Quod cauſæ juſtæ hujus Concubinatus, ſint cauſæ juſtæ ſeparationis a toro, n. 470. Quod cauſæ ſonticæ hujus Concubinatus, ſint reales & non reales, n. 471. Quod cauſæ ſonticæ reales ſint, quæ ex juſto ſunt, n. 472. 473. Quod cauſæ ſonticæ non reales, ſint quæ non ex juſto ſunt, tametſi ex apparentia juſti, n. 474. Quod illi, qui ex cauſis legitimis, juſtis, & ſonticis realibus in hoc Concubinatu ſunt, poſſint ſimul in amore conjugiali eſſe, n. 475. Quod quando hic Concubinatus perſtat, actualis conjunctio cum uxore non licita ſit, n. 476.

De Adulteriis, et illorum generibus et gradibus, n. 478 ad 499. Quod tria genera adulteriorum ſint, ſimplex, duplicatum, & triplicatum, n. 479. Quod Adulterium ſimplex ſit viri cælebis cum uxore alterius, aut fæminæ innuptæ cum marito alterius, n. 482. 481. Quod Adulterium duplicatum ſit mariti cum alterius uxore, ſeu viciſſim, n. 482. 483. Quod Adulterium triplicatum ſit cum conſanguineis, n. 484. Quod quatuor Gradus adulteriorum ſint, ſecundum quos fiunt illorum prædicationes, inculpationes, & poſt mortem imputationes, n. 485. Quod adulteria primi gradus ſint adulteria ignorantiæ, quæ fiunt ab illis, qui nondum vel non poſſunt conſulere intellectum, & inde

inhibere illa, n. 486. Quod adulteria ab his facta sint mitia, n. 487. Quod Adulteria secundi gradus sint adulteria libidinis, quæ fiunt ab illis, qui quidem possunt consulere intellectum, sed propter contingentes causas illis momentis non possunt, n. 488. Quod adulteria ab his facta imputatoria sint, sicut postea intellectus illis favet, vel non favet, n. 489. Quod adulteria tertii gradus sint adulteria rationis, quæ fiunt ab illis, qui intellectu confirmant quod non mala peccati sint, n. 490. Quod adulteria ab his facta gravia sint secundum confirmationes, n. 491. Quod adulteria quarti gradus sint adulteria voluntatis, quæ fiunt ab illis, qui faciunt illa licita & placita, nec tanti, ut mereatur de illis consulere intellectum, n. 492. Quod adulteria ab his facta maxime gravia sint, ac imputentur illis ut mala propositi, ac insideant illis ut reatus, non 493. Quod adulteria tertii & quarti gradus sint mala peccati, quantum & quale intellectus & voluntatis in illis est, sive actu fiant sive actu non fiant, n. 494. Quod adulteria ex proposito voluntatis, & adulteria ex confirmatione intellectus reddant homines naturales, sensuales, & corporeos, n. 495. 496. Quod in tantum, ut omnia Ecclesiæ & Religionis a se rejiciant, n. 497. Quod usque rationalitate humana polleant sicut alii, n. 498. Sed quod rationalitate illa utantur cum in externis sunt, sed abutantur cum in suis internis, 499.

De libidine deflorationis, n. 501 ad 505. De statu virginis seu fæminæ ante conjugium, & post conjugium, n. 502. Quod virginitas sit corona castitatis, ac tessera amoris conjugialis, n. 503. Quod defloratio absque fine conjugii sit flagitium prædonis, n. 504. Quod sors illorum, qui apud se confirmaverunt libidinem deflorationis non esse malum peccati, post mortem gravis sit, n. 505.

De libidine varietatum, n. 506 510. Quod per libidinem varietatum intelligatur libido scortationis prorsus dissoluta, n. 507. Quod libido illa sit amor & simul fastidium pro sexu, n. 508. Quod libido illa prorsus adnihilet amorem conjugialem apud se, n. 509. Quod illorum sors post mortem sit misera, quoniam illis vitæ intimum non est, n. 510.

De libidine violationis, n. 511. 512.

De libidine seducendi innocentias, n. 513. 514.

De correspondentia scortationum cum violatione conjugii spiritualis, n. 515 ad 520.

De Imputatione utriusque amoris, scortatorii et conjugialis, n. 523 ad 531. Quod cuique post mortem imputetur malum in quo est; similiter bonum, n. 524. Quod transcriptio boni unius in alterum impossiblis sit, n. 525. Quod Imputatio, si per illam intelligitur talis transcriptio, sit vox frivola, n. 526. Quod malum cuivis imputetur secundum quale voluntatis & secundum quale intellectus ejus, 527. 528. 529. Quod sic cuivis imputetur amor scortatorius, n. 530. Quod sic cuivis imputetur amor conjugialis, 531.

INDEX MEMORABILIUM.

Amor conjugialis visus in sua forma apud duos conjuges devectos e Cælo, n. 42. 43.

Tres Novitii e Mundo informati de Conjugiis in Cælo, n. 44.

De Amore sexus casto, n. 55.

De Templo sapientiæ, ubi de causis pulchritudinis sexus fæminini a sapientibus ventilatum est, n. 56.

De Amore conjugiali apud illos, qui vixerunt in Sæculo aureo, n. 75.

—— Apud illos qui vixerunt in Sæculo argenteo, n. 76.

—— Apud

—— Apud illos qui vixerunt in Sæculo cupreo, n. 77.
—— Apud illos qui vixerunt in Sæculo ferreo, n. 78.
—— Apud illos qui vixerunt post Sæcula illa, n. 79. 80.
—— De glorificatione Domini ab Angelis in Cælis, propter adventum Ipsius, & tunc amorem conjugialem, n. 81.
—— De Præceptis Novæ Ecclesiæ, 82.
De Amoris conjugialis origine & de ejus virtute seu potentia, a sapientibus ex Orbe Europæo convocatis, ventilata, n. 103 ad 114.
De Charta emissa e Cælo in Terram, super qua scriptum fuit Conjugium boni & veri, n. 115.
Quid imago & similitudo Dei, & quid Arbor vitæ, & Arbor scientiæ boni & mali, n. 132 ad 136.
A duobus Angelis e tertio Cælo de Amore conjugiali ibi, n. 137.
De Vetustis in Græcia, qui ab advenis exploraverunt, quid novi e terra, ibi de inventis hominibus in sylvis, n. 151 ad 154.
De Pluvia aurea & aula, ubi uxores de Amore conjugiali varia loquutæ sunt, n. 154.
A Vetustis Sophis in Græcia, de vita hominum post mortem, n. 182.
De Horto nuptiali Adramandoni vocato, ubi sermo de Influxu amoris conjugialis, n. 183.
A Vetustis Sophis in Græcia, de functionibus in Cælo, n. 207.
De Pluvia aurea & aula, ubi iterum Uxores de amore conjugiali loquutæ sunt, n. 208.
De Judicibus amicitiæ, de quibus clamatum est, o quam justi, n. 231.
De Ratiocinatoribus, de quibus clamatum est, o quam eruditi, n. 232.
De Confirmatoribus, de quibus clamatum est, o quam sapientes, n. 233.
De illis qui in amore dominandi ex amore sui sunt, n. 261 ad 266.
De illis qui in amore possidendi omnia mundi sunt, n. 267, 268.
De Lucifero, n. 269.
De frigore conjugiali, n. 270.
De septem uxoribus sedentibus in Roseto, quæ de amore conjugiali varia loquutæ sunt, n. 293.
Ab iisdem uxoribus de prudentia Mulierum, n. 294.
Ventilatio quid Anima & qualis illa, n. 315.
De Horto, ubi sermo de Divina Providentia circa conjugia, n. 316.
De discrimine inter Spirituale & Naturale, n. 326 ad 329.
Ventilationes num Mulier amet maritum, quæ se amat ex pulchritudine. Tum num vir amet uxorem, qui se amat ex intelligentia, n. 330. 331.
De propria prudentia, n. 353.
De perpetua facultate amandi uxorem in Cælo, n. 355. 356.
Ventilatio, num Natura sit Vitæ, vel Vita Naturæ, tum de Centro & Expanse vitæ & naturæ, 380.
Oratores de origine pulchritudinis sexus fœminini, n. 381 ad 384.
Quod omnia quæ in Mundo naturali existunt & fiunt, per Mundum spiritualem a Domino sint, n. 415 ad 422.
De Angelis, qui nesciebant quid scortatio, n. 444, pag. 262.
De Jucundo, quod sit universale Cæli & Inferni, n. 461.
De Audultero sublato in Cælum, quod viderit contraria ibi, n. 477.
De tribus Sacerdotibus quos Adulteri incusabant, n. 500.
De Adulteris ex proposito & ex confirmato, quod non agnoscant aliquid Cæli & Ecclesiæ, n. 521 522.
De Novis a Domino revelatis, n. 532.

LIBRI THEOLOGICI HACTENUS A ME EDITI.

ARCANA CÆLESTIA, quæ continent Explicationem ſuper Geneſin & Exodum, 8 Vol. Londini An. 1747 ad 1758, ed.

DE CÆLO ET INFERNO. De Nova Hieroſolyma & ejus Doctrina Cæleſti. De ultimo Judicio. De Equo albo. De Telluribus in Univerſo, Londini, an. 1758. ed.

DOCTRINA NOVÆ HIEROSOLYMÆ. De Domino. De Scriptura Sacra. Doctrina vitæ pro Nova Hieroſolyma. Continuatio de ultimo Judicio, & de Mundo Spirituali, Amſtelodami an. 1763, ed.

SAPIENTIA ANGELICA de Divina Providentia. Et de Divino Amore & Divina Sapientia, Amſtelodami an. 1763. ed.

APOCALYPSIS REVELATA, Amſtelodami an. 1764. ed.

Hi libri adhuc venduntur Londini apud Miſtr. Hart. Printer, in Poppings Court Fleetſtreet. Et apud Miſtr. Lewis, in Pater noſter row near Cheapſide.

Intra Biennium videbitis Doctrinam Novæ Eccleſiæ a Domino prædictæ in Apocalypſi Cap. XXI. XXII, in plenitudine.